Digitized by Google

Digitized by Google



SIMONIS MAIOLI EPISCOPI VVLTVRARIENSIS COLLOQVIORVM, SIVE DIERVM CANICVLARIVM Continuatio, ſeu

Tomus Quartus.

Quinque colloquiis phyſicis nouis ac penitus iucundis & admirandis, doctiſſimorumq; virorum lucubrationibus abſolutus.

Quibus pleraq; tam natura, quam quæ præter naturam, & quæ his adiacent rebus, aut quæ vbique fiunt mirabilia, recenſentur ordine, quem ſequens pagina indicabit.

Opus nunc primo editum, opera & ſtudio M. G. D.

Cum Sac. Caſ. Maieſtatis Priuilegio.

Helenopoli.

M. DC. XII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Bibliotecæ S. Blasij et Caroli De Urbe

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

SAC. CÆS. MAIESTATIS, RVDOLPHI II. IMP. AVG. *Priuilegio cautum eſt, ne quis* Simonis Maioli Epiſcopi Vulturarienſis Colloquiorum ſiue Dierum Canicularium Tomos quatuor, &c. *in ditionibus Romano Imperio per Italiam, Germaniam & Galliam ſubiectis imprimat, aut impreſſos inuehat, vendat, aut quoquo modo diſtrahat, niſi à Iohanne Theobaldo Schönwettero excuſos: ſub pœna & mulcta in Priuilegio contenta. Datum Pragæ, &c.*

Digitized by Google

REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. STEPHANO WEBERO, MOGVNTINENSI SVFFRAGANEO, REVERENDISS. *& Illuſtriß. D D.* IOAN. SCHWEICHARDI, *Archiepiſcopi Moguntini Principis Electoris, in Pontificalibus Vicario, S. S. Theologiæ Doctori, Mecœnati ſuo ſumme obſeruando.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MAGNITVDO beneficiorum tuorum Reuerende Domine, quæ & multa & ingentia cumulatim in me contuliſti, à me impetrauit, vt & Quartum Tomum Colloquiorum Canicularium Reuerendo nomini tuo dicarem & conſecrarem. Etenim ſi ob benignitatem ac merita homo homini Deus cenſendus eſt, vt communi prouerbio traditur, profecto poſt cœleſte illud Numen, quod ſupra nos rebus noſtris curat, hominem natum habeo omnino neminem, quem iuſtius Deum meum ſalutare debeam, quam Reuerentiam tuam, eo maxime, quod non minimæ exiſtimationis inter eos eſſe videaris, de quibus Spiritus ſanctus per Regium Pſaltem, tanquam ex cœleſti tribunali pronuntiauit; DII ESTIS ET FILII EXCELSI OMNES. Dum igitur hoc quoque offertorium ante altare Reuerendi nominis tui ſiſto, iure atque merito tuo id fieri omnes intelligunt Nulla quidem eſt beneficiorum tuorum compenſatio, (vnde enim tantus mihi fluuius, qui tot tantarumque tua-

rum in me munificẽtiarum mare vel redundare ſaltem poſſit?) ſed tamen grati animi mei quale quale teſtimonium, quod vti gratum acceptumque habere digneris, id Reuerentiam tuam vehementer etiam atque etiam oro & obſecro. Facturam puto, quod te & his ſtudiis, quibus Reuerendiſſimus Epiſcopus Maiolus deditiſſime incubuit, non indelectari, nec mihi non velle ſæpiſſime expertus ſum, & reipſa conteſtatum habeo. Quod vt porro quoque facere velis, & induſtriam meam ſtudio atque fauore tuo adiuuare, à Reuerentia tua, cui me ſubnixe commendo, ita precor, vt pro eiuſdem ſalute & incolumitate apud Deum Triunum votis meis intercedo. Datum Francofordiæ ad Mœnum, die ſancti Bartholomæi Apoſtoli, Anno Dominicæ Incarnationis M. DC. XII.

R. P. T.

Obſeruantiſſ.

Ioannes Theobaldus Schönvveter Moguntinus, ciuis & bibliopola Francofurtenſis.

ELEN-

ELENCHVS COLLOQVIORVM IN HOC DIERVM Canicularium Tomo quarto contentorum.

I. *De dignitate hominis.* *Pag. 1*

II. *De hominis creatione, lapſu, generatione, & educatione.* 109

III. *De hominum educatione atq; informatione, deq; Virtutum commendatione, ac Vitiorum vituperio.* 172

IV. *De origine & progreſſu ſocietatis humanæ, & coitionis populi in vnam rempublicam. De ſana pariter atque inſana regnandi, gloriæque adeo humanæ cupiditate, vbi etiam de regnis & imperijs Imperatorum.* 242

V. *De dignitatum ac ſeſſionum differentijs, vbi de honorum dignitatumque Titulis, familiarumque Inſignibus: & quam diræ hactenus inter Gallos & Hiſpanos deſuper contentiones; inſerta etiam Tyranni Turcici immani barbarie, atque effrænata dominandi libidine. Itemque de Vnctione, Erectionibus in ſcuto, aureo vellere, &c.* 312

Digitized by Google

AD

SIMONIS MAIOLI ASTENSIS, EPISCOPI VVLTVRARIENSIS, DIERVM CANICVLARIVM IMITATIONEM, CONTINVATIONIS

Tomus IV. & vltimus.

COLLOQVIVM PRIMVM.

De dignitate Hominis.

THEOLOGVS. EQVES. PHILOSOPHVS.

ANtiquum & notum amicum expectato venientem, vt lubens video, vt mihi iucundum eſt ipſum & complecti & alloqui. Salue multum, iam toto ſeculo deſiderate. Deſperabam propemodum reditum tuũ, præſertim cum præter morem tuum, conuentionemq; noſtram mutuam tanto temporis interſtitio, nullæ quæ de ſtatu ac conditione tua nunciarent, ad me deferrentur literæ. Proinde gratulor tibi in patriam, immo ad amicos reuerſo, & mihi identidem gratulor, quod ſanum te atq; incolumem denuo videre datũ eſt. quãquam video te per ſentiam nonnihil contraxiſſe ſe.

EQ. Vt eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. Peregrinantium quod ſcis, fortuna non eſt ſemper æqua, & ſi quæ alia hæc ipſa cum primis lubrica eſt, variiſque aduerſitatum procellis, huic qui ſeſe committunt, ſunt ſubiecti.

TH. Peregrinantium quidem, qui priuato arbitrio, atque vt plurimum auſu quodam inconſulto ac temerario alienas terras atq; nationes ineunt, præſertim ſi morbis conflictentur, aut pecuniæ veſtimentorumq; naufragium faciant, miſera ſæpenumero eſt conditio, redeuntq; ſqualidi, macilenti ac pallidi. Tu verò quum vna cum collega noſtro ac colloquutore facundiſſimo iuxta

ac doctiſſimo, Domino Philoſopho, legationis munere ſplendido ac magnifico perfunctus hactenus fueris, non potuiſti non ſecundis nauigare velis. Cumq; viri principes ad legationū munera quærere & ſeligere ſoleant, emunctæ naris ac ſummi iudicii viros, rerum peritos, in obſeruandis rebus ſingulis diligentes, qui ſint quaſi principum oculi emiſſitii, aures ac manus longæ, vt inquit Stephan. Vinand. *in Hercule prodig. pag.161.* & ne quid illis, non dico ad victum, ſed ad ſplendorem atq; apparatum omnimodū deſit, vel maximè procurant atq; proſpiciunt, quinetiā legatorum munus antiquo gentiū iure ſanctum atq; inuiolabile eſt, proinde pro meo, quod tamen in hac re tenue eſſe agnoſco, iudicio, peregrinatio iſthæc tua tibi vix potuit eſſe damnoſa.

E Q. Dulce bellum, dulcis peregrinatio inexpertis. Atq; in quantis ſæpius verſati fuerimus anguſtiis, non tam apud eos ad quos ablegati fuimus, quam etiā apud eos, quorum nomine legationes obiuimus, præſertim ſi res minus ex ſententia nobis contigit, collega noſter amantiſſimus tibi, vbi res dabitur, prolixè enarrabit. Vſqueadeo vt ſæpiuſcule longum durumq; iter ſponte pedibus mœſti ageremus, tātum vt iucunda confabulatione curarum atque difficultatum noſtrarum reminiſcentiam quadantenus animis noſtris eximeremus.

TH. Cur vero non in vehiculo alter alteri facundū comes iucundum vehiculum præſtitit, quum iuxta Græcorum prouerbium, tutius atq; commodius in plauſtro, quam de plauſtro ſermones ferantur.

E Q. Nunquam nobis ritè conuenire potuit cum aurigis; difficile omnino eſt genus hominum. Rogauimus, iuſſimus, mandauimus ſæpenumero, vt noſtrā velint habere rationem neq; ita tumultuoſe thedam in præſentiſſimam vitæ ac fortunarum noſtrarum perniciem hinc inde ductitare. At illi antiquum obtinentes, ne ad tantillum quidem, vt quis poſſet vel aures ſcalpere, dictis noſtris erant audientes, quin potius, quo monſtroſæ ipſorum naturæ ductu aurigabatur, illuc equos flectebant; Atq; hæc ipſorum deplorata vel improbitas non niſi duris carceribus arctaq; inedia exeat illis poteſt. His lactucis niſi ora ipſorum terātur, admodum diluculo venias oportet, ſi ſobrium aurigā velis. Illi namque à ſummo mane potant tantiſper dum rheda cōſcenditur. Idq; quo fit ſæpe diutius, hoc plus eſt periculi necubi vectores deiiciāt in lutum quos vbi deiecerūt, tunc quaſi bene geſta, effuſe rident.

TH.

TH. Liceat mihi pauliſper tecum ſuauiter iocari, tu pro tuo cãdore & familiaritate inter nos mutuo, non opinor ringeris. Eſt aurigarũ hac in re forſitan haud inconſultum iudicium; habentq; rigoris huiuſce ſui rationes minime ſpernendas. Primò enim, quemadmodum nemo optat alienis manibus operari, alienis oculis videre, alienis auribus audire, alieno palato deguſtare, alienis naribus olfacere; ſic nemo etiam debet alienis pedibus iter facere. Præterea nemo in hunc mundum intrauit eques, aut in rheda, ergo neque per mundum ire eques aut in rheda debet. Et quid quæſo aliud facit, is qui naturæ munerum oblitus, vilis atq; intractabilis & caduci equi cœco arbitrio ſeſe committit, atq; interim ſuis ipſius pedibus ire dediſcit, quã qui diuitem cupiat podagram, hoc eſt, pedes inutiles, equos multos. Inſuper ſi pedibus iter facis, magnis te ipſum ſubleuas moleſtiis: Ibis pro libito, nullius eris nutui addictus, nemo morabitur, nemo concutiet, nemo deiiciet, nemo aget in præceps; vnus tibi labor viæ, vnum opus ire, nihil tibi tuo cum vectore negotii. Non cogeris enim equum frenare, non pungere, non adaquare, non ſubſternere, non circumducere, non fricare, non paſcere, non aut tergum vngere, aut arentem pedis vngulam, & tractare digitis ancipites clauos, aut nocturnos ſudibus arcere cõcurſus, & ſomno exciri trepidus, ſemperque ſolicitus, quid belua peruigil cum vicinis agat, ſaltem noctibus quieſces. Nam qui equitant, noctu etiam laborãt. Quid, quod ipſi ſancti patres nudis pedibus deſerta luſtrabant. Nuncii Dei omnipotẽtis Apoſtoli, mundi climata circuibant, hic ad Orientem, ille ad Occidentem, hic ad Arcton, ille ad Meridiem, nauigantes quidem interdum, at raro admodum, neque aliter quã cogente locorum ſitu. Quem vero ex illis omnibus equitem vnquam legiſti, præter vnum ex omnibus Iohannem? neq; id amplius quam ſemel, idque perexiguo vix ſpatio, dum quod Clemens ſcripſit, & Eccleſiaſtica habet hiſtoria, ad recuperandam perditi adoleſcentis animam illum feſtinatio perurgeret. Ecquomodo autẽ equitarent, quũ ipſe Dominus pedes iuerit? Et vix aſellum ſemel quidem ille, mox in crucem aſcenſurus aſcendit.

EQ. Quod Apoſtoli pedites ierunt, fecerunt id expreſſo Chriſti mandato, *Ite prædicate &c.* Non tamen inhibitum ipſis fuit quin pro nata occaſione etiam rhedis ac curribus vehi licuerit. Nã ipſe Philippus Apoſtolus iuſſus ab Æthiope, Eunucho Candacis regi-

næ Æthiopum currum ipſius cõſcendit, ipſiq; Eunucho aſſidens, bene lõgam itineris partem rheda vectus confecit, quæ hiſtoria prolixe extat *Act. 8.*

TH. Interuenit in hoc negotio caſus quadantenus neceſſitatis, fuitq; ratione loci & circumſtantiarum aliqua habenda ratio ipſius Eunuchi, nondum tum temporis in puritate fidei Chriſtianæ probe ac ſolide inſtituti. Quod ſi vero hæc exempla, vti mihi quidem videris, adunco ſuſpendere naſo atq; aſpernari, aut leuiuſculo ſarcaſmo facile eludere te poſſe autumas, nimirũ quod longe alia Apoſtolorum & Politicorum ſit ratio, ac proinde de diſſimilibus idem non ſit iudiciũ: Age, allegabo tibi exempla politica. Annon, inquam ego, Romanæ olim legiones, quę orbem terrarũ ſubegerunt, magna ex parte pedeſtres fuiſſe noſcũtur, in quibus non ſe ſolum atque arma ſuis pedibus quiſq; portabat, ſed panem quoque ac viaticum multorum dierum, ſed & vallum quoque, quo in finibus hoſtiũ caſtra in dies circumſpecta nocturnis ab inſultibus tegerentur. Vnde eleganter Cicero quodam loco de militibus Romanis agens, quũ fortibus viris, cæterarũ gentium arma, non impedimentum, ſed quaſi veſtimentum eſſe dixiſſet, hoc præcipuum illis dedit, vt diceret, Romanis ſolis arma non veſtem eſſe, ſed vt humeros ac lacertos. At cum eas, quas dicebã, militares ſarcinas ſubiiſſent, tum demum videri ſibi eſſe veſtitos, neu quis moderni ſermonis conſuetudinis ſermone labi poſſit, militum appellatione pedites accipi, eoſq; ab equitibus, quamuis vterque militet, hoc ſecerni nomine ſolitos, multis Romanæ hiſtoriæ locis aduertere eſt. Proinde magnum tibi aliiſque lenimen ac ſolatium laboris horum recordatio præſtare poteſt, non inermi tantum ac vacuo & duro licet, tuto tamen calle pergenti, ſed armato etiam atque onuſto & periculoſo tramite peditanti. Siquidem nihil ad tolerantiã aſperatum rerum efficacius, quam cogitare, eadem multos fortibus animis fuiſſe perpeſſos. Pudet enim generoſum ſpiritũ, non poſſe vnum, quod innumerabiles potuere. Et rametſi longum & durum iter pedibus conficiendũ quandoq; veniat, nobiles tamen ac ſuaues curæ, quæ virorum generoſorũ pectora incolere, viaſq; omnes comitari ſolent, durum illud iter leniunt, mœſtumq; animum ſerenant. Sique his inſuper grata ſocietas amici læti & eloquentis acceſſerit, non tantum leue iter, ſed & breue videbitur; quæ quidem iucunda confabulatio multos ſæpenumero ſic affe-

cit,

cit, vt & viæ dutitiem non ſentirent, vſque adeo vt de breuitate longi licet itineris, etiam quererentur, neq; iuiſſe, ſed vectos ſe eſſe crederent.

EQ. Argutus es in deducendo, at in perſuadendo, vt opinor, non item. Quemadmodũ enim, vt grauiter D. Bernhardus ait, nõ eſt bona patientia, quum poſſis eſſe liber, te ſeruum permittere fieri: Sic nemo eſt ſuotũ pedum ita prodigus, qui ſi rhedam poſſit conſcendere, pedibus iter malit conficere; idque etiam vix ac ne vix quidem, quod ſcio, cuiquam perſuaſeris. Sed enim per iocum, quod ab initio proteſtatus es, iſthæc dicta ſunto.

TH. Per iocum equidem, modo nihil inſit ſerium, idque fortaſſis nunc plus æquo ſerum. Sed ehem, vbi tertius noſter collega moratur, agit omnino præter morem ſuum antiquum, quod valde miror. Dignus is omnino, qui, quod dum adhuc vegetæ ipſi eſſent vires, nunquam delicatulos atque ad quoduis etiam duriſſimum iter ineundum immorigeros, ſed vbiuis promptiſſimos habuit pedes, nũc iiſdem & multorum exantlatione laborum pariter atque ætate debilitatis, rheda aut equo aut aliquopiam alio vehiculo feratur.

EQ. Si quiſquam alius iſthoc ſubleuationis honore eſt dignus, ipſus omnino eſt. Ab illo enim tempore, quo legationis munus obiit, nullum ipſi vnquam ſine negotio otiũ fuit; & vbi liberior interdum curis animus erat, minime tamen quieſcebat, quin potius, quum quid vbiuis conueniret, minime ipſum lateret; nunc vel maxime exercẽdus meus eſt animus, aſſerebat; huic nimirum ſeni, non vt in ineunte ætate pila aut trochilus, ſed rerũ maximarum momenta vſque adeo erant curę, vt grauiſſimarum rerum occupatio, aut ab iiſdem ceſſatio, vtra potior ſeu tolerabilior ſit, valde addubites. Nos certe miſerati ſæpe ſumus, ſenem languenti corpore, mediis diebus, ardentiſſimo ſole, per frequentiſſimos latrones, quibus itinera circumſeſſa erant, hinc inde commeare, vt qui illũ ſequebamur, de ſenis vita actum, iam in ſingulas prope horas nobiſcũ ipſi dolentes queremur. Itaq; diligentiam ſi requiras, nihil illo, etiã ad minima quęq; momenta attentius: ſi prudentiam, nihil omnino conſideratius: vt non modo laudem, verum ſummã ſibi principum hominum admirationẽ, cum ſumma etiam omnium populorum beneuolentia conciliarit.

TH. Quæ obſecro in itinere atque in reditu eius conſuetudo, qui eius ſermones erant?

EQ. Conſuetudo qualis an-

tebac ſemper fuit, multum cogitandi, plurima ſecum animo voluendi; neq; enim tempus vllum fruſtra labi patiebatur. Sæpe etiã multa nobis ex antiquitatibus referebat, vt quem locum aduertiſſet, in quo nauatum à maioribus aliquid memoria teneret. Vbi ad meritoriam peruentum eſſet, ibi cum familiaribus, quantum leporis erat, quantum hilaritatis? vti labor omnis abiret in voluptatem.

TH. Inter graues occupationes ceſſatio omnis grata eſt; & ſi inſuper voluptas quoque affertur, ea quam eſt ſuauis! Atque ego quidem ita ſemper duxi, voluptatem raram eſſe debere, ac tum maxime delectare, cum ſit quam honeſtiſſima. Otium vero nunquam probaui, niſi quod cum reficiendis corporibus, tum leuandis animis conceditur.

EQ. Sic nimirum fit, vt ipſe etiam labor in voluptate non ſentiatur, & actio quoque omnis in ipſo agẽdi curſu ſit periucunda. Quamobrem etiam in cœna atque inter diſcumbendum nihil triſte paſſus eſt vnquam. Oportere in menſa læta atque exhilarantia eſſe omnia: neque iniuriam vino faciendam, quod lætitiæ eſſet honeſtũ incentiuum. Seueritatem in foro, triſtitiam in funere, cunctationem in capiendo conſilio, ſupercilium in Senatu retinendum eſſe dicebat. Talem, inquam, ſe ſenex noſter in itinere atque vbiuis alibi laudabiliter præſtitit. Atque vt paucis multa dicam, omnium erat horarum vir, nec tamen quicquam ex agro temerariove proferebat, ſed omnia lepide, & cum ſingulari decoro ac venuſtate.

TH. Sed annon, prout hominum interdum iudicia ſunt varia, deliramenti cuiuſdam aut repueraſcentiæ nomine naſutuli quidam illum traducebant atq; inſimulabant?

EQ. Nemo omnium noſtrorum, qui ipſi conuictitabamus, vllam deliramenti aut repueraſcentiæ ſuſpicionem ne per ſomnium quidem de ipſo concepimus; quod ſi ſecus à nobis fieret, indignum foret. Præferebat interdum, poſt alias atque alias publicis de rebus cogitationes, luſus gratia, amorem puellarem; vnam aut alteram continuo, pro ratione interſtitii aut vacantiæ à grauioribus occupationibus, verſabat in ore, querebatur capillum ſe non bene habere cultum, aut faciem puellarẽ ad comptum ſatis extertam; quæque ad Hymenæum vocata, nondum dignã nuptiis induiſſet veſtem; cum quę haberet baiulum, quem humaniter ferre poterat, hominem minime malum, & ad ſuperſtitionem vſque credulum, mandauit

dauit ei, data illi pecunia, vt aſellum ſibi coemeret, ſe namque ad amaſiæ fores pompam acturum; atq; is quidem ſtatim certo precio coëmit, omnino exiſtimans fore, vt ſenex pompæ nuptiali, quam propediem inſtare credebat, ipſum adhiberet, ſenemque aſello inſidentem noua ſponſa, quæcunque tandem è tam multis, quarum videlicet amorem ambiebat, illa foret, ſolenniter exciperet; & ſi quæ funeralia. Atque hunc ipſum aſellum paucis à mercatu diebus prædicto baiulo dono dedit.

TH. De aſello aliquid inaudiui, quamobrem etiam ioco meo aliquid ſerii ineſſe paulo ante haud obſcure innuebam. Si itaque tibi non eſt graue, peto vt integram de aſello rei geſtæ ſeriem mihi aliquanto prolixius enarrare velis; varii enim de iſthoc aſello hactenus ſparſi ſunt rumores, qui haud leuem mihi ſcrupulum pepererunt.

EQ. Imò, te etiam non poſtulante, quamprimum ſcrupuli aliquid te fouere tecum, ſuboléci, cogitaui mecum, integram rei geſtæ ſeriem tibi enarrare. Sed enim diutius hic ſpatiandi atque oberrandi ſub dio præſertim ac feruido ſolis æſtu, me tenet faſtidium, quocirca ſubeamus vmbras, ac defixa ad proceram illam & annoſam quercum, vbi blande riuulus ſuſſilit, quem prope cernimus, acie recta contendamus, ibi enim haud dubie collega noſter, ſenex, vti conuentum inter me & ipſum, nos præſtolatur, aut mox, lupus quod aiunt, in fabula erit.

TH. Sentio iam tum aliquid leuaminis, & quamprimum mihi ſpem duntaxat feciſti narrationis, aliqd mihi ſubito exemiſti ſcrupuli, itaque ſummo audiendi tangor deſiderio.

EQ. Nunc audies, ſed oportet me prius recipere ſpiritum, obambulando enim haud parum defatigatus ſum. Tu ſub hac vmbra prior delige tibi locum commodum, vbi recumbas, ego accumbam. Sic ergo habeto. Eſt, quod ab antiquo noſti, ſenex noſter in omni conuerſatione admodum feſtiuus, omneſque illius ſermones ſalibus ſunt aſperſi, quibus tædioſam ſenectutis quaſi putredinem abigit; nullo veſcitur fermento, adeoque turgidioribus buccis verborumve ampullis non delectatur, nihil in ipſo ſuperciliosum, nihil ſuperbum. Is, inquam, quum baiulus ipſius, de quo paulo ante, ſenis noſtri feſtiua humanitate aliquantum, non malo tamen animo, abuſus ad intimos familiaritatis receſſus adſcitum ſeſe atq; admiſſum, ſibi perſuadens, confidentius aliquã-

to quam par erat, ſenem noſtrum quandoque alloqueretur; ſenex quippe omnium horarum vir, compoſito ad ſeueritatem vulru interdum quędam auribus ipſius ſub fide ſilētii clam inſuſurrabat, conſilium & auxilium ipſius perquirebat, omninoque talia cum ipſo communicabat, quæ poſtea materia tiſus ac facetiarū præſto ſotent. Quid multis? baiulus libere ſententiam ad omnia dicebat; atque inter cætera, cum aliquando ſenex, qua ratione autoritatem apud vulgus conciliare ſe ſibi poſſe exiſtimaret, ſententiam dicere iuberet, baiulus pro ſuo ipſius ingenio atq; humore, conſilium dabat (liceat mihi ὀνοματοποιεῖν, & tantum non ὀνοχωεῖν) agaſonicum, ſiue aſininū potius, vt nimirum aſino, ſericis inſtrato ornamentis, aurato freno, auratis habenis perornato, per vrbem in publico per regionē vrbis frequentiſſimam vectus omnibus viſendum & tantum nō adorandum ſeſe exhibeat. Hic illius Comœdiæ prologus, hic prodromus fuit.

TH. Eſt hæc humanitas in tāto præſertim fortunæ atq; exiſtimationis faſtigio non tam admiranda, quam rara; eoq; magis, vt *Cic. 1. off.* ait, præclara eſt æquabilitas iſthæc in omni vita, in qua idem ſemper vultus, eademque frons eſt.

EQ. Quæ nunc ſequuntur, vix abſq; riſu poſſum commemorare. Senex noſter numerata pecunia, quantum ſufficere putabatur baiulo mādabat, vt aſinum protinus coëmeret. Baiulus in hoc cōmiſſo negotio admodum induſtrius, hinc inde, vbi proſtarent aſini, diligenter perquirens, leui intercedente mora, ære aſinum eumque ſatis ſtrigoſum cōparabat, eique inſidens lætus ad ſenis noſtri diuerſorium procurrebat. Atque ego quidem, cum is à mercatu, aſino inſidens mihi in via publica forte fortuna fieret obuius; baiule, baiule, inquiebā, quo properas? quæ te res tam impotēter agit? ſiſte parum greſſus: iubet hoc amicitia, poſtulat id humanitas tua; at ille, ne, inquit, ne me obſecro à concitato huius aſelli delicatuli curſu auoca; maior res agitur, quā tu forte exiſtimas. Quonam ergo tendis, inquiebam. At ille; quo aſinus imperat. Quid malam rem, inquiebam ego, aſinarium iamne agis? Imo, inquit, ipſe aſinus me agit tu interim ſalue & vale.

TH. Hinc nimirum ſiniſtri illi rumores, qui de ſene noſtro percrebuerūt, nec enim dubium eſt, baiulum iſtum, heri ſui (ſenis noſtri, Philoſophi) in mercatu nomen ſemper prætuliſſe. Hinc omnium cum ſtupore admirationes, hinc huiuſmodi aut conſi-

miles

Digitized by Google

miles apud vulgus ſermones: Quid audio? Aſinone vehi vult per vrbem in publico, per regionem vrbis frequentiſſimam, homo ſexagenarius, regis præſides actionibus, moribus tam compoſitis, inſtitutis tã rigidis? Annon ſummum & publicum dedecus eſt, ſenem in quo tantum repoſitum eſt tum opinionis tum ſpei, cum tanto delirio repuераſcere?

EQ. Veriſimile id omnino eſt. Cæterum aduenientẽ agaſonem ſenex ad hilaritatem compoſito vultu, ac verbis: *Salue Domine I. A.* excipiens: Amabo, baiule meus ocule, inquiebat, pectinem nunc etiam mihi auratum emito, qui ſit eburneus, Praxitelius: qui dũ ſtringitur, dum dorſo agitur, tinniat mihi, ſubblandiatur animo meo, qui riſum pelliciat atq; hilaritudinẽ: quid enim aſello meo delicatius? vult ſibi applaudi, vult dici belliſſima verba, faciet mihi delitias, dum ei frontem defricabo, dum verſiculos ſuccinam. Tu meus meus amicule, & illud ſtatim cura. Timet delitiolum meũ muſcas, calores fugitat, per refecta inſtitores omnes, dũ è tenuiſſimo ſerico ſtragulum compares, quo intectus Arion meus, Cyllarus meus, muſcarum aut culicũ aculeos ne ſentiat. atque id cumprimis effice, vt ſit quam fulgentiſſimum ſtragulum, delicatiſſimum textum, ſolidiſſimũ muſcarum repagulum. Illud quoque ſummo ſtudio ac deditiſſima curabis opera, vti flabellum pauoninum, quod ſit quam oculatiſſimum mihi compares, quo in vmbra atque in æſtu, meo de itiolo ventum faciam.

TH. Quod ſi ipſus ego verba iſthæc præſens audiuiſſem, neq; mihi antea perſpectum fuiſſet ſenis noſtri ingenium, nihil aliud niſi delirium ſenile id eſſe crediſſem. Sed quid ad hæc dicta baiulus?

EQ. Dici non poteſt, quanto perfuſus fuerit repente gaudio. Nec mora, omnibus hinc inde licet diſſectis, anhelus diſcurrebat, nulli alii rei præterquam ornamentis aſininis intentus, atque obuiis quibuſque quonam ocyus ita rẽderet, percontantibus: Propero, infit, ad fabros ærarios, cõparaturus diuerſi generis tintinnabula, cingulum item ſericum diuerſicolorem, qui cum intextis tintinnabulis aſini collum exornem. Flamen quoq; purpureum auro intertextum empturus, ad illius frontem appenſum aurata fibula, perinde ac flabellũ, aſino ventum in calore quod exciat. Proinde videas in poſterum, diuerſorium noſtrum ſi ingreſſus fueris, bracteolas argenteas, auratas lamellas, floſculos etiam gemmatos auro intertextos, quę omnia & ſingula ad ornamentum

tuin aſelli noſtri parata ſunt.

TH. Non ſemper tutum, imo vero quandoque dedecoroſum, nimis familiariter cũ infimę fęcis hominibus conferre ſermones. Familiaritas enim nimia, quod eſt in prouerbio, parit contemptũ; & prudenter Lacides (de quo Laertius *lib. 4. cap. 8.*) accerſitus ab Attalo rege, reſpondit, imagines eminus ſpectandas eſſe; innuens, arctam aſſiduamq; familiaritatẽ, ſępe minuere virtutis admirationem. Rectius vero Cato Vticẽſis Munatio querenti, quod in Cypro Catonem adiens, parũ ciuiliter repulſus eſſet, quũ nihil eſſet negotii, ſed intus cum Canidio fabularetur; ſic ſe purgauit Cato, vt diceret, ne iuxta Theophraſti ſententiã nimia amicitia cauſam daret odio, *lib. 5. Apophth.* Sed quẽ tandem actio hæc ſortita fuit finem, haud dubie namq; parũ abfuit, vt ſenex noſter hiſce actibus, vti videtur leuiculis, authoritatẽ ſuã haud minimum proſtituerit.

EQ. Nihil minus. Norant enim omnes vtriuſque ingenium, huius quidem (ſenis noſtri) liberale atq; excellens, illius vero ridiculum, quo minus etiam metuendum erat periculum proſtitutionis famæ atq; honoris. Cæterũ, cũ paucis exinde poſt dieb. ſenex noſter liberale inſtruxiſſet ſympoſium, baiulusq; pro more ſeſe pberet admodũ promptum atq; officioſum, ſenex læto ac hilari ad baiulum conuerſo vultu: Quid, inquit, rerũ agit delitium meum? Ad quod ille, lepidiſſime, ait, & rudit ſimul & calcitrat; vnum illi defuit hactenus, aſini quod ſolent, me præſente, (puduit fortaſſe,) crepitulum facere. Vides, inquit ſenex, quid præſtet tui reuerentia; verum age, ſi placet, illum vt contemplemur, non vſque adeo prope tamẽ, producito, tum illi blandire ac delitias nobis facito. Vix hæc dicta finierat, quum ecce ſubito baiulus aſinũ producebat in proſcenium, atq; Agedum, inquit, Cyllare, Eugedum heros Arionice, herum honora, præſta quod ludentes aſini heris ſolent leuiter inſanientibus, cõcrepa muſicum aliquid, tuum ad numerumq chorеas vt ductitent. Salite hortenſes deæ. heus heros Cyllarice, numeros muta, Anapeſticum volo. Age Arionice, age Cyllarice heros, ſentiat te herus tuus hilariſſimum, quando ipſe hilariſſimus es. Ad hæc baiuli dicta, choreã ductitat beſtiola, & ſimul crepat, cauda ſubinde flabellans. At ille, Heus Arion, non mihi intercrepitandum placẽt caudinę delitiæ. Tute tibi caudã contineto, nec eſt, quod muſcas ab ore arceas flabello tam lepido. Apage caudam à me, aliiſq; quibus arrident, blanditias iſtas tam ſuaues ventila.

ventila. Nos vero, dic aſello bene, hortabamur, vide ne offendas, ne ſubiraſcatur. Inter hæc dũ purpuriſſo os baiuli illiniſſet aliquandiu; ah ah ah, poſt ingentes tonitrus ingentes pluuiæ. Nihil potuit lepidius ac magis in tempore. O Arabicam mercem, baiulo acclamabam', Sabæaq; odoramenta, collige Muſcum, ſelige Zebethũ, imple arculas Cyprio puluillo. Fac venalẽ purpuriſſum prius, inde tibi pretium ꝓueniet tantum, vti fibulas etiam aureas oſtro ſuffigas, & auratas cingulas, quibus illud ſubliges. Inter hæc etiam aſellus calcitrabat. Cui baiulus, Quid hoc Cyllare, quid inq̃ Cyllare. Diſciplina mihi haudquaquã ſatis placet. Ludum ego hero, non mihi calcitronem inſtituo. Abi in malã rem, blãditias iſtas tuas tam inurbanas lude & applaude aliis. An etiã me petis, etiam atq; etiam calce petis? Hãc mihi pro beneficio refers gratiã? Altorem tuum tam impie verberare audes? An fortaſſe hordeum tibi negligentius excreui? an pectinem dorſo inclementius duxi? Nos vero, vide vide, amabo baiule, vt prę pudore auriculas, vt etiã caput demiſit, vt obticuit pudentiſſimus, piget pœnitetq; maleficii. Defrica illi auriculas manu q̃ leuiſſima. Vides vt geſtit? vt tibi gratias agit? Tantũ nõ te teoſculatur. Nondum hæc finieramus, ecce repẽte baiulus maximo quo poterat clamore atq; eiulatu, Abi malã in rem, inquit; oſculi genus tam ſuaue, aſininas morſiunculas tã illecebroſas. Labra pene mordicus abripuit. Nos vero; ne quæſo iraſcere. Titillatũ tute illi conciuiſti, tua eſt culpa. Duc palmã vrbaniuſcule ad coxam atq; ſub ipſis ilibus. Hoc ago, inquit ille; & ꝓtinus, Caue beſtia, quid caudam ventilas? Ne time, inquiebamus, ventrẽ defrica, idq; q̃ leuiſſime, vt agas, vide. Id ipſum etiam agitur, reſpondet ille; moxq́;, q̃d crepitas, inquit, nequiſſime? quid pedem quaſſas? Vide beſtia, caue beſtia, ſiſte ingratiſſime. Sed probe noui ego, vnde tibi iſthæc ſuperbia, ſcis nimirum, quod nullum mihi eſt in te imperium. Et mox ex improuiſo exclamabundus: Heu væ heu, coſtas pene calce diffregit: Annon ſenſiſtis, vt inſonuit pectus? Aſininæ hæ delitiæ cuiuis alii placeãt. Mihi cum aſino poſthac nihil erit cõmercii, niſi vectem quernum vt adhibeã, mihi conceſſum fuerit.

TH. Quid vero ad hæc ſenex? Vnius certe horæ hilaris inſania, quod Seneca grauiter commonefacit, longiſſimi ſæpe temporis tædiũ affert. Mirũ, quod tãtiſper has næniarũ moleſtias æquo animo ferre potuit ac deuorare.

EQ. Nos eqdẽ riſu adeo cõcutiebamur, vt lacrymę ex noſtris ſtil-

larent oculis. Senex vero tādem torue baiulum intuens, è proſcenio ipſum vna cum aſino confeſtim excedere iubet. Nos vero ſumpta ab occaſione fiducia, vt aſinum hūc baiulo donare velit, rogabamus, idque cum facile impetraremus, dici nō poteſt, quot ac quantis capitis, manuum, pedum & quibus non? geſticulationibus hero ſuo nobiſque baiulus gratias ageret. Tum conuerſo ad aſinum ſermone, monſtratis ipſi labris ſanguine adhuc madentibus, tibiarumque & coſtarum tuberibus: Vides, inquit, quid egiſti mea voluptas? non te pudet, non te pœnitet altorem tuum etiam liberaliſſimum pulſare tam illiberaliter? deturbaſſe in terram pexorem obſequētiſſimum tam impudenter, deblaterantemque tam lepidum penè mutilum feciſſe natibus pariter atque labris, tanta cum peruicacia? Nō intelligis, quam inique à te factum ſit, quam etiam impotēter? Amabo delitię meę, mores iſtos agreſtiores exue, atq; vrbaniores indue. Pepuliſti me, tantopere tibi indulgētem. O indignitatem! Abundas otio, abundas hordeo, ornamentis etiam propemodum regiis nites. Decet in iſta fortuna minime vti ſuperbia. Humanitatem atq; manſuetudinem ſecundæ par eſt fortunæ comitem eſſe. Hos te mores induere velim; hâc hero (atq; is egomet nunc ſum,) gratiam tot pro beneficiis referre. Demiſiſti nunc caput, pedes meos, heri tui, delingis: nūc mihi places, dum te malefacti pœnitet, dum erratorum pudet. Hoc nimirum eſt ſapere, in manifeſto peccato audire inſtitutorem, ac recte monētis præceptis obtemperare. Atqui ego te pro pœnitentia iſta vel ſapone etiam Arabico odoramētis condito totum perluam, caputq; & pedes lauabo. Morare itaque hic pauliſper, ego peluim afferam, in eaque tepiduſculam plurimam, myrteo cum liquore Arabicisque condimentis, quibus meas delitias inungam. Bene habet; aqua tepiduſcula eſt, & multa, & peluis bene ampla & nitida. Quid vltra deſiderem, nihil eſt, niſi te vt agas quam manſuetiſſimum, dum te perluo, dum te inungo delitium meum. Etiam blādiris, iam caudam ſurrigis, iam capite micas, totuſque toto etiā corpore meus aſine mihi geſtis. Euge delitiæ, vt ego te nitore ipſo nitidiorē reddam. Siſte age caudam ad me, dum bene lotam depecto quam lepidiſſime, depexamque multo lepidius inungo. Sed quid hoc rei, quod clunes mihi lauandas aſine vix porrigis? Non ſatis placet iſta pedum tam frequens agitatio. An fortaſſe titillatus ipſe te cepit? Hoc ipſum nimirum eſt

mea

mea animula. Verum ego longe te ineptior ſum, qui non à capite loturam cœperim. Senſiſti erratũ; hinc caput mihi obiicis, hinc auriculis micas. Euge lepidiſſime, vt te delectat tepidula, vt frictio tam minuta & lenis? nunc me beas, dum dentes reſtringis, dum morſiunculas tam vrbanas ludis. Hei mihi. Apage, apage animal inertiſſimum, beſtiam ingratiſſimam, vt mihi pene manũ vtramque morſibus abripuit? vt me tam obfirmato capite percuſſum in terram atque in lutum excuſſit? Arbuſcula hæc vix præſidio mihi fuit, quo minus ſtratum me atq; humi iacentem & pedibus inculcauerit, & calcibus totum diffregerit. Apage te beſtiam nequiſſimam. Hoc hoc illud eſt, tarde illud didici baiulus improuidus, homo minime conſideratus: hoc hoc, inquam, illud eſt quam vſurpatiſſimum, aſino caput qui lauent, eos operam cum ſapone amittere, in aſinũ abire, quia aſino delectetur. Quocirca fruſtra me & opera & ſumptus habuit. Sero hoc didici. Valeant poſthac & longum valeant, vel in ipſa Arcadia aſini.

TH. Continendus eſt hic ſermo. Ecce enim lupũ, quod aiunt, in fabula, ſenem nimirum, collegam noſtrum ac collocutorem ab antiquo facundiſſimum; vix viginti paſſibus à nobis abeſt. Ego ſalutatum ipſum nunc ſurgo, tu grauem vultum aduenienti exhibe, ac ſi de ipſius aduentu collocuti hic ſimus diutius. Expectatus venis atque adeo deſideratus iam diu, mihi cumprimis, & collegæ huic noſtro vtrinque amantiſſimo. Solidiſſimam nobis adfers adueniens voluptatẽ, facturus eam ſolita tua ſuauiloquentia longe ſolidiorem.

PH. Quod aduentus meus voluptatem attulerit, eſt quod magnopere mihi gratuler & gaudeã, & ſi quid eſt, quod ego ipſe vel dicendo vel reſpondendo delectare poſſim, id in voluntate ſitum eſt veſtra. Dicam, vbi iuſſeritis, aut ſi interrogare malueritis, reſpondebo.

TH. Verum nimirum eſt illud Senecæ: Vetuſtiſſima in amicitia ſunt ſuauiſſima. Non enim amicitiarum, ſicut aliarũ rerum, ſunt ſatietates. Noſtraq; adeo amicitia tanto eſt certior, quãto vetuſtior, q̃a facile mutari nõ poteſt, quod ꝑ ſecula longa cuſtoditur.

PH. Proinde ab initio ineundę amicitię deligas quem diligas, bonus bonum, quem ſyncere ames, & ab eodem identidem ſyncere redameris. Vera namq; amicitia inter bonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos conſummatur, morumque adeo cõſtantia, teſte Tacito continuatur amicitia.

EQ. Potior fuit agaſonis quondam cuiuſdam, (cuius meminit Plutarchus *in lib. de cohibenda ira*) quam illius boni viri conditio. Cum enim quidã agaſoni iratus eum vellet percutere, iſq; clamaret, Athenienſis ſum; percuſſurus, ad aſinum verſus, at tu, inquit, Athenienſis nõ es, eiq; multas plagas inflixit. Eodem omnino exemplo & noſter Philoſophus, ſi quidem tale illi accideret, inque percuſſionis præſentiſſimo periculo verſaretur, *At ego Philoſophus ſum*, inferret, atque ita plagas à ſe in aſinum deriuaret.

PH. Vnguem ſcabo. Video mihi à vobis intentari litem de aſino, & tantum non de vmbra aſini; quaſi vero ꝓbroſum ſit vehi aſino. Prouoco hac vice ad ipſius Domini Theologi cõſcientiam, equeſtrium enim virorum iudicia in hoc negotio parũ moror, quin potius deploraram atq; inconſultam quorundam incuſo præſumptionem atq; inſaniam, qui in ſola pernicitate ac fortitudine equorum, omnino id tamẽ contra expreſſam Dei inhibitionem, omnem ſuam fiduciam ac ſpem repoſitam habent, neq; id duntaxat quinetiam illorum potiorem habent rationem, quam propriæ coniugis ac liberorum, imo etiam ſui ipſius corporis. Ad me quod attinet, ſuſque deque tulerim, ſiue equo ſiue aſello, cæteris tamen paribus, vehar, modo ſat bene, & citra mei aliorumve noxam. Improperantibus vero mihi vnum alterutrumve, idem quod aliqua do Ariſtippus Philoſophus, quamuis in longe alio ac diſſimili caſu, reſponderem. Cum enim probroſe illi à quodã obiiceretur, quod haberet Laidem meretricem; quid tum? ait, ſi modo ego non habear à Laide. At vero econuerſo nõ rari, equorum quibus vehuntur ſtudio ita ſunt immerſi, vt nihil potius ducant, omneſque adeo ingenii ſui vires in vnicam equorum curam conferant. Quæ certe ſumma eſt dementia, cum peruerſa impietate coniuncta. Atque huius ſtoliditatis hiſtoriam recenſet Petrarcha *de remed. vtriuſq; fort. dial.* 31. Adhuc viuit, inquit, necdum ſenuit, & in terra Italica nobiſcum degitis, quem nominare, nõ eſt neceſſe, fortunę vtique vir ingentis, nec parui ingenii conſilii que vir, alioqui magni animi, nec inſulſi, vbi quid ſerio agendum incidit, qui tamen ægrotanti equo, quem amabat, aureum pulminar ac ſericum cubile ſubſtrauit. Cumq; ipſe interim podagra vinctus atque immobilis medicorum legibus regeretur, nihilo minus tamen aut ſeruorum vectus manibus, aut equo altero vix iniectus, & ſuos medicos ſecum ducẽs, equum ſuum ægrum bis

biſ terque quotidie viſitabat, illi ſuſpirans atque anxius aſſidebat, illũ leniter manu tractans, blando murmure ſolabatur. Quid multa? Nullum medicinæ genus intentatũ, nihil languenti amico debitum prætermiſſum fuit. Fabulam fortaſſe poſteritas vocet; vera res & magna in populo nota eſt: ſic vir fortis curam qui geſſit vt propriam, ſic extinctum luxit vt filium. Hucuſq; Petrarcha.

TH. Stolidum hoc fuit viri præſertim prudentis factum. At magis ſtolide, imò præter naturam abſque omni ratione, in pari propemodum caſu egit Caius Caligula. Is enim equum ſuum, Incitatum nomine ad cœnam adhibebat, & ei in auro hordeum apponebat, nec non in poculis aureis vinum propinabat, ſalutem eius & fortunam iurabat, Conſulemque ſe eum creaturum polliceba tur facturus, ſi diutius vixiſſet; tandem autem ipſe ſui ſacerdos fuit, & equũ ſuum collegam ſibi adſciuit, ſicut Dio *Rom. hiſt. lib. 59.* retulit.

PH. De Selimo Imperatore Turcico ſcribunt hiſtorici, quod equo ſuo vacationẽ ab omnibus laboribus dederit, eo quod eius pernicitate ex prælio, in quo à Baiazete patre ſuo, prope oppidum Chiurli victus fuit, fuga ſaluus euaſit. Eandem vacationem & pabuli libertatẽ præſtitit equo ſuo Neapolitanorum rex Ferdinãdus, qui eum è prælio, necquicquam inſequentib. hoſtibus ſaluum in tutum locum reportauit.

EQ. Italiillius, cuius paulo ante ex Petrarcha per vos facta eſt mentio, poteſt palliari aliqua ratione. Refert namque Plinius, *hiſt. nat. lib. 8. cap. 42.* equos fere iiſdem laborare morbis, quibus homines, itaque etiam eundem ſibi & equo adhibuit medicum, qui vna & eadem opera vtrique mederetur. Caii Caligulæ factũ minime quidem probandum, at cõſtat tamen etiam quamplurimis documẽtis, quorum particulam aliquam paulo poſt enarrabo, equis ineſſe iudiciũ, idq; minime aſpernandum, quum ſæpe rectoris ſui inconſultam audaciã, quæ vtrique alioqui exitium pareret, longe diuerſum moliente ipſius rectore, caute reprimat. Ad vacationem ab omnibus laboribus quod attinet, quam non rari, iiq; ſummi & cordati etiã viri, equis ſuis ſenio cõfectis impenderunt, ea cum iuris ſit naturæ, quod nemini officium ſuum eſſe debere damnoſum decernit, pinde neq; id tãtopere eſt, quod exagitetur. Idque non iure tantum naturæ ſed & decreto atque Senatuſconſulto populorum conſtat; & ſpeciem facti, quod nimirum olim in fauorẽ equi pronunciatũ fuerit, deberi illi pabulum à domino

ſuo ad dies vitæ, recenſet Sabbos Caſtilioneus in libello quodam cui titulũ *Ricordi* fecit, fuiſſe, inquiens, olim in Brutiis ſtatutum, vt is qui vellet agere contra ingratos, teneretur ſonare campanulam ad hanc rem deſtinatam. Hoc ſigno dato mox conueniebãt quidam ſenatores, ii cognita cauſa, ſi reperiebant, actorem habuiſſe iuſtas cauſas accuſandi aliquem ꝑpter ingrati animi vitiũ, mox iniungebant reo ſub graui multa cõpenſationem aliquã, & vt abſq; mora erga beneficũ gratũ ſeſe exhiberet. Accidit igitur, vt quidã diu fuiſſet vſus equo ſuo, q̃ propter ætatẽ & diuturnum laborẽ orbatus oculis, nec non ſtrigoſus, claudicãs, & prorſus inutilis factus fuerat. Ob eam cauſam expulerat eum herus domo, ita vt expers pabuli conſueti in publico muſcis præda fieret. Equus ille emeritus hinc inde claudicãs, & vmbrã quærens in locis opacis, ratus fortaſſe ſe intrare ſtabulũ, ingreſſus eſt ſacellũ, in quo erat illa cãpana, de qua dictũ eſt, cuius funiculo forte annexæ erãt frondes, quas quũ famelicus decerperet, cõmouit campanulam, vt ſignũ daret. Mox cõuenerunt, vti moris erat, iudices, & cũ nullus alius cõpareret, cõſpecto illo ſtrigoſo & famelico equo, iuſſerũt eum adduci, & domino ipſius accerſito, mandarunt illi cũ graui interminatione vt equum ſuum ad ſe reciperet, eiq; pabulum prębe, neque aliter tractaret, ac ſi adhuc eſſet integer viribus, & ad laborẽ aptus. Æquitatem n. naturalem poſcere, quoniã in præſtandis ſeruitiis apud eum conſenuiſſet, vt in ſenectute quoq; eum alat. Hoc ſtatutum ſane fuit iuſtum & æquum, nec non & ſententia illa bona & laudanda, licet lata fuerit in fauorem bruti.

TH. Plutarchus in vita Catonis, humanitatis eſſe ait, equos confectos laboribus alere, itemq; canum non catulos modo, ſed & ipſos ſenio graues. Non enim vt calceis aut vaſis vtendũ eſt rebus animatis, q̃ rupta vel attrita vſu abiiciuntur, ſed in his ſi nullam aliam ob cauſam, at vt ad humanitatem nos aſſuefaciamus, exercere manſuetudinem conuenit. Quocirca M. Porcium Catonẽ, virum alias omni laude digniſſimũ, reprehenſum legimus, quod vetulos ex familia ſeruos nedum boues venum tradendos præceperit, quodq; equum, quo conſularis vſus fuerat in Hiſpania, dimiſerit, horridumq; illum ac tetricum fuiſſe, parumq; humanitatis habuiſſe profiteatur.

PH. Recompenſam aliquã ſeruitiorum deberi equis cæteriſq; animantibus, qui inſignem aliq̃ nauarunt operam; at vero quod autores referunt, extitiſſe paſſim anti-

antiquitus pyramides, epitaphia & ſepulchra, eaque ampliſſima, q̃ in equorum memoriā conſtructa atq; erecta fuerunt, id vero nemo ſanus recte & magnifice factum pronunciabit. Debent enim ſepulchra atq; epitaphia eſſe quaſi teſſeræ futuræ reſurrectionis quæ quum nullatenus equis nec cuiq̃ alii animantiū generi præterquā homini, competat, næ illi præter officium egregiorū virorum faciunt, q in funera (vah indignū!) equorum quicquā impendunt.

TH. Equites ſane, vt interdúm impenſius ament equos, quippe quorū beneficio ac celeri curſu ſæpeè ſummis anguſtiis euadunt incolumes: At fœminas identidē tantopere amare equos, id vero ſexu fœmineo videtur indignū. Potius enim bobus & vaccis, ac colo, q̃ equorū curæ inhiare ipſas conuenit. Atq; indignum admodum eſt, imo execrādum, diriſq; omnibus deuouendū, quod Iuba memorat, equum adamatum à Semiramide regina, vſq; ad coitum *Vide Pliniū, nat. hiſt. lib. 8. c. 42.*

EQ. Omittamus hæc pauliſper, donec commodior de iis dicendi nobis occaſio dabitur. Memini ego, Dominū collegā paulò ante vmbræ aſini feciſſe mentionem. Prouerbium noui, hiſtoriam ſiue fabulam ignoro: Peto itaq;, vt mihi fabulæ iſtius originem explicare ne graueris.

PH. Nimirum, vnde digreſſa eſt noſtra oratio, ab aſino nimirum, reuertamur. Et hæc ipſa fabula, ad encomium aſini vt digrediamur, anſam nobis exhibebit admodum locupletem & commodam. Eſt autē hæc de vmbra aſini fabula: Senex pater comitatus filio adoleſcentulo, aſinum agebat ad mercatum, venditurus illum, ſi poſſet. Hos conſpicati in agro mercenarii: O homines ſtultos! inquiunt, qui vacuum aſinū præ ſe agant potius quam vt alter ipſorum vehatur, cum hic ætate ſenecta; hic puerili ſit imbecillior. Senex verū illos dicere ſentiens, filium ſuum in aſinum imponit, neq; multum viæ ꝓgreſſi, habent obuios notos ſibi homines, qui beneuolentia, vt videbatur, erga ſenem moti, reprehendere, quod ipſe potius decurſu ætatis & annis grauis defatigaretur, quam ad laborem adoleſcentulum filium aſſuefaceret. Quos & ipſos recte monere arbitratus: mutato conſilio, ipſe aſinum conſcendit & adoleſcentulum filium ſuum præire iubet. Non multùm itineris confecerant, cum audit & hoc culpantes quoſdam, quod tenellos pedes pueri exerceret itinere, ipſe ſuis calloſis parceret. Ergo aſſidere poſt ſe filium iubet. Cum autem ꝓcidiſſent in quoſdam viatores, ſalutato illi ſene,

& de quibuſdã aliis locuti, mox, ipſius ne eſſet aſellus, an vteretur conducto, interrogãt? Hic enim vero ſuum eſſe dicebat, & ſe agere ad mercatum. Bene ſcilicet, inquiunt illi, venditurus exanimatum tanto pondere vtriuſque veſtrum. Senex dicere & hos aliquid exiſtimans pedibus alligatis aſini ſuſpenſum de pertica ipſe & filius portare. Ibi vero hoc videntium maxima reprehenſio & vituperatio exſtitit: aliis vt delirum ridentibus ſenem, aliis vt captum mente miſerantibus. Tũ ille tandem perturbatus ſimul animo, ſimul indignatione percitus, & prope fluuium forte aſtiterat, aſinum in aquas præcipitem dedit. Ita dum ſermonibus hominum mouetur: aſinum miſer perdidit. Hanc fabulam aliquando coram ſenatu recitauit Demoſthenes, cum de re grauiſſima peroraret, neq; tamen Senatus, quid ab eo diceretur, attendere vellet, ſed interim nugas ageret.

E Q. Ergo ſi de re ludicra nulliuſque momẽti ſermo habetur, aut ſi quem inſenſatũ dicere aut deſcribere volumus, aſinum in proſcenium protrudimus. Recte proinde Aſinus dicitur ac deriuatur à Græco verbo a, quod eſt, *ſine*, & ſinos, quod eſt *ſenſus*, quaſi animal ſine ſenſu.

PH. Deriuationem nominis aſini quamcumq; ego ſuſque deque fero, pro ſuo namque quiſq; palato illam cõfingit. Sunt enim identidem qui à ſedendo aſinum dictum volunt, quaſi aſſedum, de quo vide Iſidorum *lib. 12.* Antequam enim vſum equorum haberent homines, ſuper aſinos ſedebant ac vehebantur. Cæterum quod aſinum ex eo deriuatũ exiſtimes, quod ſit ſine ſenſu, tu inſenſatus ipſe mihi videris. Hunc enim Hebræorum doctores fortitudinis ac roboris excelſi patientiæque, & clementiæ ſymbolum eſſe exponunt, eiuſque influxum à *Sephiroth*, quod *hochma*, hoc eſt, ſapientia dicitur, dependere. Eius namque conditionis ſapiẽtiæ diſcipulo neceſſariæ maximæ ſunt, viuit enim exiguo pabulo, eoque qualicunq; contentus, tolerantiſſimus penuriæ, famis, laboris, plagarum, negligentiæ, omniſque perſecutionis patiẽtiſſimus, ſimpliciſſimi ac pauperrimi ſpiritus, vt nec inter lactucas & carduos diſcernere ſciat, corde innocenti ac mundo, ac bili carens, cum omnibus animantibus pacem habens, omnibuſque oneribus patienter dorſum ſupponens, in quorũ remunerationem caret pediculis: raro morbis afficitur, tardiuſque, quã vllum armentũ deficit. Plurima, inquit Columella, aſini & neceſſaria opera ſupra portionem reſpondent, cum & facilem terram

aratro

Digitized by Google

aratro proſcindat, & nõ minimo pondere vehicula trahit. Iam vero molarum & conſciendi frumẽti pene ſolennis eſt huius pecoris labor, omne rus tam neceſſarium inſtrumentum deſiderat aſellum, qui pleraque vtenſilia, & vehere in vrbem, & reportare collo vel dorſo commode poteſt. In augurio etiam, quam ſalutaris nuntius ſit aſinus, teſtatur Valerius de C. Mario, qui olim Auſtri & Aquilonis domitor tandem patriæ hoſtis declaratus, cũ Sylla ipſum perſequeretur, conſultore ac duce aſino Syllæ minas euaſit, aſinum authorem fugæ & ſalutis habuit.

TH. Quinetiam in veteri lege Deus ipſe aſini habuit rationem, vt cum iuberet omne primogenitum occidi in ſacrificium, ſolis aſinis cum hominib. pepercerit, videlicet permittens hominem pretio redimi, & pro aſino ouem commutari: hunc, quæ conſtans fama eſt, Chriſtus ſuæ natiuitatis teſtem eſſe voluit, in hoc à manibus Herodis ſaluari voluit, atque ipſe aſinus etiã contactu corporis Chriſti conſecratus eſt, crucisq; ſignaculo inſignitus: nam Chriſtus ipſe pro redemptione humani generis triumphaturus aſcendens in Hieruſalem, teſtibus Euangeliſtis hunc victorem conſcendit, ſicut id magnǫ myſterio per Zachariæ oraculum prædictum fuit, & ipſe electorum pater Abraham aſino tãtum equitaſſe legitur, vt nõ inane ſit illud apud vulgus, vetus prouerbium, quod dicitur: Aſinum portare myſteria.

PH. Sed & Ammonius Alexandrinus, D. Origenis & Porphyrii præceptor Philoſophus & Chriſtianus, aſinũ, qui tamen ab equite noſtro omnium animaliũ ſtupidiſſimus exiſtimatur, ſapientiæ auditorem habuiſſe dicitur, *teſte Suida apud Volaterranum lib. 13. ca. 3.* Et Apuleius ille Megarenſis ad Iſidis ſacra myſteria nunquã admiſſus fuiſſet, ni prius è Philoſopho verſus fuiſſet in aſinũ. Narrat etiam Carolus Sigonius *de regno Italiæ, lib. 16.* Anno 366. ſub horam diei cuiuſdam tertiã, Piſtorii, ſpectantibus multis, aſinum non ſine omine excelſum tribunal aſcendiſſe, atque ibi ruditum vſq; adeo compoſitum edidiſſe, vt populũ accurrentem alloqui, & quædam velle dicere ipſis videretur.

TH. Quinetiam ex ſacra bibliorum hiſtoria ſcimus aſinum aliquãdo prophetico ſpiritu donatũ, nam cum Balaam vir ſciens & propheta exiret, vt maledicetet populo Iſrael, angelum Domini nõ vidit, vidit autem aſinus, & humana voce ad ſeſſorem Balaam locutus eſt. Nonne Samſon in maxilla aſini, in mãdibula pulli

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aſinarum percuſſit, & deleuit viros Philiſteorum: ſitiensq; orauit dominum, qui aperuit molarem dentē in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt aquæ viuæ, quib. hauſtis refocillati ſunt ſpiritus & vires eius? Nonne Chriſtus in bucca aſinorum ſuorum ſimpliciū & rudium idiotarū apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum vicit & pcuſſit oēs philoſophos gentium & legiſperitos Iudæorum omnemq; humanā ſapientiam proſtrauit atq; confecit, ppinans nobis ex illorū ſuorum aſinorum maxilla aquas vitæ & ſapientiæ æternæ? Quinetiam aſinus & leo cadauer Prophetæ cuiuſdam cuſtodiuerunt. *1. Reg. 13.*

PH. Sunt præterea multa quoq; alia, quæ aſinos non omnino eſſe ſtupidos atq; inſenſatos euidenter arguunt, qualia ſunt, quod aſina paritura lucem fugit, & tenebras quærit, ne conſpiciatur ab homine. Per ignes ad fœtus tendunt. Et tametſi, mirum dictu, ſitiunt, tamen ſi aquæ aſſuetæ immutentur, vt bibant, cogendę exorandæve ſunt. Nec niſi ſpatioſa incubitant laxitate. Varia namque ſomno viſa concipiunt, ictu pedum crebro: qui niſi per inane emicuerit, repulſu durioris materiæ claudicatem illico affert.

TH. Atq; hinc hauddubie eſt, quod tanti apud antiquos fuerūt æſtimati atque diuenditi. Refert namque Plinius *lib. 8. natur. hiſt. cap. 43.* in Celtiberia ſingulas quadragenis millibus nummorum emi; pullosq; earum epulari, Mecœnatem inſtituiſſe, multumque eo tēpore onagris prælatos fuiſſe, idem Plinius autor eſt; qui inſuper multa quæ ab aſinis medicamenta deſumuntur, recenſet, cumprimis vero lac aſininum in arcanis eiuſque remedia multa, oſſa aſinina contra venena exhiberi; eiuſdem renes veſicæ mederi, carnes phthiſicis mederi, pelles aſininas impauidos infantes facere, ſed & præterea ſeui aſinini, ſanguinis, fimi & vrinæ remedia aliquot efficaciſſima enumerat.

EQ. Scilicet, & ob id etiam in tanta eſt æſtimatione, vt etiam Baccho aſſignetur, quem depotet. Rationē vero huius aſſignationis Plinius *hiſt. nat. lib. 24. ca. 1.* hanc reddit: Ferulæ (inquit) aſinis gratiſſimæ ſunt in pabulo, cæteris vero iumentis pręſentaneo veneno; qua de cauſa id animal Libero patri aſſignatur, cui & ferula. Quinetiam idem Plinius, Afros aſini & anus opera arare memorat. Atque hinc non ſine ratione Plato *in Phædone*, homines qui fœdis cōcupiſcentiis manus dederint, ventrique dediti per inertiam atque laſciuiam, ingloriam inutilemque peregerint vitam,

vitam, nec quicquam penſi pudorisve habuerint, in Aſinos poſt obitum deiici. Et vndenam quæſo ille in ſacra ſcriptura vſitatus loquendi modus, de ſepultura aſini, qui aliquoties extat, quando fit ſermo de impiis, qui honorifica caruerunt ſepultura. Sane, vt dicit Baſilius, ſi homo corporis voluptate fœdatur, obediendo ventris luxuriis, comparatus eſt iumentis inſipientibus (atque adeo aſinis) & ſimilis factus eſt illis. Cæterũ miror, quod nõ etiam nouercale illud odium, quod paſſeres & corui illum ad internecionem vſq; proſequuntur, enũmeras, quippe ad elogiũ aſininum non exiguum habiturum eſſet momenti; id vero ita recenſet Bartholomeus Anglicus: Aſinus minutis auibus inter ſpineta & cardineta admodum eſt exoſus, & ideo minuti paſſeres pugnant contra eum, quia comedit ſpinas, in quibus nidificant paſſeres illi, & confricat ſe ad ſpinas illas, vnde decidunt pulli eorum paſſerum ſiue oua, in terram, & quando aſinus rudit, tunc ex eleuatione capitis & intenſiori flatu ſpinæ mouentur, terrenturq; auiculæ ex horrendo illo ſonitu ſeu rugitu, fugiuntque è nidis ſuis; hinc eſt quod auiculæ matres inuolant in faciem aſini, eiuſque oculos, vel ſi quæ in corpore aſinus habet vulnera, roſtro impetunt ac pungunt, vſque adeo, vt auicularum vim ferre non valens, loco abſcedere cogatur. Sed & coruus valde impetit aſinum, inuolat namque identidem in faciem aſini, roſtroque ſuo oculos aſini eruere machinatur, ſed profunditas oculorum & ſpiſſitudo corũ ciliorum quo minus tam facile ab auibus lædi poſſit, impedit.

TH. Plus æquo hiſce næniis immoramur. Itaque ad ſeria magis digrediamur. Et quia in ſermonem de aſinis incidimus, occurrit mihi iam factum quoddam execrandum, quod de Petro Sermonetano, qui Minorum ordinem profeſſus fuit, refert Fulgoſius, *libr. nono, capite vndecimo*, quod nimirum Chriſtianam hoſtiam aſini ori manducandam inſeruerit, vt dæmones in magica arte ſibi facerent fauentes.

EQ. Sed & hoc horrendum maxime, imo dignum quod fulmine vindicetur, eſt quod referam, ipſius Iouiani Pontani verbis, *libro quinto de bello Neapolitan. fol. mihi quingenteſimo ſeptuageſimo quarto.* Inuenti, inquit, ex oppidanis atq; obſeſſis (Sueſſæ oppidi) ſunt, qui nocturnis in tenebris, deceptis caſtrorũ vigiliis, per aſperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes ſecum imagi-

Digitized by Google

imaginem affixi ad crucē Chriſti, maledictis illā prius, ac diro perſecuti carmine, poſt in mare exe crabūdi immerſerint, cœlo, mari, terriſque tempeſtatem imprecati. Quo etiam tempore ſacerdotes quidam mortalium omniū ſceleſtiſſimi, dum ſatisfacere ꝓ fanis militum artibus ſtudent, ritum nefarium ſecuti, quo, vt dictum eſt, in huiuſmodi neceſſitatibus elici hymbres putantur, aſino pro ædis foribus conſtituto, tanquam agenti animā cecinere funeſtum carmen. Poſt diuina Euchariſtia in illius os, palatum que iniecta, conclamatum aſinū funereis cantibus, viuum tādem ibidē pro templi foribus humauere. Hic vero vix dum dum perfecto ſacto obnubeſcere aër, ac mare agitari ventis cū cœpiſſet, dieſq; medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlum, terræque horreſcerent, volitarent euulſæ ventis arbores, diſciſſaq; fulminibus ſaxa cōplerent auras fragoribus: prorupit tanta è nimbis pluuia, hymbreſque tam validi, vt non ciſternæ modo colligendis aquis ſatis nō eſſent, ſed arentia ſaxa, rupeſque exuſtæ ſolibus, torrentes vndequaq; prolapſos diffunderent. Itaque rex, qui ſola in ſiti potiundi oppidi ſpem collocauerat, fruſtra ab ea habitus, ad Sauonem vetera in caſtra rediit.

EQ. Execrandū id omnino facinus fuit, quod nemo Chriſtianus comprobare poteſt. Sed neque exiſtimandum, Deum iratū pro hoc immani ſcelere, beneficium ipſis retuliſſe. Nam (vt idē Pontanus mox ſubiungit,) quo maiores inualuerunt æſtus, cœlique ac terræ ſiccitates, eo tempeſtates conſueuere poſt ſequi fœdiores nimbique magis procelloſi.

PH. Nemo ſanus factum iſtud execrādum ſacerdotum probat; ſed neque etiam illud probandū eſt, quod ſtulte atq; inſipienter, imo omnino improbe, equis trophæa atque epitaphia à quibuſdam ſtatuuntur. Legimus namq; paſſim in hiſtoriis de monimentis equarum, quæ tres olympicas victorias reportarūt, vt Herodotus teſtis eſt. Celebrantur quoq; ſepulchra equorum & equarum. Apud Dionem de Boryſthene equo Adriani Cæſaris legitur, quo in venando plurimum vtebatur, cuique mortuo ſepulchrū fecit, columnā erexit, & epigramma inſcripſit. Iulius Capitolinus etiam memoriæ tradidit, Verum Imperatorem equo ſuo volucri (quem ita amauit, vt aureum ei ſimulachrum fecerit, & paſſas vuas nucleoſque in vicem hordei in præſepe poſuerit) ſepulchrum in Vaticano fieri curaſſe. Sic rex Poloniæ

Equorum epitaphia.

Polonię Stephanus, equo ſuo generoſiſſimo, qui eodem die, quo frater eius Dominu. Tranſſylvaniæ extinctus eſt, exanimis concidit, in loco, quo non procul ab arce Vilnenſi defoſſus eſt, monumentum erigi curauit.

E.Q. Quid hoc mirum? quum hodie etiam adhuc Romæ in vinea Cardinalis Sermonettæ monumentum ſane ridiculū Mulæ, (vt de equo ad genus aſini num denuo veniamus) conſpiciatur, quod eſt huiuſmodi: *Dis pedibus ſaxum: Chiuedia dorſifera & cluniferæ ac pſſuetæ & manſueta, cuius vt inſultura deſultura cōn oditur, Publ. Craſſus mula ſua craſſe beneferenti ſuppedaneum hoc cum riſu poſ. vexit ann. 3. menſ. 15. dietnoct. 2½.*

TH. In ipſius Bileami aſinam, quandantenus poſſet quadrare atque accommodati hocce epitaphium, quippe, & ipſa in exprobratione, aduerſus Bileam, *Nonne*, inquit, *animal tuum ſum, cui ſemper inſediſti vſq; in præſentē diem, Num. 22.* Et niſi tunc temporis aſina de via declinaſſet, actum omnino fuiſſet de vita Bileami, quippe quem alioqui angelus fuerat occiſurus. Et ſimile propemodum quippiam de Albino Longobardorū rege legimus. Is enim, quū poſt triennalem obſidionem Papienſes ſiue Ticinenſes certis & honeſtis conditionib. à rege ſubſignatis, ſeſe dedidiſſent, vrbemque is prodeuntibus obuiam ciuibus, nihilominus intrare hoſtili animo totuoq; vultu immane animum aperte prodente, cum exercitu conſtituiſſet: Tū repente in ipſius portæ limine, Alboini equus, rege ornatu regio inſidente cōcidit: quem erigere conati aſtantes fato deiectū, vtrumque immotum ſenſere, caſumq; admirati regē monuere, vt iram quam in Papienſes delendos occulte fouebat animo, dimitteret, vrbemque ſeruare conſtitueret. Inuaſit illico perpetrandi ſceleris pœnitentia regis animum, mutataq; ſententia, ſenſit ſimul fata commutari, huiuſcemodi voce emiſſa: Salua ſint ciuitatis iura, & quæ ſpopondi, fiant eodem actu: quam vocem poſtquam emiſit rex, mox ſurrexit ſine impulſore equus.

E.Q. Eſt certe in equis peculiaris quædam naturæ ſagacitas, atq; etiam generoſitas, quæ multis poſſet exemplis demonſtrari. Præ cæteris vero memoria dignū eſt, quod à Nicera Choniate in ſua hiſtoria de Alexii Imp. Græcorum (qui fratrē Iſaacium optime de eo meritum proditorie regno eiecerat oculiſque priuaue rat) recenſetur. Cum enim is è templo rediens, equum hunc conſcendiſſet, ab eo veluti rationis & ſenſus eſſet capax & tyrannum ac fratricidā agnoſceret, hinnitu

& morſibus & calcibus, exagitatus, eius tandem dorſo deiicitur, & gemmata corona capite excutitur: Secundo quoque adducto equo idem illi contigit, quo inauſpicato omine infelix Alexii exitus facile denunciatus fuit. Non ſemel quoque audiui à nobili quodam Equite viro militari & aperto, ſe aliquoties equi ſui induſtria inſidias hoſtiles vitaſſe, inprimis autem quum aliquando flumen Mœnum, vado ſibi noto, tranſire vellet, & hoſtium ſclopetarii in altera ripa in inſidiis deliteſcentes ipſum & turmam equitum, quos ipſe ducebat, obſeruarent; in medio flumine equum ſuum, alioquin ad omnia morigerum & imperterritum, arrectis auribus ſubſtitiſſe, moxque veluti attonitum retroceſſiſſe, neque calcaribus, voce aliove modo, præter conſuetudinem ſuam, vlterius impelli potuiſſe: donec mox patefactis inſidiis, equi ſagacitatem admiratus, libere confeſſus fuerit, ſe diuinitus equi virtute ſeruatum fuiſſe. Si enim paſſum vnum atq; alterum vlterius proceſſiſſet, hoſtium globis, veluti meta expoſitus fuiſſet. Notabile quoque eſt, quod Ioann. Lup. Hiſpanus (qui citatur à Nicolao Boerio) refert, audiſſe ſe videlicet à fide digno homine, qui propriis oculis id viderit, quod in prouincia Behiæ, generoſiſſimus equus propter inceſtum cum matre ſua commiſſum ad quem committendum arte & vnguentis pellectus fuerat, cognito crimine, morſu ſibi ipſi genitalia magna cum admiratione aſtantium, abſciderit. Generoſa indoles etiam fuit in equo regis Antiochi. Cum enim eum Contraretius Galata in prælio occidiſſet, & equum regium tanquam bello partum conſcendiſſet: Mox viſus eſt equus ſentire, tergo ſuo domini hoſtem inſidere. Itaque dentibus apprehenſo freno, vt nulla ratione iam habenis regi poſſet, ad altiſſimum ſaxum citato curſu contendit, atque ab eo ſe inſidentemque ſimul hoſtem præcipitauit, ſua domini ſui mortem vltus.

PH. Eſt equidem hoc animal familiare & obſequens hominibus, non ſecus ac canes, domitumque facile manſueſcit: Sed enim ex aduerſo quoque ferum eſt & indomitum, quemadmodum etiam iratum, iis præſertim, quibus ignotum & rarum eſt, terribile eſſe ſolet. Vnde non fruſtra à Poeta dicitur de equis:

—— *Spirantes naribus ignem.*

EQ. Iſtarum furiarum ipſi

vr

vt plurimum homines ſunt autores atque architecti, proinde ſi quid infortunii ex equorum ferocia infertur, ſibiipſis imputent. Noſtri homines nunquam fere, niſi furentes adoriuntur equos, tum ſcuticæ & furcillæ maxime ſunt negotioſæ, cum vel ira vel ebrietate inſaniunt miniſtri. Ibi certe patientia ſæpius læſa tandem fit furor. Nam experientia teſtatur; niſi forte vel morbo (nam & rabie equi corripiuntur vt canes,) vel ira inſaniat equus, non facile hominem ab hoc lædi, maxime ætatis aut ſexus imbecillioris. Itaque mordaces iſti & calcitrones, non fere niſi irritati, aut opinione aut metu offenſæ ferociunt.

TH. In hoc certe genere canis, quantumuis alioqui ferox atque impatiens eſt animal, longe mitior eſt, non enim facile, dominum præſertim ſuum, etiamſi multis ac duris affectus plagis, lædit, quin potius ſubito ad blanditias vel minimas heri ſui, ei quaſi fit ſupplex. Atque ob hanc opinor cauſam, ob amorem inquam ſingularem canum, erga ſuos dominos, Græci κύνα vocarunt, quod amaſium ſonat: quamlibet enim à domino quandoque cædatur, ab eo tamen non diſcedit, quin potius ad eius pedes aduolutus flebilibus oculis illum contuetur, quaſi culpam agnoſceret & pœnam deprecaretur. Vnde manauit vocabulum προσκύνησις, quæ ſummam animi ſubmiſſionem cum ſumma obſeruantia coniunctam ſignificat, qua ſe Chriſtiani proſternunt, ante faciem & tremendam maieſtatem Dei, ſuas apud illum preces cum ingenua peccatorum confeſſione effundentes.

PH. Multa de canibus admiratione & commemoratione digna recenſet Plinius hiſtor. naturalis *libro octauo, capite quadrageſimo.* Fideliſſimum, inquit, ante omnia, animal homini canis atque equus. Pugnaſſe aduerſus latrones canem pro domino accepimus, confectumque plagis à corpore non receſſiſſe, volucres & feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conuentu percuſſorem domini, laniatu & latratu coactum fateri ſcelus. Garamantum regem canes ducenti àb exilio reduxere, præliati contra reſiſtentes. Propter bella Colophonii itemque Caſtabalenſes, cohortes canum habuere; eæ primæ dimicabãt, in acie nunquam detrectãtes. Hæc erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga. Canes defendere Cimbris cæſis

domos eorum plauſtris impoſitas. Canis Iaſone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediaque conſumptus eſt. Is vero cui nomen Hircani reddidit Ducis, accenſo regis Lyſimachi rogo, iniecit ſe flammæ: ſimiliterque Hieronis regis Appio Iunio & P. Silio Coſſ. cum animaduerteretur, ex cauſa Neronis Germanici filii, in T. Sabinum & ſeruitia eius, vnius ex his canis nec à carcere abigi potuit, nec à corpore receſſit, abiecto in gradibus gemoniis mœſtos edidit vlulatus, magna populi Romani corona circumſtante: ex qua cum quidam ei cibum obieciſſet, ad os defuncti tulit. Innatauit idem cadauere in Tiberim abiecto, ſuſtentare conatus, effuſa multitudine ad ſpectãdum animalis fidem. Soli dominum nouere, & ignotum quoque ſi repẽte veniat, intelligunt. Soli nomina ſua, ſoli vocem domeſticã agnoſcunt. Itinera quãuis lõga, meminere. Nec vlli præter hominem memoria maior. Impetus eorum & ſæuitia mitigatur ab homine, conſidente humi. In venatu ſolertia & ſagacitas præcipua eſt. Scrutatur veſtigia atque perſequitur, comitem tantam ad feram inquiſitorem loro trahens: qua viſa, quam ſilens & occulta, quam ſignificãs demonſtratio eſt, cauda primum, deinde roſtro. Ergo etiam ſenecta feſſos cœcoſque ac debiles ſinu ferunt, ventos & odorem captantes, prodenteſque roſtro cubilia Certum etiã eſt, iuxta Nili amnẽ currentes lambere, ne crocodilorum auiditati occaſionem prębeant. Hucuſque Plinius.

TH. Canem ſymbolum Doctoris eſſe, nõ de vetuſto tantum nomine, ſed etiam ex Eſaia conſtat, apud quem ipſe Dominus dicit: ſpeculatores eius cœci oẽs, neſcierunt vniuerſi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatẽ, ipſi paſtores ignorauerũt intelligentiam Hic audimus Doctores ſiue Epiſcopos vocari canes: quoniam ipſorum ſit, tum ſcire & videre, quid in omnibus fieri oporteat: tum alta voce & magno animo docere veritatẽ, & lupos omnes à grege, quem cuſtodiendum acceperunt, arcere: quo etiam innuit, neminem niſi ſagacem iter ad viam veritatis poſſe monſtrare: eumque qui docet, animoſũm eſſe debere, & audacter latrare contra ignorantes. Cumque Doctores vocat Deus canes mutos, accuſat eos, quod nõ ſolum non doceant, & latrent contra ignorantes: ſed ne ipſi quidem videãt & ſciant veritatem. Tum etiam tãtum abeſſe, vt gregem paſcentem contra lupos cuſtodiant; vt ipſi-

Digitized by Google

ipſimet perpetuo prędis inhient, auaritia nunquam ſatianda. Non habere itaq; eos, quæ in bono cane laudanda ſunt; ſed ea quæ in hoc animali ſunt vituperanda, voracitatem ſcilicet & impudentiam, & pro vigilia altum ſoporem.

PH. Narrat Alexander ab Alexandro *in libris dierum genialiũ*, quo tempore Tarquinius regno pulſus fuit, canem locutũ fuiſſe, ſerpentemque latraſſe: quo portento, inquit Alexander, perniciem & exilium ſibi mox futurũ, oſtenſum eſt.

EQ. Narrant etiam, caniculam aliquando philoſophi cuiuſdam perminxiſſe pallium. Hanc vero hiſtoriam Lucianus recenſet his verbis: Neq; vero, inquit, tibi referre grauabor, quod mihi Theſmopolis iſte Stoicus narrauit ſibi accidiſſe, rem profectò nimis quam ridiculam, quæ tamen eadem poſſit & alii cuiuis accidere. Conuiuebat enim cum opulenta quadam ac delicata muliere ex illuſtribus iſtis & vrbanis. Eam quum aliquando peregre proficiſceretur (nam id primum aiebat ſibi maximopere deridiculum accidiſſe) in curru ſibi, viro nimirũ Philoſopho, adiunxiſſe cinœdum quempiam, picatis cruribus, deraſa barba. Quem illa honoris (vt coniicio) gratia ſecum ducebat. Quin nomen quoque cinœdi commemorabat, aiebat enim Chelidonium vocari imprimũ illud cuiuſmodi fuerit, vide: iuxta virum ſeuerum tetricumque, tum ſenem canoque mento (ſcis autem quam profundam ac venerabilem barbam habuerit Theſmopolis) aſſid re nihili hominem & effœminatum, picturatis oculis, lubrico vultu, fracta ceruice, non chelidonem, (per Iouem) id eſt, hirundinem, ſed vulturem magis reuulſis barbæ plumis. Quod ni magnopere illum fuiſſet deprecatus ne faceret, futurum fuiſſe vt flammeum etiam in capite geſtans aſſideret. Præterea autem perpetuo hoc itinere moleſtias innumerabiles pertuliſſe ſeſe, illo cantillante, garrienteque, demum (niſi idem hominem coercuiſſet) in rheda etiam ſaltante. Addebat ſecundo loco, tale quiddam ſibi fuiſſe mandatum. Acceerſito illi mulier, Theſmopoli inquit, ita tibi Dii benefaciant, magnum quoddam officium abs te requiram, quod caue recuſes, neque expectes, vt quicquid te ſim rogatura ſtudioſius. Atque hoc (vt eſt credibile) omnia ſe facturum pollicito, hoc, inquit, te rogo, quandó quidem video te virum probum, diligentem, & amantem, Caniculam, quam noſti, Myrrhinam in vehiculum recipe, eamque mihi ſerua, curans ne quid illi deſit. Nam

miſera grauida eſt, atque adeo propemodũ iam propinqua partui. At iſti ſceleſti & immorigeri miniſtri, non dicam huius, ſed ne mei quidem ipſius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare ne tę putes mihi mediocre beneficium facturum, ſi chariſſimam mihi iucundiſſimamque caniculam ſeruaris. Recepit Theſmopolis, quum illa tantopere rogaret, ac propemodum etiam fleret.

Porro ſpectaculum erat ſupra modum ridiculum. Canicula è pallio prominens proſpectansq; paulo infra barbam ac ſubinde immeiens (tametſi hæc quidem Theſmopolis reticuit) ac gracili voce latrans (huiuſmodi enim catellæ iam in deliciis ſunt) neque non Philoſophi mentum oblingens, maxime ſi quid pridiani iuris inhæreret. Porro cinœdus aſſeſſor ille, quum non inſulſe ſuper conuiuium dicteria quædam iecisset in eos, qui aderant, ac denique & ad Theſmopolim vſque dicacitas perueniſſet; de Theſmopolide, inquit, vnum hoc poſſum dicere, eum è Stoico Cynicum iam nobis eſſe factum. Equidem caniculam etiam peperiſſe in Theſmopolidis pallio.

PH. Nimirum ergo & ſordidum quandoque atq; impurum animal canis eſt, multiſque ſcatet vitiis caninis, quorum intuitu vſque adeo eos execrantur, vt nullum propemodum canem ferre queant. Certe Benedictus Arias de canibus eorumque natura ac moribus non admodum dextre ſentit. Canis, inquit, ingenio, & ſenſu valet acutiſſimo, & tamen affectibus eſt immodicis præditus, amoris, libidinis, odii & inimicitiarum, atque crudelitatis, & ſæuitiæ: præterea immundus eſt, & omnia comedens etiam putrida & immunda, atque ſalaciſſimus etiam, turpiſſimoque libidinis ſpectaculo notatus, inter homines educatus, nec ab humana carne abſtinet, ſanguinis etiam lingendi aui diſſimus; ſæpiſſime mingit, & vbique. Hæc adeo naturæ obſeruatio effecit, vt in contemptibilium & crudelium, vel prophanarum, vel alias abominandarum perſonarum ſignificatione oſtendenda, canis nomen vſurpetur. Neque vero homines tantum, ſed res quoque reiiciendæ canibus deſtinantur, vt execrabiles. Namque canis nec ad ſancta admittitur in ſacrificium; nec ipſe partem aliquam ſacrificii comedere permittitur. Ingratum, importunum, & moleſtum aliquando ſignificat ca-

nis

nis, cuius officium tametſi conſtet, tamen ingratum ſit, vt: *Nunquid caput canis ego ſum aduerſus Iudam hodie?* execrabilem quoque & deſpectum ſignificat, vt: *Quare maledixit canis hic moriturus domino meo Regi?* Et, *quid enim ſum ſeruus tuus canis, vt faciam rem iſtam magnam?* Et, *melior eſt, canis viuus leone mortuo.* Inimicum etiam, & inuidentem, detractoremque refert, vt: *Circumdederunt me canes multi. Erue de manu canis vnicam meam.* Periculum imprudenter aditum, ſignificat illud prouerbium, *ſicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.* Pro gentilibus & prophanis hominibus ac vitio deditis, & diſciplinæ contemptoribus, impuriſque animis: *Quid ſancto homini ad canem?* Et, *Nolite ſanctum dare canibus.* Et, *non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Et, *videte canes, videte operarios.* Et, *canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Et, *foris canes, venefici, impudici & homicidæ.* Memorabile quoque eſt, olim inſignis infamiæ indicium fuiſſe, ſi canem, vel circa caſtra, vel ad locum certum rebellis, vel aliorum criminum reus, in humeris portare coactus eſſet.

Eſtque elegans ratio nobiliſſimi Chriſtophori Pflugii, ibi relata, canem à nobili portatum fuiſſe ideo, vt eum officii ſui neglecti admoneret, quod erat excubare in aula, & Regem cuſtodire ac defendere. De hac pœna, & ſumma ignominia, ſi aliquis canem, aut in conuentu publico, aut curia regis, ſinu portare cogeretur, tanquam indicium læſæ maieſtatis, ſcribit quoque Georgius Fabricius.

TH. De Auguſto Cæſare extat huic negotio non incommoda hiſtoria. Cum enim aliquando exteræ cuiuſdam nationis legati ad ipſum venirent, caneſque delicatulos lecticis atque puluinaribus inſidentes ſibi præferri curarent, qua quidem pompa canina ſibi admodum videbantur egregii, Auguſtus taxare volens præpoſterum hoc ipſorum pompæ genus, priuſquam libertatem dicendi ipſis daret, quæſiuit primum, annon ipſorum vxores domi habeant liberos, quibus cum delitiarentur; haud obſcure innuens, omnino illos præter dignitatem paternam facere, quod maiorem canum, quibus puluinaria ſubſternerent, ac ſeruos conducerent, quam liberorum haberent rationem.

PH. Ve-

PH. Vere hæc & omnino regie dixit Auguſtus. Et longe aliter Ægyptii, quam hi legati delicatuli de canibus ſenſerũt. Illi namque in ſuis hieroglyphicis, adulatorem, & mordacem ſimul ſeueram, per canis imaginẽ oſtendere voluerunt, quorum alter in obſequium plus æquo pronus, & alter quælibet in quemuis opprobria fingere ſæuus. Diogenica, inquit Pierius Valerius, hæc eſt interpretatio, ipſius de ſe teſtimonio. Nam is interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta canis nomẽ vulgo ſortitus eſſet. Quia, reſpondit, dantibus blandior, nõ dantibus oblatro, malos etiam mordeo. Quin & coniectores, vt apud Hebræos legi, eum qui per nocturnam quietem imaginatus ſit canem videre, obtrectatoribus obiectum fore præſagiunt. Impudentiæ quoque ſymbolum, canem fuiſſe, idẽ Pierius demonſtrat, inprimis quod apud Homerum Helena ſe canem accuſet, vtpote quæ fuerit tot malorum cauſa atq; auctor.

Apud eundem Agamemnon quoque accuſatus ab Achille κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Canis enim oculum, teſte Polluce, habere dicetur is, qui nimio plus impudens eſt. Petulantiæ quoque ſignum imago canis fuit: Milites enim qui petulantes iuniores appellabantur ſub Magiſtro militum per Illyricum, canem luteum in rubra parma præferebant, in cuius medio orbis erat lutei coloris, canis ſuperne pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis.

TH. Ex his propemodum ratio videtur poſſe elici, quare ex lege Pompeia de parricidis, vna cum parricida, præter gallũ gallinaceum, viperam & ſimiam canis quoque culeo inſuatur. Etſi autem non vulgares rationes adinuentæ ſunt, quare malefico, tot animalia diuerſæ naturæ, adiungantur, tamen iis aſſentior, qui cenſent, canem ideo comitem pœnæ adhibitum eſſe, vt ſceleratum hominem oſtendat, & immundum, qui parentem occiderit, ſicuti Virgilius canes immundos appellat, & Horatius, canes immundos & obſcœnos nominat. Vnde Plutarchus ſcribit, canem in Athenienſem arcem admitti fas non eſſe, nec Delum inſulam attingere ob eam cauſam, permiſſum, quod immundi ſint, & in propatulo & paſſim coeant. Qua in re aliorum animalium diſſimiles ſunt. Vnde Diuus Auguſtinus monet, filiorũ procreationi operam dandam, non canino more, ſed honeſto ordine coniugali.

EQ. Immundum & luxurioſum animal, multaque in eo apparere reprehenſione admodum digna. Sed enim vt in hominibus,

bus, ſic etiam in canibus eſt quædam generoſitas, quæ ſecundum magis & minus ſeſe in illis exhibet. In cuius rei exemplum ac teſtimonium recitat Pierius, apud veteres ſcriptores legi, Vulcani templum prope Ætnam Siciliæ montem fuiſſe, cuius lucum incolerent canes (ſicut Romæ ante ædes Vulcani in circo Flaminio canes fuiſſe fabulantur, ſacrilegos tantum allatrantes, vt Martianus refert) qui caſte pieq; adeuntibus abblandirentur, impuros vero pollutoſq; rem quaſi diuinitus præſagientes, miſerabiliter lacerarent.

TH. Quinetiam canes, quantumuis natura ſint feroces, præſertim incitati ac iuſſi à ſuis dominis, adeo tamen canes ipſos nonnunquam huius ſæuitiæ puduit, vt crudelitatis alienæ miniſterio fungi non ſuſtinerent. Huius rei memorabile vnum referā. Didaco Salazari, (cuius inter San-Ioannis inſulæ primos occupatores celebre adhuc nomē eſt) canis erat moloſſus, acer & Barbaris inprimis infeſtus, Bezerrillum vocabant. Nocte quæ diem, quo Caciquum Mabodomacam prælio Hiſpani vicerunt, ſequuta eſt, Salazar canem aduerſus Indicam anum quæ inter captiuos erat, emittere conſtituit. Id vt cōmodius faceret, epiſtolam tradit vetulæ perferendam ad Gubernatorem, qui duobus inde forte miliaribus aberat: ſed eo conſilio vt ſimulatq; à ſuorum conſpectu ablata eſſet, canem in eam ſolueret. Ea quum læta abiret, ſperans ſe huius epiſtolæ beneficio libertatem conſequuturam, vixque inde lapidis iactu abeſſet: Salazer canem emittit: is vetulā facile aſſequitur. Miſera anus, vbi moloſſum furibundum ad ſe recta tendere videt, humi reſidens, his eum idiomatis ſui verbis mulcere incipit: Domine canis, domine canis, ego fero iſtas litteras ad Gubernatorem: obſignatam epiſtolā ei oſtendens: & addens, Ne ſæuias in me, domine canis. Hic canis, velut ſupplices illas & abiectas preces ſenſiſſet, protinus mitigato impetu ſubſtitit, & ſublato altero crure, vt canes ad parietē ſolent, eam perminxit. Ea res Hiſpanis, qui ferociam & ſæuitiam animalis nouerāt, miraculo fuit: puduitq; ipſos fœminam interficere, cui canis pepercisset. *Ouied. Hiſt. Ind. lib. 16. cap. 11.*

EV. Nimirum hoc fuit generoſi canis euidēs indicium. Conſimile propemodum, quamuis in diſſimili caſu refertur, de cane, qui dono datus fuerat Alexandro Magno, quæ hiſtoria ſic ab autoribus recenſetur: Indiam petenti Alexandro Magno, rex Albaniæ dono dederat inuſitatę magnitu-

TH. Epitaphia brutorum valde improbo. Satis eſt, naturam canum noſcere, & quomodo humano vſui accõmodari poſſint, dignoſcere. Cæterum vt inſuper aliquid de canibus dicam: ſigna probi & generoſi canis ſunt: ſi toroſus, magnus, venoſa fronte ac lata, oculis nigris flammeisq́; auribus tenuibus ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoſo, ſpatulæ ab humeris paulo recedẽtes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter ſe diſtantibus, villo tenui ac denſo, colore non omnino vno, ſed mixto. Cæterum Athenæus naturam canis quatuor elogiis prædicat: Olfactus, inquit, ſenſu cæteris animalibus præcunt, quo diſcernunt & vtilia ſibi & noxia: deinde quod cicures ac manſueti cum hominibus degunt: tum etiam quod domum cuſtodiunt: & poſtremo, quod ſupra omniũ reliquorum ingenium, eorum vitam fortiſſime tuentur ac propugnant, à quibus bene accipiuntur.

PH. Magnas quidem audio verborum ampullas, de fidelitate atque obſequio canum iuxta atque equorum. At vero contrariũ omnino etiam in minutiſſimis animalculis cernimus, quippe quæ vſque hominum ſeruitio ſe non ſubmittunt, vt ipſe potius homo ab illis maximopere. *[illegible]* metuat. Quid, quod ipſe Deus, vt ſuperbiam hominum peſſundet, haud raro contemptiſſimis beſtiolis ad punienda hominum ſcelera vtitur. Annon enim Deus horribili locuſtarum turma per *Locuſta.*
impulſum venti orientalis adducta Pharaonem [illegible] puniuit? de qua pœna Pſal. 105. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſq́; numero: & comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit frumentum terræ eorum.*

TH. Locuſta beſtiola ex eo inſectorum eſt genere, quæ viribus haud multum valent, numero tamen noxia ſunt: cuius frequens inducitur in ſacris mentio, præcipue ad ſignificandam ſiue multitudinem cuncta vaſtantem & depaſcẽtem, ſiue famem, vt Iud. 6. v. 5. *Inſtar locuſtarum vniuerſa cõplebant habitatores terræ quaſi locuſtæ.* Eſa. 4. Ioel. 3. reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtę comedit bruchus. De locuſtarum in Africa multitudine omnia depaſcente, & peſtem grauiſſimam excitante legatur Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 31.* Idem vero *tom. 10. ſerm. 87. de temp.* per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemp à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiam annotat. Locuſta vero cum regẽ non habeat, vna acie ordinatum ducit exercitum, homines vero cum rationales à Deo facti ſint, neq;

neque ſemetipſos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Paulo poſt ſignificatur in eis ſuperbia hominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimoniis & proditionibus perſequuntur, ſe inuicem mordent. *Gal. 5. Deut. 28.* Si nolueris obedire voci Domini Dei tui, ſemẽtem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia.

E Q. Narrat Diodorus Siculus, *lib. 3. cap. 3.* Æthiopes Accidophagos locuſtis vectitare, appropinquante vero ſenecta, pediculos alatos non ſolum viſu varios, ſed ſpecie horridos ac turpes in corporib natos, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedere: qui malum patitur, primum veluti ſcabi[e] cuiuſdam pruritu allectus corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeant.

Pedicul. *PH.* Memorabilis quoq; pediculorũ plaga recenſetur *Exod. 8. cap.* eoque magis miranda propter μυριάδα infeſtantium, & Magorum impotentiam. Quidam volunt fuiſſe vermiculos alatos ſimiles culicibus. Chennim & Chaldaice Kalmetha genera ſignificat quædam exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atq; aures. Veteres Hebræi pediculos vertunt, de quibus ita Philo: Ea beſtiola, inquit, tametſi exigua admodũ, infeſtiſſima tamen eſſe ſolet: non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritũ infenſum immittens ac noxium: Sed etiam interius penetrat per nares atque aures, lædit & pupillam oculi, niſi quis cautus fuerit. Et Magi quidem conabantur ſimilem imitari productionem, ſed fruſtra: quin potius ſuperati & cõfuſi trophæum ſtatuere coguntur diuinę potentiæ, dicentes, digitus Dei eſt.

TH. Herodes quoq; morbo pediculari periit, *Act. 12.* ſupplicium tyrannide, ſuperbia & blaſphemia Herodis dignum. Percuſſus dicitur ab angelo. Angelũ hunc viſibili ſpecie illi apparuiſſe ex Ioſepho narrat Euſebius. Meminit Ioſephus & bubonis, qui viſus tunc ſit Herodis capiti inſidere tanquam futuræ cladis prænuncius. Morbi genus exprimit Lucas, dum à vermibus exeſum expiraſſe dicit, quod plerique de phthiriaſi videlicet morbo pediculari interpretãtur, quod erum-

TH. Epitaphia brutorum valdeimprobo. Satis eſt, naturam canum noſcere, & quomodo humano vſui accōmodari poſſint, dignoſcere. Cæterum vt inſuper aliquid de canibus dicam: ſigna probi & generoſi canis ſunt: ſi toroſus, magnus, venoſa fronte ac lata, oculis nigris flammeisq́; auribus tenuibus ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoſo, ſpatulæ ab humeris paulo recedētes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter ſe diſtantibus, villo tenui ac denſo, colore non omnino vno, ſed mixto. Cæterum Athenæus naturam canis quatuor elogiis prædicat: Olfactus, inquit, ſenſu cæteris animalibus præcunt, quo diſcernunt & vtilia ſibi & noxia: deinde quod cicures ac manſueti cum hominibus degunt: tum etiam quod domum cuſtodiunt: & poſtremo, quod ſupra omniū reliquorum ingenium, eorum vitam fortiſſime tuentur ac propugnant, à quibus bene accipiuntur.

PH. Magnas quidem audio verborum ampullas, de fidelitate atque obſequio canum iuxta atque equorum. At vero contrariū omnino etiam in minutiſſimis animalculis cernimus, quippe quæ vſque hominum ſeruitio ſe non ſubmittunt, vt ipſe potius homo ab illis maximopere *ſibi* metuat. Quid, quod ipſe Deus, vt ſuperbiam hominum peſſundet, haud raro contemptiſſimis beſtiolis ad punienda hominum ſcelera vtitur. Annon enim Deus horribili locuſtarum turma per Locuſtæ.
impulſum venti orientalis adducta Pharaonem θεόμαχον puniuit? de qua pœna Pſal. 105. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſq; numero: & comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit frumentum terræ eorum.*

TH. Locuſta beſtiola ex eo inſectorum eſt genere, quæ viribus haud multum valent, numero tamen noxia ſunt: cuius frequens inducitur in ſacris mentio, præcipue ad ſignificandam ſiue multitudinem cuncta vaſtantem & depaſcētem, ſiue famem, vt Iud. 6. v. 5. *Inſtar locuſtarum vniuerſa cō plebant habitatores terræ quaſi locuſtæ.* Eſa. 4. Ioel. 3. reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtę comedit bruchus. De locuſtarum in Africa multitudine omnia depaſcente, & peſtem grauiſſimam excitante legatur Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 31.* Idem vero *tom. 10. ſerm. 87. de temp.* per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemp à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiam annotat. Locuſta vero cum regē non habeat, vna acie ordinatum ducit exercitum, homines vero cum rationales à Deo facti ſint,

neq;

neque ſemetipſos regere potuerunt, neque Dei tegis patienter moderamina pertulerunt. Paulo poſt ſignificatur in eis ſuperbia hominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimoniis & proditionibus perſequuntur, ſe inuicem mordent. *Gal. 5. Deut. 28.* Si nolueris obedire voci Domini Dei tui, ſemētem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia.

E Q. Narrat Diodorus Siculus, *lib. 3. cap. 3.* Æthiopes Accidophagos locuſtis vectitare, appropinquante vero ſenecta, pediculos alatos non ſolum viſu varios, ſed ſpecie horridos ac turpes in corporib natos, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedere: qui malum patitur, primum veluti ſcabi. i cuiuſdam pruritu allectus corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeant.

Pediculi. *PH.* Memorabilis quoq; pediculorū plaga recenſetur *Exod. 8. cap.* eoque magis miranda propter μικρό[illegible] infeſtantium, & Magorum impotentiam. Quidam volunt fuiſſe vermiculos alatos ſimiles culicibus. Chennim & Chaldaice Kalmetha genera ſignificat quædam exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atq; aures. Veteres Hebræi pediculos vertunt, de quibus ita Philo: Ea beſtiola, inquit, tametſi exigua admodū, infeſtiſſima tamen eſſe ſolet: non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritū infenſum immittens ac noxium: Sed etiam interius penetrat per nares atque aures, lædit & pupillam oculi, niſi quis cautus fuerit. Et Magi quidem conabantur ſimilem imitari productionem, ſed fruſtra: quin potius ſuperati & cōfuſi trophæum ſtatuere coguntur diuinę potentiæ, dicentes, digitus Dei eſt.

TH. Herodes quoq; morbo pediculari periit, *Act. 12.* ſupplicium tyrannide, ſuperbia & blaſphemia Herodis dignum. Percuſſus dicitur ab angelo. Angelū hunc viſibili ſpecie illi apparuiſſe ex Ioſepho narrat Euſebius. Meminit Ioſephus & bubonis, qui viſus tunc ſit Herodis capiti inſidere tanquam futuræ cladis prænuncius. Morbi genus exprimit Lucas, dum à vermibus exeſum expiraſſe dicit, quod plerique de phthiriaſi videlicet morbo pediculari interpretātur, quod erum-

penti-

TH. Epitaphia brutorum valde improbo. Satis eſt, naturam canum noſcere, & quomodo humano vſui accõmodari poſſint, dignoſcere. Cæterum vt inſuper aliquid de canibus dicam: ſigna probi & generoſi canis ſunt: ſi toroſus, magnus, venoſa fronte ac lata, oculis nigris flammeisq; , auribus tenuibus ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoſo, ſpatulæ ab humeris paulo recedẽtes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter ſe diſtantibus, villo tenui ac denſo, colore non omnino vno, ſed mixto. Cæterum Athenæus naturam canis quatuor elogiis prædicat: Olfactus, inquit, ſenſu cæteris animalibus præeunt, quo diſcernunt & vtilia ſibi & noxia: deinde quod cicures ac manſueti cum hominibus degunt: tum etiam quod domum cuſtodiunt: & poſtremo, quod ſupra omniũ reliquorum ingenium, eorum vitam fortiſſime tuentur ac propugnant, à quibus bene accipiuntur.

PH. Magnas quidem audio verborum ampullas, de fidelitate atque obſequio canum iuxta atque equorum. At vero contrariũ omnino etiam in minutiſſimis animalculis cernimus, quippe quæ vſque hominum ſeruitio ſe non ſubmittunt, vt ipſe potius homo ab illis maximopere ſibi metuat. Quid, quod ipſe Deus, vt ſuperbiam hominum peſſundet, haud raro contemptiſſimis beſtiolis ad punienda hominum ſcelera vtitur. Annon enim Deus horribili locuſtarum turma per impulſum venti orientalis adducta Pharaonem θεήλατον puniuit? de qua pœna Pſal. 105. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſq; numero: & comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit frumentum terræ eorum.* Locuſta.

TH. Locuſta beſtiola ex eo inſectorum eſt genere, quæ viribus haud multum valent, numero tamen noxia ſunt: cuius frequens inducitur in ſacris mentio, præcipue ad ſignificandam ſiue multitudinem cuncta vaſtantem & depaſcẽtem, ſiue famem, vt Iud. 6. v. 5. *Inſtar locuſtarum vniuerſa cõplebant habitatores terræ quaſi locuſta.* Eſa. 4. Ioel. 3. reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtę comedit bruchus. De locuſtarum in Africa multitudine omnia depaſcente, & peſtem grauiſſimam excitante legatur Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 31.* Idem vero *tom. 10. ſerm. 87. de temp.* per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemp à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiam annotat. Locuſta vero cum regẽ non habeat, vna acie ordinatum ducit exercitum, homines vero cum rationales à Deo facti ſint, neq;

neque ſemetipſos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Paulo poſt ſignificatur in eis ſuperbia dominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimoniis & proditionibus perſequuntur, ſe inuicem mordent. *Gal. 5. Deut. 28.* Si nolueris obedire voci Domini Dei tui, ſemẽtem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia.

E. Q. Narrat Diodorus Siculus, *lib. 3. cap. 3.* Æthiopes Accidophagos locuſtis vectitare, appropinquante vero ſenecta, pediculos alatos non ſolum viſu varios, ſed ſpecie horridos ac turpes in corporib natos, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedere: qui malum patitur, primum veluti ſcabi. i cuiuſdam pruritu allectus corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus. vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit, alii ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeant.

Pediculi

PH. Memorabilis quoq; pediculorũ plaga recenſetur *Exod. 8. cap.* eoque magis miranda propter μικρότητα infeſtantium, & Magorum impotentiam. Quidam volunt fuiſſe vermiculos alatos ſimiles culicibus. Chennim & Chaldaice Kalmetha genera ſignificat quædam exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atq; aures. Veteres Hebræi pediculos vertunt, de quibus ita Philo: Ea beſtiola, inquit, tametſi exigua admodũ, infeſtiſſima tamen eſſe ſolet; non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritũ infenſum immittens ac noxium: Sed etiam interius penetrat per nares atque aures, lædit & pupillam oculi, niſi quis cautus fuerit. Et Magi quidem conabantur ſimilem imitari productionem, ſed fruſtra: quin potius ſuperati & cõfuſi trophæum ſtatuere coguntur diuinę potentiæ, dicentes, digitus Dei eſt.

TH. Herodes quoq; morbo pediculari periit, *Act. 12.* ſupplicium tyrannide, ſuperbia & blaſphemia Herodis dignum. Percuſſus dicitur ab angelo. Angelũ hunc viſibili ſpecie illi apparuiſſe ex Ioſepho narrat Euſebius. Meminit Ioſephus & bubonis, qui viſus tunc ſit Herodis capiti inſidere tanquam futuræ cladis prænuncius. Morbi genus exprimit Lucas, dum à vermibus exeſum expiraſſe dicit, quod plerique de phthiriaſi videlicet morbo pediculari interpretãtur, quod erum-

TH. Epitaphia brutorum valde improbo. Satis eſt, naturam canum noſcere, & quomodo humano vſui accõmodari poſſint, dignoſcere. Cæterum vt inſuper aliquid de canibus dicam: ſigna probi & generoſi canis ſunt: ſi toroſus, magnus, venoſa fronte ac lata, oculis nigris flammeiſq; aurubus tenuibus ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoſo, ſpatulæ ab humeris paulo recedẽtes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter ſe diſtantibus, villo tenui ac denſo, colore non omnino vno, ſed mixto. Cæterum Athenæus naturam canis quatuor elogiis prædicat: Olfactus, inquit, ſenſu cæteris animalibus præcunt, quo diſcernunt & vtilia ſibi & noxia: deinde quod cicures ac manſueti cum hominibus degunt: tum etiam quod domum cuſtodiunt: & poſtremo, quod ſupra omniũ reliquorum ingenium, eorum vitam fortiſſime ruentur ac propugnant, à quibus bene accipiuntur.

PH. Magnas quidem audio verborum ampullas, de fidelitate atque obſequio canum iuxta atque equorum. At vero contrariũ omnino etiam in minutiſſimis animalculis cernimus, quippe quæ vſque hominum ſeruitio ſe non ſubmittunt, vt ipſe potius homo ab illis maximopere ſibi metuat. Quid, quod ipſe Deus, vt ſuperbiam hominum peſſundet, haud raro contemptiſſimis beſtiolis ad punienda hominum ſcelera vtitur. Annon enim Deus horribili locuſtarum turma per impulſum venti orientalis adducta Pharaonem θεῖον … puniuit? de qua pœna Pſal. 105. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſq; numero: & comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit frumentum terræ eorum.* *Locuſta.*

TH. Locuſta beſtiola ex eo inſectorum eſt genere, quæ viribus haud multum valent, numero tamen noxia ſunt: cuius frequens inducitur in ſacris mentio, præcipue ad ſignificandam ſiue multitudinem cuncta vaſtantem & depaſcẽtem, ſiue famem, vt Iud. 6. v. 5. *Inſtar locuſtarum vniuerſa cõplebant habitatores terræ quaſi locuſtæ.* Eſa. 4. Ioel. 3. reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtę comedit bruchus. De locuſtarum in Africa multitudine omnia depaſcente, & peſtem grauiſſimam excitante legatur Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 31.* Idem vero *tom. 10. ſerm. 87. de temp.* per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemp à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiam annotat. Locuſta vero cum regẽ non habeat, vna acie ordinatum ducit exercitum, homines vero cum rationales à Deo facti ſint, neq;

neque ſemetipſos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Paulo poſt ſignificatur in eis ſuperbia hominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimoniis & proditionibus perſequuntur, ſe inuicem mordent. *Gal. 5. Deut. 28.* Si nolueris obedire voci Domini Dei tui, ſemẽtem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia.

E Q. Narrat Diodorus Siculus, *lib. 3. cap. 3.* Æthiopes Accidophagos locuſtis vectitare, appropinquante vero ſenecta, pediculos alatos non ſolum viſu varios, ſed ſpecie horridos ac turpes in corporib natos, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedere: qui malum patitur, primum veluti ſcabi. i cuiuſdam pruritu allectus corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus. vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit, ahi ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeant.

Pediculi. *PH.* Memorabilis quoq; pediculorũ plaga recenſetur *Exod. 8. cap.* eoque magis miranda propter μικρότητα infeſtantium, & Magorum impotentiam. Quidam volunt fuiſſe vermiculos alatos ſimiles culicibus. Chennim & Chaldaice Kalmetha genera ſignificat quædam exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atq; aures. Veteres Hebræi pediculos vertunt, de quibus ita Philo: Ea beſtiola, inquit, tametſi exigua admodũ, infeſtiſſima tamen eſſe ſolet: non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritũ infenſum immittens ac noxium; Sed etiam interius penetrat per nares atque aures, lædit & pupillam oculi, niſi quis cautus fuerit. Et Magi quidem conabantur ſimilem imitari productionem, ſed fruſtra: quin potius ſuperati & cõfuſi trophæum ſtatuere coguntur diuinę potentiæ, dicentes, digitus Dei eſt.

TH. Herodes quoq; morbo pediculari periit, *Act. 12.* ſupplicium tyrannide, ſuperbia & blaſphemia Herodis dignum. Percuſſus dicitur ab angelo. Angelũ hunc viſibili ſpecie illi apparuiſſe ex Ioſepho narrat Euſebius. Meminit Ioſephus & bubonis, qui viſus tunc ſit Herodis capiti inſidere tanquam futuræ cladis prænuncius. Morbi genus exprimit Lucas, dum à vermibus exeſum expiraſſe dicit, quod plerique de phthiriaſi videlicet morbo pediculari interpretãtur, quod erum-

PH. Vere hæc & omnino regie dixit Auguſtus. Et longe aliter Ægyptii, quam hi legati delicatuli de canibus ſenſerũt. Illi namque in ſuis hieroglyphicis, adulatorem, & mordacem ſimul ſeueram, per canis imaginẽ oſtendere voluerunt, quorum alter in obſequium plus æquo pronus, & alter quęlibet in quemuis opprobria fingere ſæuus. Diogenica, inquit Pierius, Valerius, hæc eſt interpretatio, ipſius de ſe teſtimonio. Nam is interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta canis nomẽ vulgo ſortitus eſſet. Quia, reſpondit, dantibus blandior, nõ dantibus oblatro, malos etiam mordeo. Quin & coniectores, vt apud Hebræos legi, eum qui per nocturnam quietem imaginatus ſit canem videre, obtrectatoribus obiectum fore præſagiunt. Impudentiæ quoque ſymbolum, canem fuiſſe, idẽ Pierius demonſtrat, inprimis quod apud Homerum Helena ſe canem accuſet, vtpote quæ fuerit tot malorum cauſa atq; auctor.

Apud eundem Agamemnon quoque accuſatus ab Achille κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Canis enim oculum, teſte Polluce, habere dicetur is, qui nimio plus impudens eſt. Petulantiæ quoque ſignum imago canis fuit: Milites enim qui petulantes iuniores appellabantur ſub Magiſtro militum per Illyricum, canem luteum in rubra parma præferebant, in cuius medio orbis erat lutei coloris, canis ſuperne pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis.

TH. Ex his propemodum ratio videtur poſſe elici, quare ex lege Pompeia de parricid is, vna cum parricida, præter gallũ gallinaceum, viperam & ſimiam canis quoque culeo inſuatur. Etſi autem non vulgares rationes adinuentæ ſunt, quare malefico, tot animalia diuerſæ naturæ, adiungantur, tamen iis aſſentior, qui cenſent, canem ideo comitem pœnæ adhibitum eſſe, vt ſceleratum hominem oſtendat, & immundum, qui parentem occideri, ſicuti Virgilius canes immundos appellat, & Horatius, canes immundos & obſcœnos nominat. Vnde Plutarchus ſcribit, canem in Athenienſem arcem admitti fas non eſſe, nec Delum inſulam attingere ob eam cauſam, permiſſum, quod immundi ſint, & in propatulo & paſſim coeant. Qua in re aliorum animalium diſſimiles ſunt. Vnde Diuus Auguſtinus monet, filiorũ procreationi operam dandam, non canino more, ſed honeſto ordine coniugali.

EQ. Immundum & luxurioſum animal, multaque in eo apparere reprehenſione admodum digna. Sed enim vt in homini-

bus,

bus, ſic etiam in canibus eſt quædam generoſitas, quæ ſecundum magis & minus ſeſe in illis exhibet. In cuius rei exemplum ac teſtimonium recitat Pierius, apud veteres ſcriptores legi, Vulcani templum prope Ætnam Siciliæ montem fuiſſe, cuius lucum incolerent canes (ſicut Romæ ante ædes Vulcani in circo Flaminio canes fuiſſe fabulantur, ſacrilegos canitum allatrantes, vt Marlianus refert) qui caſte pieq; adeuntibus abblandirentur, impuros vero pollutoſq; rem quaſi diuinitus præſagientes, miſerabiliter lacerarent.

TH. Quinetiam canes, quantumuis natura ſint ferocces, præſertim incitati ac iuſſi à ſuis dominis, adeo tamen canes ipſos nonnunquam huius ſæuitiæ puduit, vt crudelitatis alienæ miniſterio fungi non ſuſtinerent. Huius rei memorabile vnum referà. Didaco Salazari, (cuius inter San-Ioannis inſulæ primos occupatores celebre adhuc nomẽ eſt) canis erat moloſſus, acer & Barbaris inprimis infeſtus, Bezerrillum vocabant. Nocte quæ diem, quo Cacicum Mabodomacam prælio Hiſpani vicerunt, ſequuta eſt, Salazar canem aduerſus Indicam anum quæ inter captiuos erat, emittere conſtituit. Id vt cõmodius faceret, epiſtolam tradit vetulæ perferendam ad Gubernatorem, qui duobus inde forte miliaribus aberat: ſed eo conſilio vt ſimulatq; à ſuorum conſpectu ablata eſſet, canem in eam ſolueret. Ea quum læta abiret, ſperans ſe huius epiſtolæ beneficio libertatem conſequuturam, vixque inde lapidis iactu abeſſet: Salazer canem emittit: is vetulã ſa ilc aſſequitur. Miſera anus, vbi moloſſum furibundum ad ſe recta tendere videt, humi reſidens, his eum idiomatis ſui verbis mulcere incipit: Domine canis, domine canis, ego fero iſtas litteras ad Gubernatorem: obſignatam epiſtolã ei oſtendens: &addens, Ne ſæuias in me, domine canis. Hic canis, velut ſupplices illas & abiectas preces ſenſiſſet, ꝓtinus mitigato impetu ſubſtitit, & ſublato altero crure, vt canes ad parietẽ ſolent, eam perminxit. Ea res Hiſpanis, qui ferociam & ſæuitiam animalis nouerãt, miraculo fuit: puduitq; ipſos fœminam interficere, cui canis pepercißet. *Ouied. Hiſt. Ind. lib. 16. cap. 11.*

EQ. Nimirum hoc fuit generoſi canis euidẽs indicium. Conſimile propemodum, quamuis in diſſimili caſu refertur, de cane, qui dono datus fuerat Alexandro Magno, quæ hiſtoria ſic ab autoribus recenſetur: Indiam petenti Alexandro Magno, rex Albaniæ dono dederat inuſitatę magnitu-

E dinis

Digitized by Google

dinis canem; cuius ſpecie delectatus iuſſit vrſos, mox apros & deinde damas emitti, cõtemptu immobili iacente. Eaq; ſegnitie tanti corporis offenſus Alexander generoſi ſpiritus, eum interimi iuſſit. Nunciauit hoc fama regi. Itaque alterum mittens addidit mandata, ne in paruis experiri vellet, ſed in leone, elephantove. Duos ſibi fuiſſe: hoc interempto, prӕterea nullum fore. Nec diſtulit Alexander, leonemque fractũ protinus vidit. Poſtea elephantum iuſſit induci, haud alio magis ſpectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit: mox ingruit aſſultans, contraque belluam exurgens hinc & illinc, artifici dimicatione, qua maxime opus eſſet, infeſtans atque euitans, donec aſſidua rotatum vertigine afflixit, ad caſum eius tellure concuſſa.

TH. Mira de canibus hinc inde apud autores extant. Mira de illorum ſagacitate & ſolertia. Refert S. bellicus in ea parte Cariæ, quæ Coo inſulæ ex adverſo reſpondet, habere oppidanos canes quos noctu extra munitiones cuſtodiæ cauſa mitterent; atque ita euenire conſueuiſſe, vt ſi in Chriſtianum hominem ſilentio noctis incidiſſent, benigne illum exciperent, ac veluti plauſu quodam in oppidũ perducerent; contra barbarum hoſtem nacti illius acceſſum latratu maximo veluti claſſico quodam primum teſtari, impetu inde facto fœde lacerarent. Quidam Iudæum à Chriſtiano, quin etiam Gallum à Germano vel Italo, & econuerſo, dignoſcere poſſunt. Et refert Pierius *in hieroglyphicis lib. 5.* Illa dos Mineruę templum in Daulia fuiſſe, in quo canes alerentur, qui Græcis tantum aduentantibus ſe mites, manſuetos ac ludibundos offerrent, in barbaros vero feri, atroces ac indignabundi ſemper irruerunt.

EQ. In Britãnia in oppido Rhedonenſi, & ibidẽ in munitiſſimo loco, q. à S. Malo appellatur, nec non & in inſula D. Michaelis in Normandia, canes innumeros loco vigilũ hodie adhuc ali, illos qui in his locis fuerunt, recenſere ſæpenumero audiui. Atq; hæc ipſa videtur ratio, quę Socratem, (vti eum Plato adducit) mouit, q. non niſi per canem iurare ſolitus fuit, denotans videlicet incomparabilem canum fidelitatem.

TH: Hinc nimirum eſt, quod nonnulli ſuam ſalutem potius huic animali, propter attentas excubias & fidelitatem committere maluere, quam hominibus. Sicut de rege Maſiniſſa legimus, qui latratu canũ, ſæpe latentium hoſtiũ inſidias euaſit, & venien-

tes in ſe aduerſarios longe ante didicit cauitque, nec non & beneficio eorum victor aliquando extitit. Quam indefeſſam fidelitatem huius animalis forte Henricus Angliæ rex VIII. conſiderauit, quum in ſuo exercitu, quem maximum Carolo V. Cæſari contra regem Galliarum miſit, quadringenti milites ac totidem canes more gentis torquibus ferreis armati conſpicerētur, dubia relicta hominum opinione, an ad vigilias exercitus, an ad aliquod inſigne ſtratagema acquirendæ victoriæ miſſi eſſent. Et refert Antonius Piſo, militem Hiſpanum in expeditione, cui Valboa Hiſpanorū præfectus in India præfuit, adduxiſſe ſecum moloſſum tantæ ferocitatis, vt in prœliis hoſtibus terribilior eſſet, quam ipſimet Hiſpani milites; ideoque ſuo domino menſtruum ſtipendium peculiare pro illo numeratum fuiſſe. Hunc tandē ab Indis interfectū ia..ulis cum tanto gaudio ipſorum fuiſſe, ac ſi plures hoſtes mactaſſent.

EQ. Hinc etiam eſt, quod heroes olim non ſolum in publicum prodeuntes, canes habebāt comites, ſicut Virgilius teſtatur:

—— Greſſumq́ canes comitantur herilem.

Sed etiam haud fruſtra Romani defunctorum rogo, canem aut equum aut ſeruum, quem pię alius defunctus carum habuerat, imponebant, vt vna cremarentur; deſignātes videlicet fidelitatem inſignem horum animalium, quę etiam comites in morte ſuorum eſſe voluerunt: Et ob hanc cauſam etiam Epitaphia canibus nō minus atque equis poſuerunt antiqui. Epitaphium canis alloquentis herum ſuum Liuianum extat apud Cortam, mordax ſane & glorioſum, quaſi is canis latrans phalangem Germanicam, arbitrantem adeſſe herum ſuum fugauerit. Aliud autem lepidum admodum extat in quadam villa ſuburbana prope Bononiam, tale videlicet:

Furem allatraui, parcens taciturnus amanti.
Sic placui domino, ſic placui dominæ.

Romæ quoq; talis inſcriptio cernitur:

Longo ac fido amore probatus domino,
Senio confectus, ſeruata ſtirpe hic iaceo.
Hoc me ſepulchri honore dignatus eſt herus.

Extat quoque monumentum ibi Tiræ catellæ blandiſſimæ, quod illi Antonius Theobaldæus poſuit. Nec non elegans deſcriptio catellæ alloquentis Polum Cardinalem apud M. Antonium Flaminium, & catellæ in Madium ..dem.

TH. Epitaphia brutorum valde improbo. Satis eſt, naturam canum noſcere, & quomodo humano vſui accõmodari poſſint, dignoſcere. Cæterum vt inſuper aliquid de canibus dicam: ſigna probi & generoſi canis ſunt: ſi toroſus, magnus, venoſa fronte ac lata, oculis nigris flammeisq; , auribus tenuibus ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoſo, ſpatulæ ab humeris paulo recedẽtes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter ſe diſtantibus, villo tenui ac denſo, colore non omnino vno, ſed mixto. Cæterum Athenæus naturam canis quatuor elogiis prædicat: Olfactus, inquit, ſenſu cæteris animalibus præeunt, quo diſcernunt & vtilia ſibi & noxia: deinde quod cicures ac manſueti cum hominibus degunt: tum etiam quod domum cuſtodiunt: & poſtremo, quod ſupra omniũ reliquorum ingenium, eorum vitam fortiſſime tuentur ac propugnant, à quibus bene accipiuntur.

PH. Magnas quidem audio verborum ampullas, de fidelitate atque obſequio canum iuxta atque equorum. At vero contrariũ omnino etiam in minutiſſimis animalculis cernimus, quippe quæ vſque hominum ſeruitio ſe non ſubmittunt, vt ipſe potius homo ab illis maximopere ſibi metuat. Quid, quod ipſe Deus, vt ſuperbiam hominum peſſundet, haud raro contemptiſſimis beſtiolis ad punienda hominum ſcelera vtitur. Annon enim Deus horribili locuſtarum turma per impulſum venti orientalis adducta Pharaonem θεόμαχον puniuit? de qua pœna Pſal. 105. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſq; numero: & comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit frumentum terræ eorum.* *Locuſta.*

TH. Locuſta beſtiola ex eo inſectorum eſt genere, quæ viribus haud multum valent, numero tamen noxia ſunt: cuius frequens inducitur in ſacris mentio, præcipue ad ſignificandam ſiue multitudinem cuncta vaſtantem & depaſcẽtem, ſiue famem, vt Iud. 6. v. 5. *Inſtar locuſtarum vniuerſa cõplebant habitatores terræ quaſi locuſtæ.* Eſa. 4. Ioel. 3. reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtę comedit bruchus. De locuſtarum in Africa multitudine omnia depaſcente, & peſtem grauiſſimam excitante legatur Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 31.* Idem vero *tom. 10. ſerm. 87. de temp.* per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemp à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiam annotat. Locuſta vero cum regẽ non habeat, vna acie ordinatum ducit exercitum, homines vero cum rationales à Deo facti ſint,

neq;

neque ſemetipſos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Paulo poſt ſignificatur in eis ſuperbia hominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimoniis & proditionibus perſequuntur, ſe inuicem mordent. *Gal. 5. Deut. 28.* Si nolueris obedire voci Domini Dei tui, ſemētem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia.

E Q. Narrat Diodorus Siculus, *lib. 3. cap. 3.* Æthiopes Accidophagos locuſtis vectitare, appropinquante vero ſenecta, pediculos alatos non ſolum viſu varios, ſed ſpecie horridos ac turpes in corporib natos, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedere: qui malum patitur, primum veluti ſcabi. i cuiuſdam pruritu allectus corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeant.

Pediculi.

PH. Memorabilis quoq; pediculorū plaga recenſetur *Exod. 8. cap.* eoque magis miranda propter μικρ[illegible] infeſtantium, & Magorum impotentiam. Quidam volunt fuiſſe vermiculos alatos ſimiles culicibus. Chennim & Chaldaice Kalmetha genera ſignificat quædam exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atq; aures. Veteres Hebræi pediculos vertunt, de quibus ita Philo: Ea beſtiola, inquit, tametſi exigua admodū, infeſtiſſima tamen eſſe ſolet: non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritū infenſum immittens ac noxium: Sed etiam interius penetrat per nares atque aures, lædit & pupillam oculi, niſi quis cautus fuerit. Et Magi quidem conabantur ſimilem imitari productionem, ſed fruſtra: quin potius ſuperati & cōfuſi trophæum ſtatuere coguntur diuinę potentiæ, dicentes, digitus Dei eſt.

TH. Herodes quoq; morbo pediculari periit, *Act. 12.* ſupplicium tyrannide, ſuperbia & blaſphemia Herodis dignum. Percuſſus dicitur ab angelo. Angelū hunc viſibili ſpecie illi apparuiſſe ex Ioſepho narrat Euſebius. Meminit Ioſephus & bubonis, qui viſus tunc ſit Herodis capiti inſidere tanquam futuræ cladis prænuncius. Morbi genus exprimit Lucas, dum à vermibus exeſum expiraſſe dicit, quod plerique de phthiriaſi videlicet morbo pediculari interpretātur, quod erumpenti-

pentibus è carne vermiculis viuus graui & fœdo dolore excruciatus fuerit, donec impiam animam exhalarit. Refert Ioſephus Herodem pœnæ acerbitate monitum, adulatorum vanitatem redarguiſſe. Cum enim grauiſſime cruciaretur, conuerſum ad ſuos dixiſſe: En ego veſter Deus nunc vitam cum morte commutare cogor: & qui à vobis immortalis dictus ſum, nunc ad mortem abducor. Porro cauſam miſerabilis huius interitus hanc aſſignat Lucas, quod non dederit gloriam Deo. Primum namque blaſphemis adulatorum vocibus delectatus fuit, quas auerſari & omnibus modis deteſtari debuerat. Deinde regnum ſuum non Deo, ſed Cæſari acceptum tulit, in cuius honorē ludos celebrat. Tum Euangelii doctrinam acerrime fuerat perſecutus.

E. Q. Sic nimirum Deus non ſolum atroces, ſed etiam ignominioſas pœnas tyrannis ſolet infligere, ad retundendos feroces illorum ſpiritus. Exemplo eſt Herodes, qui nō in acie cadit, quod glorioſius ei fuiſſet, ſed lento & fœdo morbo confectus periit. Simili morbo interiiſſe Antiochū, Herodem magnum, Syllam & Maximinianū, hiſtoriæ memorant. Sic Pharaonē & Senacheribum Eccleſiæ hoſtes Deus indignos ducit, qui in prœlio occumbant, ſed illum mari ſubmerſum, hunc à propriis filiis trucidatum è medio tollit. Vere igitur Maria virgo in cantico ſuo dixit, Deum potentes ſede ſua deiicere & exaltare humiles, *Luc. 1.*

TH. Pharaoni inſuper Deus comminatur atq; etiam immittit non vicinorum aut etiā exterorum hoſtium arma, ſed miſerabiles beſtiuncularum vexationes ranarum videlicet, quæ tot ſint futuræ, vt intra regia quoq; cubicula, in receptaculis tutiſſimis veluti clibanis, cellis quā iis probe munitis, non ſit tutus quiſpiā aut immunis ab iis extitutus loc⁹.

E. Q. Digni plane Ægyptii, vt importuno moleſtoq; ranarum clamore diſcruciarentur, qui Dei legatos ſalutaria oracula deferentes reſpuebant.

PH. Profecto grande ſpectaculum Deus vniuerſo orbi præſtitit cum ſuperbiam Ægyptiorum non de leonibus & vrſis, ſed de ranis & muſcis domuit. Ecce enim, quales inſtruxit acies, & quibus ex ordinibus ſua caſtra compleuit Dominus pugnando pro Iſrael? Ranæ, cyniphes, muſcæ atque locuſtæ fuerunt caſtrorum eius acies, & ex eiuſmodi cohortibus contra fortes Ægyptios totas compoſuit legiones, ſinguli milites (inquit Rupertus) ſecundum ſe breues quidem & infirmi: verum contra exercitu

Pharaonis ſatis valentes fuerunt.

TH. Ranarum, muriumque ſimiliumque beſtiolarum colluuiem, certiſſimum eſſe iræ diuinæ ſignum & pœnam peccatis, inprimis idololatriæ, deſtinatã, extat *Sap. 11. verſic. 16. & Sap. 19. verſic. 10.* Cæterum ranis etiam notantur Hereſchæ & hæretici, qui ſermonibus inutilibus ſeducunt alios, *2. Timoth. 2. verſic. 16.* Ita immundi etiã ſpiritus ἐν εἰκόνι ranarum depinguntur, *Apocal. 16. verſic. 13.* quod ſicut in cœnoſis & paluſtribus lacunis ſqualet fœtetque maximè ranarum genus: quo nihil aſpectu deformius, fœtore ſordidius, aut voce inſuauius: ita in illis nihil ſanum eſt aut ſincerum, ſed omnia plena ſunt errore, hæreſi, illuſione, puriſſimis præſtigiis, mendaciis, fabulis & efficacia ſeductionum.

Mures. *PH.* Extant paſſim in hiſtoriis tragica exempla illorum, qui iuſtiſſimam Dei in ſe ipſos iram ac furorem temere concierunt, quorum maxima pars fœdiſſimorum huiuſmodi animalculorum morſibus atque exeſionibus fœde periit, de quo memorabile vnicum quod ante hęc noſtra ſecula euenit, literarumque monumentis proditum eſt, referam, vnicumque ad molliendos hominum monſtroſorum feroces animos ſufficere merito debet: Anno ſalutiferi virginis partus DCCC. XXX. Popelus II. Patri in regno ſuccedens à maioribus eius libidinoſis minime degenerauit, poſtpoſitiſq; negotiis Reipubl. vanis otiis choreiſque & deliciis domeſticis indulſit Inſuper nõ ille, ſed vxor eius, quam inſano amore proſequebatur, pro ſuo peruerſo arbitrio imperabat. Quapropter magnates & equites regni, cum vt hominem nihili, Sardanapalumque Poloniæ appellantes, ſpreuerunt. Popelus vero reconſiderata, veritus ne Poloni aliquem ex patruis ſuis in locum ſuum ſubſtituerent, vxoris aſtuto conſilio infirmitatem ſimulanit, patruoſq; omnes, qui viginti numero erãt: Principes Pomeraniæ, accerſiuit, & decumbens in lecto obnixe ab eis rogauit, vt vnum filiũ ſuum ex duobus, regno ſe decedente præficerent; quod libenter patrui ſe facturos ſpoponderunt, ſi magnates regni conſenſerint. Regina interea poculum cum veneno mixto adornauit, & vnicuique bibendum pro ſanitate regis, obtulit. Egreſſi illi à rege maxima corroſione ex veneno hauſto excruciati, omnes pariter expirauerunt. Regina autem cum lætitia dixit, Deos in eos, quod malum regi, domino ſuo machinati fuerint, iuſte animaduertiſſe. Ideo cadauera

eorum inhumata quaſi perfidorum, in lacum Goplo, reginæ iuſſu, proiecta ſunt. Statimq; Deus iuſtus vltor & vindex nefandi homicidii muriũ vim numeroſam, dictuq; horrendam ex illis cadaueribus mira quadam metamorphoſi excitauit, quæ regẽ in arce laute conuiuantem, Vxoremque & filios eius, cum terribili ſtrepitu vndique inuaſerunt, & neque armis, neque igne ſe arceri paſſæ ſunt. Rex metu inauditi, inuſitatique periculi perturbatus, in arcem, quæ eſt hucuſque in lacu Goplo, iuxta Cruſphiciam oppidum, cum vxore, & filiis profugit: mures vero adhuc plures, terram & aquas cooperientes, cum horrendis ſibilis eum proſequebantur: Nautæ præſens præ oculis exitium videntes, timentes, ne medio lacus nauem corroderẽt, ad ripã ocyus appropinquantes, aufugerunt: Popelus quoque in turrim natura loci munitam & aquis opportune circumfluam, cum ſuis ſe recepit, vbi cũ vxore & liberis à muribus corroſus, cõſumptuſq; eſt, vt ne monumentũ quidem eorum relictum fuerit. Hæc ex Chronicis Polonicis fide dignioribus, recenſere volui. Inter quos eſt Alexander Ganguinus, vbi additi ſunt ſequẽtes verſus, ex quibus hoc factum melius illuſtratur:

Dum timet hic regno pelli, vir inutilis, & cum
Coniuge conſultat, quid male tutus agat,
Vim morbi ſimulat: patruos accerſit, & illis
(Viginti fuerant) toxica miſta dedit.
Orta cadaueribus vis murum erupit: & illum,
Vxorem, natos, vndiq; dente petit:
Dilaniat, fruſtra medios fugiebat in ignes,
Fruſtra in Goplaeas perfidus hoſtis, aquas:
Diſcite iuſtitiam qui propter lucra paratas
Fertis, & exertas ad ſcelus omne manus.
Eſt Deus, eſt ſcelerum vindicta, eſt pœna malorũ:
Vnde putes minime poſſe venire, venit.

Et hoc modo totum genus Principum Polonorum fere vno momẽto extinctum eſt, ita vt maximis controuerſiis inter proceres Poſonos, de electione ortis, tandem, vt ferũt, miraculo quodam principatus ad Piaſtum Cruſphicenſem virum ſimplicẽ, & agreſtẽ delatus ſit, qui tamen ſumma virtute, fortitudine, & integritate, ita regnauit, vt ex eius ſanguine Duces, Regesq; Polonorum ad Ludouicum Hungarum vſque genus duxerint. Id ſequentes verſus declarant:

O priſcos hominum mores, ô neſcia faſtus
Simplicitas, ingens ô probitas & amor!
Non puduit proceres homini dare ſceptra Polonos,
Qui modo cultor agri Cruſphicienſis erat,
Ob ſolas virtutis opes, virtutis honorem,
Qua vir in exigua ſtruit ille caſa.
Hoc orti de fonte Duces, regeſq; Poloni,
Duxerunt dites ad Ludouicu ſuos.
Compita Cruſpiciæ veterum, noſtræ eſt in orbe,
Euentu gemino nobis ſtata ducis.
Regnum ruricula deferri, à mure vorari
Regem: res aque prodigioſa fuit.

E. Q. Imitatus autem eſt hic Popelus in alliciendis & tollendis agnatis aſtutiam Leonis morbum ſimulãtis, vt alliceret beſtias ſuum regem officii cauſa, inuiſentes, quas deinceps deuorauit, ſicut

ſicut fabula Æſopica nos docet.

TH. De muribus Hattonis II. crudelitatem erga famelicos homines, vindicãtibus, multi hiſtorici ſcripſerunt: Inter quos Guilielmus Iſengrinius in ſua Chronologia, quã ex aliis collegit, ita recenſet, anno D. cccc. Lxviii. Hatto II. Oſtrofrancorum Dux, cognomento Bonoſus, Abbas Fuldenſis, cum egregii animi ſpeciem dediſſet, Moguntiacenſis Archimyſta conſecratur. Hic cum fame ingruente, pauperes non haberent vnde alerentur, multitudinem egentium in horrea quædam, vt quæ alimoniam ibi & frumenta acceptura eſſet, vocatam, admotis ignibus combuſſit: vnde diuinæ animaduerſionis vindicta in eum proceſſit, eumque mirabili prius inaudito genere ſupplicii dure ſatis puniuit. Tanta enim turba murium vndequaque prorumpens, in eum glomerata irruiſſe dicitur, vt quocunque ſe verteret, iſtius modi beſtiolarum morſibus premeretur, ſi erat in altiori vel eminentiori quodam loco, mures per parietes aſcendebant: ſi vero incluſus per rimulas intrabant, eumque infinita multitudine obruentes, mordebant, lacerabant, ac deuorare penitus geſtiebant. Quarum tanta fuit importunitas, vt quanto repellerentur impetu, tanto maiori furore incurſabant: cumque ſi nuſquam in terra tutum conſpiceret pontifex, iam miſerandus, aquarum ſe munimine cinxit, ac iuxta oppidum Bingionum turrim in medio Rheni, ad cuſtodiam patriæ, olim conſtructam, ſcapha ſubuectus aſcendit; ſperans eo loci, mures per vndoſi fluminis raptum, nullatenus eſſe venturos: ſed non eſt locus quo ſuam diuina poteſtas prohibeatur exercere vindictam, natantes per aquas infinita multitudine denuo mures, turrim per muros aſcendunt, intrant, pontificem inquietant, rodunt, infeſtant, tandemque nimia eorum multitudine obrutum miſerabiliter necant. Turris quæ adhuc cernitur in Rheni fluminis medio nomen ab euentu obtinuit prope Bingam, cuius futuræ peſtis pręſagium erat, quod nomen ipſius è pictis quoque parietibus mures, adhuc ipſo incolumi abrodebant. Hucuſque Iſengrinius de Attone illo. Eadem refert Iſengrinius, de Wilderolfo qui & Wilderadus, Argentoratenſi antiſtite, qui eiectis ex D. Stephani æde veſtalibus, eaque igne cremata, à muribus circumſeptus corroſus fuerit. Similem hiſtoriam refert Georgius Fabricius de milite quodam, quẽ mures corroſerunt, qui neque in ciſta incluſus, neque ſuſpenſus, ſe

 ſaluare

ſaluare potuit. Extat etiam exemplum in ſacris literis, quomodo Deus impios Palæſtinos ob captam arcem fœderis & contemptum eius, muribus puniuerit. *1. Sam. 5.*

PH. In Hiſtoria Gallica parte 4. recitatur, quomodo Aumalius eques anno cIↃ. CCCCC. XCI. poſt quam S. Dionyſii oppidū noctu occupare vellet, in illa irruptione hoſtili occiſus fuerit: cū eius cadauer in ſacello quodam, donec pompa funebris inſtitueretur, collocatum eſſet, feretrum poſtero die plenum glitibus & muribus repertū fuiſſe, qui vix abigi potuerint, præſertim vnus reliq́s grandior qui in vulnus altius ſe dimiſerat: vbi quoq; aliquot lepida epigrammata inſerta ſunt. Simile diuinæ vindictæ exemplum accidit non ita pridē, cum enim inſons vir quidā militaris, cū vno atq; altero, ex ſuis comitibus, inſidioſe interfectus eſſet, vnus ex illis paulo poſt conſcientia tactus mania correptus, quaſi defendēs ſe, à iuſtitiæ miniſtris, ſe ipſum pugnis petiit, donec cultro, incertū vnde illato, circa cor ictus letales ſibi ipſe inflixit: Cumq; interuenirent ii, qui curam eius gererent, animaduerterūt, murem vel glitem vulneri inhærere, & veluti lambendo ſanguinis fluxū inhibere. Mox repulſo illo ſanguis tam copioſus ex vulneribus erupit, donec nequicquam adhibitis remediis, ad reſtinguendum aptis, extinctus fuerit.

TH. Ex his nimirum apparet, nihil tam vile, minutum & deſpectum eſſe, quod non habeat ſuas vires peculiares nocēdi, ad eoque etiam minimis & alioquin nullius fere momenti rebus potentiam & ſuperbiam tyrannorum ſæpenumero fractā & euerſam eſſe: Inprimis autem Deum non leonibus, non vrſis, neve aliis feris, ſed vermiculis & inſectis viliſſimis Pharaonis pertinacem impietatem & inſolentiam intolerabilem, compeſcuiſſe. Eodem modo in improuiſis & maximis periculis depellendis & inferendis, minimarum beſtiolarū vſus, interdum perutilis, interdum perniciofus extitit, ita vt in prouerbium abierit, etiam formicæ bilem pertimeſcendam eſſe. Idipſum pluribus exemplis & rationibus demonſtrare liber. Adduco autem inprimis Annium teſtem, ſcribentem, veterem vrbem, ad Volſienſem lacum Contenebram appellatam, olim à formicis deletam & locum illum vulgo caſtrum formicarum appellari. Etſi autem in repentinis & ſubitis periculis, iiſque rebus, quæ inopinantibus nobis accidunt, deficere mentem, & perturbari animum plerunque neceſſe eſt, ſic vt omnes tum temporis

poris peſſime ſoleamus delibera-re,& conſulere, vel vt Thucydides ait, conſilium rapiunt repentina,& inexpectata & longe præter opinionem accidentia. Eodẽ modo ſolicitudine ipſa impediẽte, memoria elabitur: atq; interdum nimia ſedulitas,& importuna cura, plusquam ignauia, aut ſolertia nocet: tamen in eiuſmodi improuiſis caſibus, vbi mora vel exigua præſens periculum aggrauat, omiſſa longiore deliberatione mature facto opus eſt, ſi ſalui eſſe velimus. Hæc ſi accidunt, non tam ad violenta & robuſta, ex quibus ſperatur auxilium, quam ad minima, & alioquin ſpreta confugitur, & diſcrimen inter illa nullũ obſeruatur, ſed inuicem ſibi adminiculãtur. Hoc modo Themiſcyrenſes cõtra oppugnationem Luculli ſe defenderunt; ita enim de illis ſcribit Appianus Alexandrinus: Pars exercitus contra Themiſcyrenſes turribus vtebatur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, vt in eis pugnæ cõmitterentur ſubterraneę. Hos oppidani ſuperne aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vrſas, aliaſque beſtias,& apum examina.

Cæterum quærunt,& queruntur non immerito pii viri, cur pediculi, pulices, cimices, & alii vermes, & inſecta, magnis æque, ac paruis moleſta ſint, & veluti bellum inferant? Nullus enim eam defugere poteſt conditionem, & quamuis non omnes ſint in fœtore, & ſordibus iaceant, Deus tamen imperiũ vermibus, quod in Reges ac Principes vſq; profertur, attribuit, ita vt vnumquemque ei conditioni ſubiici oporteat. Cur vero id efficit Dominus, niſi vt eo magis humiliemur?

Mira autem eſt, ne grauius dicam, hominum peruerſorum opinio, & perſuaſio, quod putent impune fore, ſi aliquantiſper eorum licentia peccandi, & inſolentia proterue agendi, non compeſcatur. Habet enim Deus vt pii viri in Hiobi afflictionibus monent, multa vel potius innumera inſtrumenta, vnde ſe nobis vlciſcatur, propter quod ſtulte auſi fuerimus. Cur? Armabit omnes ſuas creaturas, tot aduerſus nos aduocatos, & procuratores habebit, quot ſunt volucres in aere, piſces in mari, & quot ſunt animalia in terra; denique non opus erit, vt extra ſe exeat homo, eo vt conuincatur.

An non enim videmus, in ſingulis ſummis digitis artificium Dei? Eſtne vnguis aliquis, qui non reddat teſtimonium; Devm eſſe opificem tam eximium, vt nos confuſos

eſſe oporteat, quoties eorum quæ nobis exhibet vel minimum quid, conſideramus.

Eodem modo cum Deus promitteret Iſraelitis, ſe terrorem miſſurum & interfecturum omnē populū, ad quem venturi eſſent, addit quoque, *mittam crabronem ante te, qui expellat Hiuaum Chananaum, &c.* Et Deuteron. dicit Moyſes, *mittet Deus veſter veſpas, &c.* Et Ioſuæ, *miſi ante oculos crabrones.* Sapientię libro. *Miſiſti antecesſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarēt.* Vnde Ægyptii in ſuis hieroglyphicis pugnacitatem veſpæ pictura notarunt.

PH. Hinc nimirum videmus Deum armare ſolere etiam vilia animalcula, iiſque addere robur, contra ſuos hoſtes expellendos, neq; indigere magnis bellatorib. & validis rebus, ſed ſufficere muſcas, veſpas, & inſecta, quādo ipſe bella infert, & deprimere vult inſolentiam ſuorum hoſtium, eorumq; peccata punire. Sic ictus locuſtarum, muſcarū & aliorum inſectorū in deſerto impiis Iſraelitis venenati, lethales, & incurabiles fuere, ſicut liber Sapientiæ nos docet. Recte itaq; & appoſite prouerbio dicitur, quoties Deus iratus claſſicum canit, toties oēs creaturæ in armis præſto ſunt.

TH. Hoc nos docere voluit Salomon Sap. cap. II. vbi ita Deum compellat. *Non enim erat impoſſibilis omnipotens manus tua, qua creauit orbem terrarū ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorū, aut audaces Leones, aut noui generis ira plenas & ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrētes ab oculis ſcintillas emittētes, quarum nō ſolum laſura poterat illas exterminare, ſed & aſpectus præ timore occidere. Nam & ſine his vno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſpergi per ſpiritum virtutis tuæ, ſed omnia in menſura & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Vt autem id priſcis, & deinde recentioribus exemplis demonſtretur, narrat Heraclides Lemnius apud Athenæum: In Pœonia & Dardania tantam vim ranarum è cœlo delapſam, vt publicas vias priuataſque domos implerent. Primis autem diebus incolas paſſim eas occidiſſe, ædibuſque occluſis aliquantiſper patienter eam moleſtiam pertuliſſe. Sed cum nihil proficerent, domeſticaque ſupellex illis tota obregeretur, ac cum cibariis elixas, aſſataſque ranas offenderēt, aquarū erepta commoditate, & quia coaceruatis illis non erat, pedem vbi promouerent, mortuarum odore ad extremum vexati, patriam deſeruerunt. Sic ex Plinio conſtat à cuniculis ſuffoſſum eſſe in Hiſpania oppidum. Etſi autem naturali modo animalia iſta breui

breui tempore, mirum in modum fæcunditate ſua magnam in multitudinem creſcunt, tamē iis, tanquam inſtrumentis bellicis, quibus veluti cuniculis ſuffodiuntur oppida & loca munita, Deus vtitur, vt puniat eos, qui eū ſuis peccatis irritarunt. Cuniculorum autem tantam eſſe fæcunditatem ſcimus, vt ex coniugio vno (vtor verbis Adriani Iunii) intra vertentis anni curriculum ſeptuageſima proles fermè exiſtere queat, ideoq; ea pleriſq; damnoſa eſſet ſolet.

PH. Miſera nimirum atque ærumnoſa eſt vitæ humanæ conditio, malignumq; eſt hoc naturæ munus, vt grauiſſime Plinius lib. 7. fragilem humanæ vitæ conditionem depingit.

EQ. Sed huius malignitatis homines ipſi ſunt quaſi architecti & fabricatores. Quia namque homines pro deplorata ipſorum malitia ac peruerſitate, temerè multa committunt, Deus non tantum iuſto ſuo iudicio per debilia iſthæc animalcula grauiter punit, ſed etiam haud rarò in teprobum ſenſum eos prolabi patitur, vt dum ipſi Deo gloriam exhibere, eiuſque mandatis parere detrectant, ad fœda iſthæc animalcula, turpiter deinde prouoluantur, eaque poplitibus flexis adorent. Quid namque muribus, quid felibus abiectius? nihilominus diuinos ipſis honores à quibuſdam Ethnicis antiquitus delatos fuiſſe ex hiſtoriarum monumentis conſtat.

PH. Referunt Franciſcus Beceius & Ægidius Aquila, quod paulò ante tempora Ludouici Imperatoris, in Pannonia viperæ & lacertæ in corporibus hominum & vbiq; in domibus natæ fuerint, & cum homines illas igne & fuſtibus interimerent, vna inter illas voce humana & apertiſſimis verbis dixerit: nihil efficietis contra vltionem diuinam pugnantes. *Serpentes.*

TH. Flauii Ioſephi opinio eſt, Deum Adamo & Eua contra expreſſum eius mandatum in paradiſo lapſis, ſerpenti vocem ademiſſe, ob malitiam qua erga Adamum eſſet vſus; venenumque linguæ eius indidiſſe, & hoſtem eorum declaraſſe: ſimulque admonuiſſe, caput eius plagis impetendum eſſe; tum quod in hoc pernicies hominis ſita ſit, tum quod ipſa beſtia hoc pacto facilime opprimatur; adhæc pedibus priuatum, trahi ac volui per terram feciſſe; hiſque pœnis impoſitis Deum, Adamum & Euam ex horto in aliam regionem trāſtuliſſe. Cum itaque tam inueteratum & genuinum odium inter hominem & ſerpentem ſit, mirari ſatis non poſſum, quod tam venenatum & inuiſum omnibus

Digitized by Google

animal in tanto tamen honore apud veteres gentiles fuerit, vt non tantum progenitores ſuos in id mutatos recenſere laudi duxerint, ſed etiam diuinitatem aliquam & peculiarem cultum illi attribuerint. Hancque impiam & faſtu turgidam opinionem mirificè auxit Satan, impoſtor ille omnium maximus, vt homines eo grauius deciperentur. Ac ſane de cultu draconis extat hiſtoria in ſacris literis de idolo Babyloniorum in forma draconis, quem Daniel Propheta arte quadam ſuffocauit. Notum præterea eſt, Ophitas ſectarios ſerpentem etiam Chriſto, impio dogmate prætuliſſe. Ac ſanè cultus ſerpentum vel draconũ olim frequentes fuiſſe, ſumpto forte exemplo à ſerpente Moſaico, cõſtat ex multis hiſtoriis, & ob eam idololatriam, ſimilibus venenatis vermibus & ſerpentibus, diuinitus Iſraelitas punitos fuiſſe ſcribitur in libro Sapientiæ Salomonis, cap. 15. & 16.

EQ. Legimus Tiberium Cæſarem ſerpentem draconẽ in deliciis habuiſſe, eique manu ſua cibum miniſtrare ſolitum quem cũ is corroſum à formicis reperiſſet monitus eſt cauendam ſibi eſſe vim multitudinis, formicas enim populi ſignificatum habere. Nã & Ne o, paulo antequam extingueretur, viſus eſt ſibi per ſomnium pennatarũ formicarum multitudine oppleri.

PH. Quod ad ſerpentem corroſum à formicis attinet, quod loco portẽti habitum fuit, naturali ratione id fieri potuit, ſicut Rubeta virulentiſſimum animal non raro formicis eſca fit. Rubetas enim ſenio ac veneno, quod à terris vndiq; contraxerunt, graues ac pingues, formicarum exercitus auidiſſimè ſugit, nec quicquam reliquum facit præter oſſa & Bufonium lapidem; cuius ea vis eſt, vt omne virus eluat ac curet. Ita fit, vt animal illud, quod omnium impuriſſimum iudicamus, non modò viuens ab ipſis terris venenum auferat: verum etiam moriẽs veneni amuletum nobis relinquat, & iucundiſſimum formicis præbeat alimentum.

EQ. Nonnulli ex Lituanis & Samogitis, retẽto gentilitio ritu à maiorib. accepto in domib. ſub fornace, vel in angulo vaporarii, vbi menſa ſtat, ſerpentes fouent, quos numinis inſtar colẽtes, certo anni tẽpore precib. ſacrificuli euocant ad menſam. Hi vero exeuntes per mundum linteolum cõſcendunt, & ſuper mẽſam aſſident, vbi poſtquã ſingula fercula delibarũt, rurſus deſcendunt, ſeque abdunt in cauernis. Serpẽtibus digreſſis, homines læti fercu-

la illa

la illa prægustata comedunt, ac ſperãt illo anno omnia proſperè ſibi euentura. Quod ſi ad preces ſacrificuli non exierint ſerpentes aut fercula ſuper menſam poſita non delibauerint; tũ credunt ſe anno illo ſubituros magnam calamitatem.

TH. Vah deploratã ſuperſtitionẽ, quaſi vero hominũ fortuna in venenatorũ ſerpentũ apparitione atq; arbitrio poſita ſit; Imò vero ſerpentũ apparitio inſignẽ aliqñ concitauit calamitatẽ. Cum n. aliquando inter regẽ Galliæ & Angliæ ortæ eſſent ſimultates, animiſq; vtrinq; exacerbatis vterque rex magnum & inſtructũ exercitum in aciem produxiſſent, iam iam præliũ inituri, nonnulli ex ducib. militiæ, dubiam incertamq; belli aleam perpendentes eo rem deduxerunt vt ambo reges prius ad colloquium, ſinguli cum paucis familiaribus venirent, ſi fortaſſe abſq; prælio tranſigi inter ipſos poſſet. Conuentum itaq; eſt, vt in eadem planicie, in qua acies inſtructæ erant, locus idoneus & ab inſidiis tutus eligeretur ad congreſſũ familiarem duorũ regum. Explorata re, ſacellũ quoddam deſertũ & propemodum dirutũ medium inter acies placuit. In quo cũ reges armati remotis arbitris placidè colloquerentur, & ipſorũ familiares quos pari numero ſecũ armatos aſſumpſerant ante oſtiũ interea excubias agerent: non difficulter inter eos mitigatis animis cõuenit; vt vtriuſq; exercitus in caſtra reduceretur, & induciis factis de conditionib. pacis altero die frequẽtiori conſilio deliberaretur. Dũ his aliiſq; familiarib. ſermonibus duo illi reges eſſent occupati & ex hoſtib. amici facti eſſe viderẽtur, ſeq; ad ſuos recipere vellẽt: ecce tibi anguis immanis ex angulo quodã ſacelli præter opinionẽ emergit, & quaſi petitura reges ſibilis ſuis eos perterrefacit. Illi videntes hanc minacem & venenoſam beſtiã, ad ſe tortuoſis flexib. accelerantẽ, colloquiũ mox abrumpunt, & vt ſe ab ea defenderent, gladios ſtringũt, repẽteq; ſeſe, gladios exertos manibus gerentes foras raptim proripiunt. Eamiliares ipſorũ inſcii quid accidiſſet, ratiq; ſimultatẽ inter Reges iamdudum hoſtes in ſacello ex colloquio ortam itidem faciunt, & vnuſquiſque ſuo Regi expeditis armis aſſiſtit, velut conflicturi. Hoc cum vterque exercitus; qui in acie non procul ſtabat, conſpiceret, nulla mora, quaſi ſigno dato prælium ineunt, & nec quicquam probibentibus regibus, ei foremq; demonſtrantibus tanto furore manus conſerunt, vt multa millia cæſa ſint, durauitque prælium, donec nox eos ſegregaret.

Digitized by Google

PH. Alexander Magnus certè gloriari non erubuit, Olympiaden matrem à Dracone ſub ſpecie Iouis Ammonis compreſſam, ex illo ſe genitum eſſe. Vnde eius inſignia fuere, anguis infantem vix natum & adhuc madentem ſanguine, ore euomens, ſicut in veteribus numiſmatis eius ſigillum reperitur, quo ſe Ioue natum per ambages oſtendebat. Hoc quoque de Scipione Africano traditum eſt. Famam enim ſparſam eſſe refert C. Oppius, qui eius vitam conſcripſit, & Liuius, necnon & Gellius, eum ex anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius perſæpe viſam prodigii eius ſpeciem, interuentuque hominum euolutam repente ex oculis elapſam. Idem de Augusti matre traditum eſt à Suetonio. Scribit enim Attiam, cum ad ſolenne ſacrum media nocte veniſſet, poſita in lecto lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormiiſſe, draconemque repente irrepſiſſe ad eam, pauloque poſt egreſſum, illamq; expergefactam quaſi à concubitu mariti purificaſſe ſe; & ſtatim in corpore eius extitiſſe maculam veluti depicti draconis, nec potuiſſe vnquam eximi, adeo vt mox publicis balneis prpetuò abſtinuerit. Galerius quoque Imperator, qui quod ortus parentibus agrariis & paſtor armentorum fuiſſet, Armentarius dictus eſt, in ſo lentè affirmare auſus eſt, matrem ſuam more Olympiadis Alexandri Magni genitricis, compreſſam à dracone, ſemet concepiſſe.

E.Q. Ludibria diabolica hæc fuiſſe, minime dubium eſt. Quid quod ipſa Alexandri Magni mater hocce commētum de ſe ſparſum deriſit. Cum enim Alexander filius ita ad matrem ſcripſiſſet. Rex Alexāder Iouis Ammonis filius, (credidit namque ſuperſtitioſa antiquitas, draconem Iouis eſſe Genium) Olympiadi matri ſalutem dicit; illa feſtiuiſſimè ita reſcripſit; Amabò quieſcas, neque deferas me neq; criminere aduerſus Iunonem. Magnum illa mihi prorſus malū dabit, quum tu me literis tuis pellicem illi eſſe confiteris.

PH. Fuerunt ſerpentes apud antiquos ſymbola ſalacitatis & procacitatis. Vnde Araxam famoſę libidinis fœminam, cuius Diodorus meminit, fingebāt fuiſſe ſemiviperam, humana videlicet forma vmbilico tenus, reliqua viperina.

E.Q. Somnia de ſerpentibus haud rarò fuiſſe ominoſa ex hiſtoriis earumque certis euentibus conſtat. Cui rei memorabile exemplum extat apud Marinum Barletium, de matre Georgii Caſtriotæ,

ſtriotæ, qui vulgo Scanderbegus dictus fuit. Feruntenim, quod cũ concepiſſet eum mater, ſerpentẽ ſe enixam eius magnitudinis ſomniatit, qui totã ferè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, & cruentis faucib. eos abſorberet: caudam verò teneret inter Chriſtianos & Veneti maxime imperii terminos Narratum id ſibi Iohannes Princeps Epiri, eius pater ingenti lætitia ſolatus vxorem naſciturum ex ea virſi ominatus facilè eſt clarum bello factiſq;, qui Turcarum ſimul hoſtis acerrimus, idemque dux feliciſſimus, & Chriſtianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperii perpetuus exiſteret. Nihil fefellit ſe vel alios, ſollicitus parens, ſed aucta magis eſt vaticinio fides puero nato. Nãq; aliud pulchrius longè clariuſq; bellici decoris ſignum in dextro infantis brachio viſum forma, enſis ita expreſſa, vt manu facta videretur. Hæc Barletius.

TH. Ex euentibus ſomnia aucupamur, ſomn orumq; memoriam refricamus, abſq; vllo fundamento, cuius euidẽs ratio reddi poſſit. Quin hoc potius ſæpe nobiſcum animo penſitemus, non quid ſerpentina ſomnia portendant, ſed quid rei ſit, quod ex cadauere humano vermes & ſerpentes naſcuntur, huius namque rei conſideratio profundior omne nobis de ſomniis inane prodigium, quod mente concepimus, facile excutiet. Hoc namque quaſi digito author omnium calamitatum, & corruptionis noſtri, vt & irreconciliabile odium nobis monſtratur: antiquum vid. ſerpentem non ſolum viuentibus nobis inſidiari, verum etiam mortuos laniare, & depaſcere non ceſſare. Quod vero ex homine putrefacto naſcuntur ſerpentes, eo ipſo indicatur origo & fœditas peccati. *Mihi experto credite*, ait Auguſtin. *quod apertis ſepulchris in capitibus inuenietis buſones ſaltantes, generatos ex cerebro, in renibus ſerpentes generatos, in lumbis ambulantes, in ventre vermes ſcaturientes, generatos ex viſceribus. Ecce quid ſumus, & quid iam erimus, ecce in quod reſoluimur.*

Quid niſi fœtor homo eſt? fœtores inter inaluo
Gignitur & latitat, tener è fœtente fauiſſa
Eruitur fœtens totius tempore vitæ
Seſe intra fœtet, fœtores eijcit ex ſe.
Corpus inane anima tandem fœtore maligno
A ſe abigit cũctos, & cum fœtore ſepulchro
Fœtenti infertur. Quæſo, vnde ſuperbia tanta
Nos inflat? tanto cur cum torpore geluque

Cæleſtem patriam expertem fatoris amemus?

PH. Sunt nimirum iſthæc occulta naturæ miracula, quorum ratio conſtans ab hominib. reddi non poteſt; cuiuſmodi multa paſſim extāt, quorum ὅτι quidem & non διότι monſtrare quilibet poteſt. Quale inter cætera eſt illud, quod de Phænice Indica traditur, quæ cum vnica ſit atque omnis conſortii exors, moribunda tamen poſt ſe ſibi ſimilem reſuſcitat. ſeneſcens enim caſia thuriſque ſurculis nidum conſtruit, quem odoribus replet & ſuperemoritur: ex oſſib. deinde & medulla eius naſcitur primùm tanquam vermiculus, inde fit pullus, principioque iuſta funeri reddit, & totum defert nidum prope Achaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponit. Præterea in apum genere quantumuis multa nonnunquam examina videamus omnem ſexus differentiam diſcrimenque natura eis ademit: & tamen illæ & aliæ ex illis generantur, nam, vt ait Auguſtinus, ſemina filiorum non coeundo, ſed tanquam ſparſa per terras ore colligunt. Et in reliquo inſectorum genere (quanquam in veſpis muſciſque ſexus diſcrimina vtcunque cognoſcamus) non rarò vſu venire videmus, citra vllum maris & fœminæ congreſſum, ex retruſis herbis, aut alio quouis modo quoduis inſectorum genus produci: nam ex putredine bo um apes generari, autor eſt Virgilius 4. Georg. Quo etiam alludens Ouidius Naſo inquit:

Cognita res vſu, putri de viſcere tauri
Sortilegæ naſcuntur apes.

Ex equis autem veſpæ & crabrones originem trahunt; preſſus enim bellator equus crabronis erigo eſt: ex aſinis fuci, atque ex eorundem ſtercore ſcarabæum ortum, Lucianus ſcribit: Blattaria herba ſuas habet blattas, ſalix cimices: ex mori foliis naſcuntur bombyces. Producitur autem hoc animal primò ex verme ſui generis, quod cornua habet: inde ex illo eruca, poſt bombyx, inde nicedalus, ſpatio ſemeſtri tota hac metamorphoſi abſoluta. Ex capillis menſtruoſæ mulieris ſub fimo locatis oriri ſerpentes tradunt: ex pilo de cauda equina in aquā proiecto vermem valde pernicioſum; imò herbarum ferè ſingula genera tranſeunt in diuerſas vermium & ſerpentum ſpecies, variis præditas formis atque virtutibus: In æſtate aquæ guttæ alicubi pulices generant; eędem in Darienę noui orbis in rubetas conuertuntur.

EQ. Quia hæc omnia ac ſingula in contemptum ac ludibrium generationis iuxta atque interitus hominum declamitare haud obſcure videtis, age, cur non & pediculorum naturam atque originem eruis, quippe huic tuo inſtituto illorum tractatio per quam foret accommoda. Sic igitur de illis Bartholom. Anglic. in ſuo *de proprietatib. rerum* libro: Pediculus inquit, ex humidis & corruptis vaporibus intercutaneis per poros reſudantib. generatur, vt dicit Conſtant. *in viat.* ſępe, inquit, pediculi & lendes naſcuntur in capite vel in cute ex purgationib. quas natura eiiciens facit conſumere inter cutem & carnem. Super quem locũ dicit commentator: Quidã pediculi ex humore ſanguineo generantur, & ſunt rubei & groſſi: quidam ex phlegmatico, & molles ſunt & albi: quidam ex cholerico, & ſunt citrini, longi, veloces & acuti: quidam ex melancholico, & ſunt illi cinerei coloris, id eſt, ſubnigri & macilenti & motus tardi. Verum de hiſce ſupra à nobis aliquid dictum eſt.

PH. Hinc nimirum metamorphoſes hominum in bruta eſſe poſſibiles, aliquo modo elici poteſt; id quod etiam Plinius exemplis confirmat: refert enim, Arcadum familiam quandam hoc habere peculiare, vt facile transformenrut in lupos, idque hoc qui ſequitur modo; nimirum ex familia iſta pro arbitrio ſelectum quendam ad ſtagnum quoddam eius regionis duci, veſtituque in quercu ſuſpenſo tranare, atque abire in deſerta, transfigurarique in lupum, & cum cæteris eiuſdem generis congregari per annos nouem; quo in tempore ſi homini ſe abſtinuerit, reuerti ad idem ſtagnum, & cum tranauerit, effigiem recipere, ad priſtinum habitum addito nouem annorum ſenio. Tradit præterea Copas qui ſcripſit olympiaca, Demarchum Parrhaſium in ſacrificio quod Arcades Ioui Lyceo humana etiam cũm hoſtia faciebant, immolati pueri exta deguſtaſſe, & in lupum ſe conuertiſſe: Eundem decimo anno dein reſtitutum. Et hęc quidem omnia à Plinio teſte nimirum, citra controuerſiam verace & idoneo, referuntur. Huc accedit quod Apuleius nobilis Platonicus in Hypata ciuitate Theſſaliæ, à Milone inibi ſuſceptus hoſpitio, ingenue fatetur ſe magicis incantationibus in aſinum fuiſſe transformatum, non tamen ablata ſimul ratione, ſed membra

ſolum humana aſinina ſpecie fuiſſe conſpicua. Idem ſibi vſuueniſſe magnis voluminibus teſtatur Lucianus Samoſateus.

TH. Scribit Aurelius Auguſtinus duodeuigeſimo libro eius cui titulus eſt de diuina ciuitate. Cum eſſemus in Italia, audiebamus de quadam regione illarum partium, vbi ſtabularias mulieres imbutas malis artibus in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent vel poſſent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera, iterum ad ſe redirent.

EQ. Monſtroſa ſunt hæc, atq; vt pace veſtra dicam, videntur propemodum fabuloſa, itaq; fides eſto penes autores.

PH. Adeonè tibi hæc videntur fabuloſa? quaſi vero hoc ita inauditum ſit, vt quandoque deriuatum à ſuæ originis natura atque conditione exorbitauerit. Refert Plinius *hiſtor. natur. libro quarto, capit. decimo tertio,* inſulas eſſe in quibus equinis pedibus homines naſcantur, Hippopodes appellati. Et memorat Hermannus minorita, quod anno 1313. mulier VVeiblingæ leonem pepererit. Et Andreas Angel. in lib. *de mirabilibus mundi* refert, quod anno 597. menſe Aprili in Hiſpaniis, Burgeis, vacca quædam duos viuos & integros omnino homines, maſculum & fœminam in lucem fuerit enixa. Sus quoque in Gallia apud Legienſem parochiam enixa eſt fætum humana facie (teſte Genebrardo) circa annum 1105.

EQ. Non eſt eadem vtrobiuis ratio & conſequentia. Fieri enim poteſt, vt quandoque ex forti quadam imaginatione, quandoque diuino miraculo, ad denunciandam futuram aliquam calamitatem, quandoque etiam ex beſtiali & nefaria hominum cum brutis commixtione inſperati iſtiuſmodi, omnino præter & contra naturam in lucem prodeant fætus.

PH. Imò vero propter brutorum cum natura hominis harmoniam quandam atq; conuenientiam, hæc videntur in natura contingere. Atque hinc ferè eſt, quod plurima etiam, quæ hominum videntur eſſe propria non tam aſſuefactione, quam etiam proprio motu à Brutis vſurpata legimus: qualia ſunt, quod Elephantem Græcos pinxiſſe characteres, eundem etiam Ariſtophani Grammatico riualem Stephano Polidem puellam adamaſſe tradit Plutarchus, quin & Draconem adamaſſe

adamaſſe puellam Ætholidem apud eundē authorem legimus, eundem etiam ſuum ſeruaſſe numerum, & ad agnitam vocem accurriſſe à multis creditum eſt. Et apud Plinium legimus, aſpidem ad menſam cuiuſdam quotidie venire ſolitam, cum ſenſiſſet ab vno catulorum ſuorum hoſpitis filium interemptum, inuiolati hoſpitii pœnam necem intuliſſe catulo, nec poſtea præ pudore in tectum id reuerſam; recenſet idē pantheram ob eductos è fouea catulos retuliſſe homini gratias, & extra ſolitudines eductum in viam publicā reſtituiſſe. Tranſeo delphinorum miracula, & leonū agnita beneficia relatasq; gratias. Taceo, viſam Dauniam, ac bouē Tarentinum à Pythagora manſuefactos, horumque ſimilia permulta. Quinetiā homines à brutis nutritos eſſe rarū in hiſtoriis non eſt. Ferunt enim Cyrū Mandanæ filiū à cane enutritū fuiſſe: Telephum Aganes & Herculis filiū ab equa: Sed & Alopes Priamique filium Alexandrum ſcribunt ab vrſa educatū eſſe: Ægiſthum vero Thieſtæ & Pelopiæ filium à capra, ſicut Ælianus hæc congeſſit.

TH. Mira in hiſtoriis animalium traduntur, atque adeo talia, quæ etiam in ſacris literis, ad imitationem hominib. proponuntur, quale eſt illud Salomonis, qui homines deſidioſos ablegat ad formicam. Vade, inquit, ad formicā ô piger, & cōſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quę cum non habeat ducē, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat, *Prouerb. 6. v. 6.* Et *Prouerb. 30. v. 25.* inquit idē ſapiēs: Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum: regē locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit fœliciter: Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum: gallus ſuccinctus lumbos: & aries: nec eſt rex qui reſiſtat ei.

PH. Non abſque ratione itaq; rationem vniuerſis animalibus datam eſſe ſcribit Lactantius, id quod non tantum ex ſuperiorib. vtrobique per nos adductis exemplis conici haud obſcure poteſt, ſed quamplurima inſuper in cæteris animantibus nō tam terreſtribus, quam etiā aquatilibus iuxta ac volatilibus documento ſatis ſunt. Quæſo enim te, quid ſtolidius, & quod falli facilius poſſe iudicetur, eſt quam mus:

mira tamen ſagacitas in illa beſtiola deprehēſa eſt, Mures enim ædes ruinoſas, trimeſtri etiā ſpatio, anteq̃ corruūt, deſerere, & in tutiora loca, ſeſe conferre ſolent, ſicut Leuinus Lemnius poſt alios obſeruauit. Et de brutorū ſagacitate Ouid. 2. Pont. 7. ſic ait:

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.
Sæpe canem viſum longe fugit agna, lupumq́;
Credit, & ipſa ſuam neſcia vitat opem.

Idem 1. Triſt. 1.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſi qua
Excuſſa eſt auidi dentibus agna lupi.

Et Horat. 1. Epiſt. 16.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq́;,
Suſpectos laqueos, & opertum miluius hamum.

Propert. 2. 5.

Non ſolum taurus ferit vncis cornibus hoſtem,
Verum etiā inſtanti læſa repugnat ouis.

Iuuenalis Satyra 15.

Sed iam ſerpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit vrſis.

Manlius 2.

Deniq; ſic pecudes & muta animalia, terris
Cum maneant ignara ſui, legiſq́; per annum:
Natura tamen ad mundum reuocante parentem,
Attollunt animos, cœlumq́; ad ſidera ſeruant,
Corporaq́; ad Lunæ naſcentis cornua ſeruant:
Venturaſq́; vident hiemes, reditura ſerena.

Lucret. lib. 5.

At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræq́;:
Nec crepitacula eius opus eſt, nec cuiq́; adhibenda eſt
Almæ nutricis blanda atq; infracta loquela,
Nec varias quærunt veſtes pro tempore cœli,
Deniq; non armis opus eſt, non mœnibus altis,
Quis ſua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipſa parit, naturaq́; Dædala rerum.

TH. Quid quod animalia quatuor

tuor diuinæ maieſtatis gloriam celebrantia introducuntur. *Apoc. 4. verſ. 8.* Et Auguſtinus ipſe ſenſum meliorem in brutis, quam in hominibus eſſe aſſerit.

PH. Ab auibus quoq; quamplurima ad imitationem proponuntur, eaque mirificè à ſcriptoribus commēdantur: Equorum numero inter cætera eſt illud Claudiani in præf. 3. Honorii, de natura & generoſitate Aquilæ.

Paruos non aquilis fas eſt ſeducere fœtus,
Ante fidem ſolis iudiciumque poli:
Nam pater excuſſo ſaliÿt cum germine proles,
Ouaq; maternus rupit hiulca tepor:
Protinus implumes conuertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Conſulit ardentes radios, & luce magiſtra,
Natorum vires ingeniumque probat,
Degeneres refugo torſit qui lumine viſus,
Vnguibus hunc ſæuis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Suſtinuitque acie nobiliore diem:
Nutritur volucrumq; potens & fulminis hæres,
Geſturus ſummo tela triſulca Ioui.

TH. Quia mentionem aquilæ facis, obiter mihi iam occurrunt quædam quæ non tam de aquilis, quam etiam de aliis quibuſdam alituum ſpeciebus ex autore quodam, cuius mihi nomen iam non occurrit, deſcripſi, quæ quia inſignes quaſdam commonefactiones morales continent, lubens ea, & quidem ipſiuſmet authoris verbis formalibus, recenſebo. Sic autem præmiſſis præmittendis, initio facto de Aquila & poſt de cæteris alitibus: Aquila inquit tres proprietates habet, quas & nobiles habere debent.

Altius volat cæteris auibus, attamen infra ſe videt ad terram: Sic Nobiles, Principes quanquam exaltentur ſuper alios homines in dignitate & honore, tamen infra ſe videant, quia mortales ſunt, de terra creati & in terram reuertentur. Vnde Eccl. 7. *Memorare nouiſſima &c.* & Bernhardus: *Cogita vnde veneris & erubeſce, vbi es ingemiſce, quo perperas pertimeſce.* Item, *quotidie cogita de ratione reddenda de te & ſubditis. Iudicium enim duriſſimum fiet his, qui præſunt.* Sap. 6. *De auibus quibuſdam.*

Prædam diuidit aliis auibus, non ſola comedit. Sic Principes condiuidere debēt bona ſua temporalia ſubditis & pauperibus. *Quod ſupereſt* inquit Chriſtus Luc. 11 *date eleemoſynam.* Et Chriſtus reputat ſibi factū q; pauperi fit. *Matth.* 25. Oppoſitū faciunt, q; bona

bona ſua hiſtrionib. dant porius quam pauperibus. Vnde *Aug. Hiſtrionibus dare, eſt dæmonibus immolare.*

Pullos ſuos contra ſolis radios probat, qui clare videanr, aut qui lippos oculos habeant: Sic nobiles debēt probare pueros, vtrum apti ad literas vel ad ſtudium, & ad ſapientiam debent eos coarctare, vt ſtudeanr, quomodo ſeipſos & alios regere debeant.

Philomela de nocte dulce canit, quando reſidet ſuper oua ſua in nocte, propter tædiū quod habet, incipit alacriter canrare & multum dulciter, vt homo turbatus recreari poſſit, & ſignificat religioſos ſiue Chriſtianos. Vnde Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.*

Griſeas & ſimplices veſtes gerit: Sic Chriſtiani, ſimplices nō pretioſas & variorum colorum veſtes gerere debent.

Cignus conuenit ſenibus. Cignus eſt albus in plumis. Sic ſenes debent eſſe albi, id eſt, puri & mundi mēte & corpore. Quāto enim ſenes ſunt morti viciniores, tanto debent eſſe puriores.

Niger eſt cignus in cute. Sic ſenes debent eſſe nigri, id eſt, humiles, non ſuperbientes de bonis operibus, ſi quæ fecerunt in iuuentute. Periculoſum enim eſt ſe extollere in bonis operibus.

Cignus habet collum obliquum & longum, in quo deſignatur ſapientia. Vnde pictores depingunt virum ſapientem cum collo obliquo & longo, vt ſapiēs primo pmeditetur, bis vel ter, q̄d loquatur, quando aut vbi apud quos loquitur, vtrum ſit vtile, licitum, honeſtum, bonū, verum. Sic ſenes, in quib. deber regnare ſapientia verborum, & diſciplina bonorum morum, debenr præmeditari, quid, quomodo loquantur coram iuuenibus: quia iuuenes communiter diu retinēt verba ſeniorū, ergo ſenes debent proferre verba vtilia & ædificatoria. Oppoſitum autem faciunt inueterati dierum viri & mulieres, qui cum nō amplius actu poſſint perficere, ramen delectantur in pactis peccatis, & gloriantur in malis ſuis, loquendo verba impudica coram iuuenibus & puellis eos ſcandalizando. Væ autem homini, per quem ſcandalum venit, Matth. 18.

Apis conuenit iuuenibus, quia apis in operatione valde fructuoſa eſt, & cōtinue quando tempus habet, laborat, volat ſuper roſas, lilia, flores, & liquorem quem ſugit, in mel conuertit, & obedienter ſequitur regem. Sic iuuenes debent inſiſtere laboribus, d ſcere laborare, nunquam ocioſi eſſe, quia homo ocioſus nō eſt dignus pane, quo veſcitur. Qui non laborat, non manducet. Otium enim

enim & voluptas ſunt arma diaboli ad capiẽdas animas. Itẽ ſicut apis volat ſuper roſas, ſic iuuenes attendere debent probos & pios homines, & bona exempla ab iis recipere. Item apis ſequitur regem ſuum: Sic pueri debent ſeq; parentes in bonis & eis obedire in licitis & honeſtis.

Columba conuenit illis, qui in matrimonio ſunt. Primo quia duæ ſe ſociant. 2. fœtus multiplicant. 3. fœtum fideliter nutriunt: Sic in matrimonio ſimul debent eſſe coniuncti: Iam non ſunt duo, ſed vna caro. Matth. 19. Actum matrimonii propter prolem perficiant. Creſcite & multiplicamini. Geneſ. 1. Pueros fideliter debent nutrire & in bonis edocere. Si delinquunt, corrigere, alioqui peccata puerorum redundant in parentes.

Turtur conuenit virginibus & viduis. Eſt enim caſta auis: Sic virgines debent eſſe caſtæ mente & corpore, & ſic ducunt vitam angelicam. *In carne præter carnem viuere non eſt humanum ſed angelicum*, inquit D. Hieron. Item Turtur eligit ſibi granum purum & triticum, non curat cadauer ſicut coruus: Sic virgines debent ſibi eligere Chriſtum in ſponſum qui ſe in Euangelio aſſimilat grano tritici. Item Turtur quando perdit maritum, nunquam aſſumit ſibi alium, nec ſuper ramum viridẽ amplius ſedet, nec aquam puram bibit. Item quando perdit maritum, habet gemitum pro cantu: Sic viduæ debent peccata ſua deplangere, nec amplius turpia verba proferre, ſed orationi intendere. Itẽ Turtur caret felle: ſic virgines & viduæ debent eſſe mites, non iracundæ.

Grus conuenit famulis & ancillis. Nam grues habent regem cui obediunt omnes: Sic ſerui & ancillæ obediant dominis ſuis in licitis & honeſtis. *Serui obedite dominis*, Eph. 6. Grues item habent cuſtodem & vigilem, qui cuſtodit regem cum cæteris. Et iſte vigil à natura habet iſtã prouidentiam, quod recipit lapidẽ in pedem dextrum, & ſtat ſuper ſiniſtrum, & quam cito dormitare incipit, lapis cadit de pede, & ſic euigilat; quando aliquid audit clamat, & ſic omnes euigilant, auolant, & periculum euadunt: Sic ſerui & ancillæ debent eſſe vigiles, cuſtodire res dominorũ ſuorum & præ oculis habere, vt ſuę ſponſioni ſatisfaciant, promouendo bona dominorum ſuorũ, & præueniendo damnum, quantum poterunt. Hoc non præſtãt, qui furtiuè bona dominorũ ſubtrahunt, vel aliis cõtra voluntatẽ dominorum cõmunicant. Hucuſq; verba innominati autoris, q; etſi aliquã ſtyli ruditatem præferunt, ſtudio tamẽ, ne aliquid immutaſſe

mutaſſe videar, illa verbotenus recenſere volui. Atq; is quidem plura hiſce conſimilia congerit, ſed hæc nobis ſufficiant.

PH. Memorabile inprimis eſt, quod ii qui animalium hiſtorias ſcripſere, tradunt, Accipitrem, videlicet alitem rapaciſſimũ, rigenti brumæ tempore, calidioris temperamenti paſſerculum vnguibus implicitum noctu ſibi pectore ſolitum admouere, eoq; ſe à frigore tueri; mane illum illæſum intactumq;, vt beneficii memorem dimittere. Rem ſimilem de aquila & columba nonnulli produnt.

TH. Conſtans etiam fama, eaque experimentis comprobata eſt, quod ciconiæ congregatæ, quãdo inſtinctu quodam naturæ ſentiunt, quod aliqua de illis relicto compare ſuo, commixta eſt alii, omnes inſurgunt in eam, & alis, roſtriſq; in eam deſæuiunt.

PH. Mira etiam quamplurima ac propemodum naturæ miracula ac remedia præſentiſſima, quæ in animãlibus obſeruantur, recenſet inter cætera Plinius his verbis: Veſtigiũ, inquit, equi excuſſum vngula (vt ſolet plerunq;) ſi quis collectum reponat, ſingultus remediũ eſſe recordantibus quonam loco id repoſuerint. Iecur leporũ equinæ vngulę ſimile eſſe, & rumpi equos qui veſtigia luporum ſub equite ſequantur. Talis ſuum diſcordiæ vim quandam ineſſe. In incẽdiis ſi fimi aliquid egeratur è ſtabulis, facilius extrahi, nec recurrere oues boueſque. Hircorum carnes virus nõ reſipere, ſi panẽ hordeaceum eo die, quo interficiãtur, ederint, laſerue dilutum biberint. Nullas vero teredinem ſentire, Luna decreſcente induratas ſale. Adeoq; nihil omiſſum, vt leporem ſurdum celerius pingueſcere reperiamus. Animalium vero medicinas: ſi ſanguis profluat iumentis, ſuillum fimum ex vino infundendum. Boum autem morbis ſeuum, ſulphur viuum, allium ſylueſtre, ouum coctum: omnia hæc trita in vino danda, aut vulpis adipem. Carnem Caballinam diſcoctã, p tu ſuum morbis mederi. Omnium vero quadrupedum morbis, capram ſolidã cum corio, & ranam rubetam diſcoctas. Gallinaceos nõ attingi à vulpibus, qui iecur animalis eius aridũ ederint: vel ſi pellicula ex eo collo inducta, galli inierint. Similia in felle muſtelæ. Boues in Cypro contra tormina hominum excremẽtis ſibi mederi. Nõ ſubteri pedes boum, ſi prius cornua pice liquida perungantur. Lupos in agrum non accedere, ſi capri vnius pedibus infractis, cultroque adacto paulatim ſanguis circa fines agri ſpargatur, atque ipſe defodiatur in eo loco ex quo cœperit

petit trahi. Aut ſi vomerem, quo primus ſulcus eo anno in agro ductus ſit, excuſſum aratro, focus Larium, quo familia conuenit, abſumat: ac lupum nulli animalium nociturũ in eo agro, quandiu id fiat. Hucuſq; Plinius.

TH. Sunt hæc naturæ miracula animantibus congenita, quæ occulto quodam naturæ motu atque influxu ſuos ſortiuntur effectus, habent etiam inſuper atque intra ſe plerunque gerunt læſionum quas hominibus inferũt, remedia; qualia ſunt, quod morſui canis medentur pili è cauda canina euulſi, vulnerique impoſiti. Sic contra viperarum morſus remedium eſt caput viperæ contritum, vulnerique impoſitum. Et ſcorpionum ictibus oleum ſcorpionum medetur. Omnium vero maxime miraculoſum fuit, quod ſerpens æneus mandato diuino à Moiſe in deſerto erectus, omnibus iis qui illum duntaxat contuebantur, contra venenatos ſerpentũ morſus remedium fuit præſentiſſimum.

PH. Deſeruntanimantia, ſua ſecum arma à natura, recondita etiam intra ſeſe habent venena, quæ in aliorum perniciem irritata poſſunt euomere atque transferre. Ad arborem exacuunt limantque cornua elephanti, ad ſaxum rhinocerotes, ad vtrumque apri dentium ſicas, ſciuntq; ad nocendum ſe præparare animalia; veneniſque tela ſua quæ prouida ipſis natura elargita eſt, tingere, id quod homini denegatum eſt.

EQ. Egregia vero inde laus atque prærogatiua. Quod ſi exinde aliquid præeminentiæ enaſcitur, dic age, annon etiam homines ſagittas veneno vngere, flumina, rerumque naturæ elementa inficere, ipſum quoque quo viuitur, aerem, in perniciem vertere poſſunt? A nullo animante, præter hominem, veneno pugnatur alieno, omnia pugnant veneno proprio. Id vero inde euenit, atque hoc ſe indicio produnt, quod nimirum veneni ſui ipſorum ſpiritus nullum aliud norunt præmium, q̃ odiſſe omnia. Hominis econtra, cuius naturæ nullum connaſcitur venenum, eo maior exinde ſplendeſcit maieſtas, quod frugi potius illum ac amabilem, quam damnoſum aut cæteris rebus creatis inimicum, progenerare prouida rerum natura voluit.

PH. Inſignem videlicet hominis maieſtatem præfers, q̃ tamen prudentiſſimi quique atq; emunctiſſimæ naris viri vſque adeo explodunt ac deplorãt, vt non rari fuerint, qui quoduis etiã abiectiſſimum animal, ſiquidem optio

illis daretur, eſſe præoptarunt, quam vt hominis formam ac naturam capeſſerent. Atq; hinc fere eſſe videtur, quod metamorphoſin illam ac transformationem in beluas, de qua paulo ſupra à nobis dictum eſt, quamplurimi ſæpius tantopere affectarũt.

EQ. Monſtroſa iſthæc ſunt ingenia, monſtroſi proinde etiam ſunt ipſorum etiam affectus. Simile enim tranſire cupit in ſimile. Et longe melius ſenſit in huiuſmodi negotio, bubulcus quidam olim, de quo in hiſtoria Eccleſiaſt. Concilii Conſtant. Is namq; cum aliquando humi repentem bufonem conſpexiſſet, ſubito exclamare & eiulare cœpit: cumq; duo Epiſcopi, qui tum forte hac iter faciebant, eum interrogarent, cur ita lacrymis indulgeret? Reſpondit, *Se illius bufonis conſpectu, ſuæ erga Deum ingratitudinis commonefactum, quod nunquam in vita pro beneficio creationis Deo egiſſet gratias*: illud adiiciens: *Cum enim in poteſtate Dei fuerit me aut hominem, aut tam tetrum ac venenatum animal creare; maluit tamen immenſa bonitate, me ad imaginem ſuam condere. Hac iam primum cogitans, cœpi exſecrari meam ingratitudinem veris lachrymis & gemitu cordis, & in poſterum promitto, maiore ſtudio me Deo gratias acturum pro ſummis ipſius beneficiis.*

Hui: quam magnifice & egregie dictum!

Et ſic ſurgunt indocti, rapiuntque cœlum, cum multi cum doctrina ſua volutantur in carne & ſanguine, ait Auguſtinus. Hoc autem tam pio bubulci reſponſo obſtupefacti Epiſcopi, ſeſe mutuo contuentes, mirari ſatis hanc hominis indocti vocem non poterant. Tanta ſapientia ſub ſordido bubulci latuit pallio.

PH. Fuit hæc vox atque ſententia bubulci, bardi atque obtuſo ingenio præditi, cuius ſane iudicium ſi grauiſſimorum virorum præferretur iudiciis, præter rationem fieret, ſed enim etiam te nõ dicente facile augurari poſſum, quid ad hæc dicturus fores, vulgatum nimirum illud, quod

Sæpe etiam eſt olitor verba opportuna locutus.

Audi vero quid Plinius de hominis cõditione ſentiat: ſic namque *in proœmio libri ſeptimi natur. hiſtor.* ſcribit: Mundus, & in eo terræ, gentes, maria, inſulæ, inſignes vrbes, ad hunc modum ſe habent. Animantium in eodem natura, nullius prope partis contemplatione minor eſt, ſiquidẽ omnia exequi humanus animus queat. Principium iure tribuetur homini, cuius cauſa videtur cũcta alia genuiſſe natura,

Digitized by Google

magna & ſæua mercede contra tanta ſua munera: vt non ſit ſatis æſtimare parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris variè tegumenta tribuit, teſtas, corrices, coria, ſpinas, villas, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboreſq; cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumq; tot animantium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At hercule riſus, præcox ille & celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaque feliciter natus iacet, manibus pedibuſque deuinctis, flens animal cæteris imperaturum: & à ſuppliciis vitam auſpicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos! Prima roboris ſpes, primumque temporis munus quadrupedi ſimilem facit. Quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans vertex ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totq; medicinæ contra mala excogitatæ, & hæc quoque ſubinde nouitatibus victæ. Cætera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare, hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breuiterque non aliud naturæ ſponte, quam flere: Itaque multi extitere, qui nō naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſſimè aboleri. Vni animantium luctus eſt datus, vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per ſingula membra, vni ambitio, vni auaritia, vni immenſa viuendi cupido, vni ſuperſtitio, vni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probe degunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia: Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diuerſa genera, ſæuiunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala. Hactenus Plinius.

EQ. Eſt hoc iudicium hominis ethnici, quod num rectum, iuſtaq; ac recta ipſius querela ſit, prudenter expēdit Rhodiginus

lib. 3. cap. 10. Sed & Plutarchus idem quod & Plinius in hominis natura & conditione accuſat. *lib. de fortuna.* Vterque Ethnicus; proinde vtriuſq; iudicium ſuſque deque ferendum. Nam & eiuſdem Plinii ſententia eſt, optimũ fore hoẽm plane non naſci; ſtulta hæc eſt & ridicula, imò etiam impia opinio, vel eo etiam nomine, quia ex ridiculo orta eſt initio. Refert enim Plutarchus in conſolatione Apollonii, Silenum ebrium captum & vinculis adſtrictum percontanti Midæ, quid optimum homini & maxime optabile eſſet, id reſpond ſſe tradit, quod Plinius tanquam ex tripode prolatum iuxta Theologiam Ethnicam crepat. Proinde Epicurus rectè ridet authorem huius ſententiæ, quod non ſtatim è vita diſceſſerit cum optimum id arbitraretur. Nugæ ſunt Ethnicorum, è Chriſtianorum ſcholis explodendæ.

PH. At enim Plinius huiuſce ſuæ aſſertionis minimè aſpernandas affert rationes, idque *lib. 7. hiſt. natur. cap. 7.* Miſeret, inquit, atque etiam pudet æſtimantem, quam ſit friuola animalium ſuperbiſſimi origo, cum pleriſque abortus cauſa fiat odor à lucernarum extinctu. His principiis naſcuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidẽ eius exiſtimas, ſed partum: tu cuius ſemper in victoria eſt mens, tu qui te Deum credis, aliquo ſucceſſu tumens, tanti perire potuiſti: atque etiam hodie minoris potes, quantulo ſerpentis ictus dente, aut etiam vt Anacreon poeta, acino vuæ paſſæ: vt Fabius Senator Prætor, in lactis hauſtu vno pilo ſtrangulatus. Is demum profecto vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Hactenus Plinius.

EQ. Rectè hæc & verè à Plinio dicuntur, quippe quibus ſuperbiã alioquin humano generi connatam vult retundere; quod vero, quantum in ipſo eſt, intuitu huiuſce impotentiæ, hominem è natura rerũ propemodũ vult exuere, atq; extrudere, id verum atheum eſt, quendamque guſtum ſapit impatientiæ ac deſperationis, quę in hominẽ rationis compotem cadere minimè debet.

PH. Non mirum certè eſt, ipſi Plinio, vti homini ethnico, totius vniuerſi, ſingularumq; eius partium inſignẽ peperiſſe ſcrupulum, cum hoẽm quidem maieſtatem quandam atq; præeminẽtiam præ cęteris animantib. pręſe ferre cerneret, quæ tamen omnimodũ vix ac ne vix quidem ſortira fuit effectum. Atque hinc etiam eſt, quod de medicina bruto-

brutorum connaturall agens, illam homini omninò denegatam eſſe queritur. Sic namque lib. 8. cap. 27. inquit: Cerui paſtu dictamni excutiunt corpore ſagittas; à phalangio percuſſi cancrorum eſu ſibi medentur; lacertæ à ſerpentibus ictæ herba quadam ſe refouent; hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia ſuccurrunt: teſtudo cuniculæ paſtu vires aduerſus ſerpentes reficit: muſtela in murium venatu ruta ſe confirmat: ciconia origano: hædera apri ſibi medentur in morbis, item cancrorum eſu: anguis fœniculi ſucco abiicit exuuium: draco vetnam nauſeā ſylueſtris lactucæ ſucco reſtinguit: pantheræ aduerſus aconitū, hominis excrementis ſibi medentur: elephas chamæleontæ fronde (nā ſimilis eſt animāti color) deuorata: vrſi cum mandragorę mala deguſtauere, formicas lābunt: ceruus venenatis pabulis herba cinaræ reſiſtit: palumbes, graculi, merulæ, perdices, laurifolio annuum faſtidiū purgant: idem faciunt columbæ, turtures, gallinacei, herba quæ vocatur helxine: anates, anſeres, cęteræq; aquaticæ, herba ſiderite: grues & ſimiles, iunco paluſtri: coruus occiſo chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit; breuiter nullum eſt animal, quod non intelligat ſua remedia; ſolus homo neſcit, vnde vel corporis vel animi remedia petere poſſit. Hactenus Plinius. Cumq; cæco rationis impetu ferri hoēs vt plurimū noſceret, vſq; adeo vt quæ obſint proſint ue illi, non ſemper diſcernere poſſet, quod ſecus ferè eſt in brutis, proinde non eſt, quod huiuſcemodi, quę impatientiā videtur ſapere, voces, tātopere illi im properentur, quū etiam ſummorū Theologorū de vitæ humanæ miſeria ſcripta atq; ſententiæ idem propemodum atteſtentur.

TH. Ita omnino eſt. Nam & Innocēt. Papa, huius nominis III. in ſuo *de miſeria hominis* tractatu idem propemodum quod Plinius ſentit. Sic enim tractatum illum ab inſigni illo Hieremiæ loco ordítur: Quare de vtriculo matris egreſſus ſum? Vt videā laborem & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei? *Ieremiæ 20.* Si, inquit, talia de ſe locutus eſt ille, quem Dominus ſanctificauit in vtero; qualia loquar ego de me, quem mater mea genuit in peccatis? Heu me dixerim, mater mea, quid me genuiſti filium amaritudinis & doloris? Quare non in vulua matris mortuus ſum? Quare egreſſus ex vtero non ſtatim perii? Cur exceptus genibus, lactatus vberibus, natus in combuſtionem & cibum ignis? Vtinam

vtinam

vtinam interfectus fuiſſem in vtero, vt fuiſſet mater mea ſepulchrum & vulua eius conceptus æternus! Fuiſſem enim quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. Quis ergo det oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam miſerabilem cõditionis humanæ ingreſſum, & culpabilem humanæ conuerſationis progreſſum, damnabilem humanæ diſſolutionis egreſſum? Conſiderauerim nunc igitur cũ lachrymis de quo factus ſit homo: Quid faciat homo: Quid fortè futurus facturus ſit homo: Sanè formatus de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnam; agit praua quæ non licent, turpia quæ non decent, vana quæ non expediunt; fiet cibus ignis, eſca vermis, maſſa putredinis. Exponam id planius, ediſſeram plenius. Formatus eſt homo de luto, de puluere, de cinére, quodque vilius eſt, de ſpurciſſimo ſpermate, cõceptus in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ, quodq; deterius eſt, in labe peccati; natus ad laborem, dolorem, timorem, quodq; miſerius eſt, ad mortem. Agit praua, quib. offendit Deum, offendit proximum, offendit ſeipſum; agit turpia, quibus polluit famam, polluit conſcientiam, polluit perſonam; agit vana, quibus negligit ſeria, negligit vtilia, negligit neceſſaria. Fiet cibus ignis qui ſemper ardet, & vrit inextinguibilis, eſca vermis, qui ſemper rodit & comedit, immortalis maſſa putredinis, quę ſemper fœtet & ſordet horribilis.

PH. His omninò correſpondet, quod diuus Bernard. *lib. Meditat. cap. 3.* Homo inquit nihil aliud eſt, quam ſperma fætidum, ſaccus ſtercorum, & cibus vermium. Poſt hominem vermis, poſt vermem fætor & horror, ſic in hanc ſpeciem vertitur omnis homo. Atque hinc rectè Solon, interrogatus olim, Quid eſſet homo? reſpondit, putredo eſt in exortu, bellua in omni vita, eſca vermium in morte.

TH. Vilitatem ergo materiæ è qua format⁹ eſt homo, idẽ Innocentius deſcripturus; formauit, inquit, Dominus Deus hominem de limo terræ, quæ cæteris elementis eſt vilior, vt patet Geneſeos ſecundo. Planetas & ſtellas fecit ex igne. Flatus & ventos fecit ex aëre. Piſces & volucres fecit ex aqua. Homines & iumẽta fecit de terra. Conſiderans igitur aquatica ſe vilem inueniet. Conſiderans aërea ſe viliorem agnoſcet. Conſiderans ignea ſe viliſſimum reputabit: Nec ſe parificabit cœleſtibus, nec audebit ſe præferre terrenis, quia parem ſe iumentis inueniet & ſimilem recognoſcet. Vnus enim eſt hominum

minum & iumentorum interitus & æqua vtriuſque conditio, & nihil poteſt homo iumento amplius. De terra orta ſunt & in terram pariter reuertentur. Verba ſunt iſta non cuiuslibet hominis, ſed ſapientiſſimi Salomonis, *Eccleſ. tertio.*

Quid eſt igitur homo niſi lutum & cinis? Hinc homo dicit ad Deum, memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem me deduces. Hinc & Deus inquit ad hominem; puluis es, & in puluerem reuerteris. Comparatus ſum, ait Iob, luto & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri. Lutum efficitur ex aqua & puluere, vtroque manente: Cinis autem fit ex ligno & igne, vtroque deficiente. Expreſſum myſterium, ſed alias exprimendum. Quid ergo lutũ ſuperbis? de quo puluis extolleris? vnde cinis gloria is?

PH. His conſonat, quod Bernhard. de conſideratione vilitatis humanæ: Septem inquit, ſunt de eſſentia hominis, quæ ſi homo conſideraret, in æternum non peccaret, ſcilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, ſtatus inſtabilis, mors triſtabilis, diſſolutio miſerabilis, damnatio deteſtabilis & conſideratio gloriæ ineffabilis.

TH. Audiuiſti vilitatem materiæ ex qua conſtat homo: Audi nunc etiam atque attende vitium conceptionis. Quis enim, inquit Iob, poteſt facere mundũ de immundo conceptum ſemine? quid eſt homo, quod immaculatus ſit, & iuſtus appareat natus de muliere? *Iob. 14.* Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Pſal. 50.* Non in vna tantum iniquitate, non in vno tantum delicto, ſed in multis iniquitatib. & in multis peccatis. In delictis videlicet & iniquitatibus alienis. Eſt enim duplex conceptio, vna ſeminum, altera naturarum. Prima fit in commiſſis: ſecunda fit in contractis. Parentes committunt in prima, proles contrahunt in ſecunda. Quis enim eſt, qui neſciat concubitum etiam coniugalem nunquam omnino committi ſine pruritu carnis, ſine feruore luxuriæ, ſine fœtore libidinis? Vnde ſemina concepta fœdantur, maculantur & vitiantur: ex quibus anima tandem infuſa contrahit labem peccati, maculam culpæ, ſordes iniquitatis: ſicut ex vaſe corrupto liquor infuſus corrumpitur & pollutum contingens ex ipſo cõtactu polluitur. Habet enim anima tres naturales potentias, ſiue tres naturales vires. Rationalem, vt diſcernat inter bonum & malum. Iraſcibilem, vt reſpuat malum. Concupiſcibilem, vt appetat bonum. Hæ tres potentiæ,

ſiue vires, tribus oppoſitis vitiis originaliter corrumpuntur. Vis rationalis per ignorantiam, vt nō diſcernat inter bonum & malum. Vis iraſcibilis per iracundiam, vt reſpuat bonum. Vis concupiſcibilis per concupiſcentiā, vt appetat malum. Prima gignit delictum, vltima parit peccatum, media delictum generat & peccatum. Eſt autem delictum non facere faciendum. Peccatum, agere non agendum. Hęc tria vitia contrahūtur ex carne corrupta per tres naturales illecebras; in carnali quippe commercio rationis ſopitur intuitus, vt ignorātia ſeminetur: libidinis irritatur pruritus, vt iracundia propagetur: voluptatis ſatiatur affectus, vt concupiſcentia contrahatur. Hic eſt tyrānus carnis, lex membrorum, fomes peccati, languor naturæ, pabulum mortis, ſine quo nemo naſcitur, ſine quo nullus moritur; ſi quando tranſit reatu, ſemper tamen remanet actu. Nam ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos facimus mendaces, ſeducimus & veritas in nobis non eſt. *1. Ioan. 1.* O grauis neceſſitas & infelix conditio! Antequam peccamus, peccato cōſtringimur, & antequam delinquimus, delicto tenemur. Per hominem vnum peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum in oēs homines mors pertranſit. *Rom. 5.* An non patres vuam comederunt acerbam? & dentes filiorum obſtupeſcunt? *Ierem. 31.*

PH. Si conceptio adeo eſt fœda ac vitioſa, ipſam quoque concepti & iam ſuccreſcētis embryonis nutritionem fœdam identidem eſſe, facile coniici poteſt. Coniecturis vero in re plana non eſt opus, cum conſtet, fętum quemlibet humanum, conceptum in vtero, nutriri ſanguine menſtruo. Qui fertur eſſe tam deteſtabilis & immundus, vt ad eius contactum fruges non germinent, areſcant arbuſta, moriantur herbæ, amittant arbores fœtus: & ſi canes inde comederint in rabiem agantur, atque adeo vt inſanabili veneno eorum morſus inficiantur. Concepti fœtus vitiū ſeminis huius contrahunt, ita vt leproſi & elephātiaci ex hac corruptione naſcantur. Vnde ſecundum legem Moſaicam, mulier quæ menſtruum patitur, reputatur immunda. Et ſi quis ad menſtruatam acceſſerit, iubetur interfici. Ac propter immunditiam menſtruorum præcipitur, vt mulier ſi maſculū peperit, quadraginta: ſi vero fœminam, octoginta diebus à templi ceſſaret ingreſſu. *Leuit. 20. & 14.*

At vero iſthæc omnia deuorari quadantenus, cæteris ſaluis poſſunt. Omnes namq; ſiue rex ſiue

grex,

grex, idem ortus atque natiuitatis habent primordium, idque omnimodo in dolore partus pariter atque in eiulatu, dicentes E vel A, quotquot naſcuntur ab Eua, quorum vtrumque dolentis eſt interiectio, doloris exprimens magnitudinem. Sed enim hoc demum miſerabile eſt, quãdo infantuli adeo informes & prodigioſi naſcuntur, vt non homines, ſed abominationes potius videantur; quibus fortè melius eſſet prouiſum, ſi nunquam prodiiſſent ad viſum: quoniam vt monſtra mõſtrantur, & oſtenduntur oſtentui: pleriq; vero diminuti membris & ſenſibus corrupti naſcũtur, amicorum triſtitia, parentum infamia, verecundia propinquorũ. Quid hoc particulariter dixerim de quibuſdã, cum generaliter omnes ſine ſcientia, ſine verbo, ſine virtute naſcamur! Flebiles, debiles, imbecilles, parum à brutis diſtantes, imo minus in multis habentes. Nam vt illa orta ſunt, ſtatim gradiuntur, nos autem non ſolum erecti pedibus non incedimus, verum etiam curuati manibus non reptamus.

TH. Concipit ergo, quod Innocẽtius innuere videtur, homo cum immunditia & fœtore, parit cum triſtitia & dolore, cuſtodit cũ inſtantia & tremore: Nuduſq; demũ egreditur, & nudus regreditur: pauper accedit, & pauper recedit. Nudus, inquit Iobus *cap. 1.* egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus, *1. Timoth. 6.* Si quis autem indutus egreditur, attendat quale proferat indumentum. Turpe quidem dictu, turpe auditu, turpiſſimum viſu. Fœdam pelliculam ſanguine cruentatam.

PH. Admirabile nimirũ & valde ſingulare ac inſolens eſt, quod in homine videmus, qui ſolus tandem careat ea natura, qua ſeſe, vt faciunt reliqua omnia, conſeruare queat, cum ne ſuæ quidem ſpeciei abſolutioné à natura conſequatur, & quomodocunque agat, ſemper alterius partis naturæ ſuæ interitum moliatur. Quod ſi enim ſequitur mentem corpus & vitam amittit, ſi vero corporis tuitioni ſtudet, mente priuatur, & illã neſcio ad quem interitum perducit. Ac profecto miſerum eſt videre hominem non ſolum quo externam copiam habet ad vitam, ſed quo internã ſui vim ſortiatur, tot externis auxiliis, tot vtilitatibus ad modum neceſſariis egere. Quæſo enim te, ſi ſubito in lucem editus, in ſolitudinem & deſerta loca abiiciatur, ne ad horam quidem vitam poſſet retinere,

quin ſubitò illam per eundem vmbilicum ſanguine elapſo, amittat, qui in cæteris animantibus ſponte & diſrumpitur, & ſubito diſruptus adſtringitur.

Mitto pleraque alia incommoda. Firmitas aliqua corpori acceſſerit, homo relictus in ſolitudine & deſerto loco ab ineunte ætate, is certè nunquam aut intelligendi, aut alterius facultatis ſtatum perfectum aſſequetur, ac tanquam belua ad ſenectutem deueniet, omnemq; ætatē nullius humanitatis particeps conſumet. Nam quæſo, quando vel indumenta aut arma ſibi neceſſaria poterit fabricare, quin prius & frigore intereat, & in eſcam à feris rapiatur.

TH. Hic nimirum eſt fructus, hæc hæreditas, hæc prærogatiua, quam ſecum ex vtero materno in hoc vniuerſum defert homo. O itaque vilis conditionis humanæ indignitas, ò indigna vilitatis humanæ conditio, qua tamē tantopere homo ſuperbit? Herbas & arbores inueſtiga: illę de ſe pducunt flores & frondes & fructus; & tu de te lendes & pediculos & lūbricos. Illæ de ſe fundunt oleū, vinum, & balſamum; & tu de te ſputum, vrinā & ſtercus. Illæ de ſe ſpirant ſuauitatē odoris; & tu de te reddis abominationem fętoris. In hoc plantis, imò ipſis beſtiis, me hercle, miſerior videris, quoniam hæ vilioribus veſcuntur, redduntque præſtantiora, poma, vinum, lac, lanam, &c. tu meliora vero inſumis, & præter inutilia ſtercora nihil ex corpore reddis. Qualis eſt arbor, talis eſt fructus. Non n. poteſt arbor mala fructus bonos facere. Quid eſt enim homo ſecundum formam, niſi quædā arbor inuerſa? cuius radices ſunt crines, truncus eſt caput, cū collo: cuius ſtipes eſt pectus cum aluo, rami ſunt vlnæ cum tibiis; frōdes ſunt digiti cū articulis. Hoc eſt folium, quod à vento rapitur & ſtipula, quæ à Sole ſiccatur. Iob. 13.

His accedunt inſuper plurima ſenectutis incommoda, quæ etiam nobis non aduertentibus ſubitò irrepit, eaque intra paucorum annorum curriculum. In primordio ſanè conditionis humanæ nongentis annis & amplius vixiſſe homines leguntur. At paulatim vita hominis declinante dixit Dominus ad Noe: Nō permanebit ſpiritus meus in homine in æternū, quia caro eſt; Eruntque dies illius centum viginti annorum, Geneſeos ſexto. Atque ex eo tempore rariſſime leguntur homines vlterius vixiſſe, imò vero cum poſtea coarctaretur magis ac contraheretur, vita humana, dictum fuit à Pſalmiſta, Pſalm. 89. Dies annorum

norum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem ad ſummum octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor. Nonne autem paucitas dierum meorum finietur breui tempore? *Iob. 10. v. 20.* Dies noſtri velocius tranſeunt, quàm à texente tela ſuccidìtur. *Idem c. 7. v. 6.* Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſeriis; *Iob. c. 14. verſ. 1. & 2.* qui quaſi flos egreditur & conteritur & fugit veluti vmbra & nunquã in eodem ſtatu permanet. Pauci nũc hodie ad quadraginta, pauciſſimi ad ſexaginta annos perueniunt.

Si vero quiſpiam ad Senectutem proceſſerit, ſtatim cor eius adfligitur, & caput concutitur, languet ſpiritus, & fœtet anhelitus, facies rugatur & ſtatura curuatur, caligant oculi & vacillant articuli, nares effluunt & crines defluunt, tremit factus & deprimit actus, dentes putreſcunt & aures ſurdeſcunt.

Senex facile prouocatur, difficile reuocatur, cito credit & tarde diſcredit, tenax & cupidus, triſtis & querulus, velox ad loquendum & tardus ad audiendũ; laudat antiquos, ſpernit modernos, vituperat præſens, cõmendat præteritum, ſuſpirat & anxiatur, torpet & infirmatur. Audi Horatium Poetam: *Multa ſenem circumueniũt incommoda.* Omnino vero incommoda; præterquam enim quod ipſa ſenectus morbus eſt, etiam variis anxietatum atq; curarum procellis ſubinde ſenes cõcutiuntur, adeoq; lateres quaſi illis, poſtquam tot laborum moleſtias deuorarunt, demum duplicantur, quos exonerare ſatius foret. Sed enim, ſicut auis naſcitur ad volandum, ſic homo naſcitur ad laborem, Iob. 5. Nec per noctem requieſcit mens eius. Nõ enim eſt quiſquã ſine labore ſub Sole, non eſt ſine defectu ſub Luna, non eſt ſine vanitate ſub tempore. Tempus eſt mora rerum mutabilium. Vanitas vanitatum, inquit Eccleſiaſt. & omnia vanitas. O quam varia ſunt ſtudia hominum, quam diuerſa ſunt exercitia. Vnus eſt tamen omnium finis & idem effectus, labor & afflictio ſpiritus. Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorũ, vſq; in diem ſepulturæ in matrem omnium. Eccl. 40.

E. Q. Hinc fortaſſe eſt illa Theophraſti de hac vita lamentatio ac querela. Is namque moriens accuſaſſe naturam, id eſt, Deum, legitur, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum maxime intereſſet, tam exiguam vitam dediſſet; quorum ſi ætas potuiſſet eſſe lõginquior,

futurum fuiſſe, vt omnibus perfectis ætatibus omnium doctrina vita hominum erudiretur. Nunc vero cum incipimus ſapere, morimur.

TH. Ceſſat apud Chriſtianos iſta querela, ſiue expoſtulatio, q̃a licet in hac vita aſſequi perfectã ſapientiam non queamus, quantumuis eam ſtrenue pſequamur: tamen alia vita ſupereſt, in qua largiſſime donabimur lumine diuino, quo ſummam ſapientiam conſequamur. Satis longam accepimus ætatem, vt hic, quantũ neceſſe eſt, Deum cognoſcamus; in altero ſeculo copia & ſatietas ſapientiæ nobis continget.

PH. Sunt qui vitam porcinam quam humanã degere præoptarunt; nam & ipſe Octauianus Auguſtus, Herodis ſe porcum eſſe malle dixit, quam filium. Prætereo quod Sergium Pontificẽ Maximum, Os porci vocari, teſtantur annales.

EQ. Hic à cognomine ita dictus fuit; ille vero, quod Herodes infantulos, atque inter hos proprium quoq; filiolũ, nefarie trucidaret, porci vero, eo quod ex Iſraelitarum legibus, veſci ipſorũ carnibus prohibitum erat, à mactationibus propemodum erant immunes, hoc inquam reſpectu atque intuitu Auguſtus malle ſeſe Herodis eſſe porcum quam filium aſſeuerauit. Hæc itaque exempla huc minime quadrant. Neque vero autumo, te arrepta aliquauis occaſione, maleolentem grunnientemq; porcorum gregem in hanc ſcenam producturum; cum enim natura porcis corpus dederit, luto ſemper cœnoque gaudens, etiam animum maxime omnium beluinum ac brutum indidit.

PH. Tu quidem ita ſentis, colloquioq; noſtro indignum reris porcum, cuius tamen teſtamentum admodum lepidum, ſcriptis ſuis doctiſſimis iuxta ac ſanctiſſimis, nempe in 12. comm. in Eſaiã D. Hieronym. inſerere minime erubuit. Et Eraſmus Roterodamus ſeculi huius delicium nominatim de illo ſcribit in Moriæ ſuę præfatione. Eſtq; iſtius teſtamẽti q̃ ſequitur, tenor: Marcus Grunnius Corocotta Porcellus teſtamentum fecit. Quoniam manu mea ſcribere non potui, ſcribendum dictaui. Magirus coquus dixit: Veni huc euerſor domi, ſoli Verriator, fugitiue Porcelle, & hodie tibi adimo vitã. Corocotta Porcellus dixit: ſi qua feci, ſi qua peccaui, ſi vaſcella pedibus meis confregi, rogo domine coce, vitam tu hanc concede roganti. Magirus coquus dixit: Tranſi puer, affer mihi de coquina cultrum, vt hunc porcellum faciam cruentum: Porcellus cõprehenditur

dicur à famulis, ductus ſub die 16. Calen. Lucerninas, vbi abundant cymæ, Clibanato & Piperato Cóſulibus. Et vt vidit ſe moriturum, horæ ſpaciũ petiit, cocumque rogauit, vt teſtamentum facere poſſet. Clamauit ad ſe duos parẽtes, vt de cibariis ſuis dimitteret eis, & ait: Patri meo Verrinolardino, Do, lego dari glandis modios XXX. Et matri meæ ſcrofæ Do, lego dari, Laconicæ ſiliginis modios XL. Et ſorori meę Quirinæ in cuius votum intereſſe nõ potui, Do, lego dari hordei modios XXX. De corpore autẽ meo ſutorib. dari iubeo ſetas. Pellem veſtiendis libris, aut certe firmiſſimis loris inde ſiſtandis. Aniculis, dentes. Cauſidicis & verboſis, linguam. Pueris veſicam. Puellis caudam. Scabie laborantibus, aut phthiriaſi, vngulas quibus ſedent pruriginem. Luſoribus talos. Principibus aures, quibus oppreſſos exaudiant & ſupplices. Superbis qui præ ſe omnes deſpiciunt, oculos. Curſoribus leniendis crepidulis, adipem. Curioſis proboſcidem. Indoctis & pertinacibus ſophiſtis, cerebrum. Salacibus lumbulos & inguina. Patribus familias Germaniæ, pernas & petaſones iunctis farciminibus, quæ omnia ad præſtantem alimoniam ſub fumoſis tectis penſilia recondantur. Comaculis pilos, in manipulum colligatos, poliendis capillis ornatuque idoneos. Cupedinariis inteſtina, vnde tomacla conficiantur. Inſitia, hilla, apexabo, & botellus. Inconſtantibus & lubricis pedes. Diſcordibus & ſeditioſis, caput. Et hæc de membris noſtris hoc ordine fieri iubemus.

Cæterum de multis aliis quoque quæ hic chara relinquemus, pauca quædam ſtatuere eſt operæpretium. In primis horas, dies, noctes, menſes, & quicquid ad temporis huius orbem attinet, fœneratoribus legamus. Cantoribus pertinacem ſpiritum. Paralyticis aut podagris, greſſum. Deſidioſis ſomnum. Ocioſis & monachis ſaginam. Inuidis & oſoribus, maciem. Febricitantibus aquæ potum. Mercatoribus & Franciſcanis longas peregrinationes. Valetudinariis & Carthuſianis domeſticum carcerem, viuique hominis ſepulturam. Contentioſis, grunnitum. Auaris perpetuas ſordes. Mulieribus lauacrã. Pannonibus ſtabulum. Studioſis literarũ, vigilias. Meretriculis, ſubationes. Heluonibus ſuillos in cõuiuãdo mores. Temulẽtis ructũ. Colicis & torminoſis, id q; vnice expetũt, ventris crepitũ. Rhedas meritorias, locãtibus. Veredariis, & luctatoribus, in luto volutationes. Obtrectatoribus, ne morb

quoque hæredibus careant, anginam. Immoderata Venere aut alia vitæ intemperantia effœtis, grandinem noſtram, ſiue vt vocant homines, lepram. Bellatoribus ſanguinariis mactationem, mortem præmaturam ac violentam. Empiricis lotium. Excrementa, quandoquidem extrema ſunt, & legare illa agricolis animus fuit, ad ſtercorationem. Nunc quia Columellam contra aliorum omnium ſententiam lætamen noſtrum reiicere intelligo, coco nec nominando, ne indonatus mihi remaneat, id quodcunque eſt muneris, Do, lego. Volo autem mihi fieri monumentum ex literis aureis ſcriptum, M. Grunnius Corocotta Porcellus vixit annos DCCCC XC IX. & ſex menſes, quod ſi ſemis vixiſſet, mille annos impleſſet. Optimi amatores mei vel conſules vitæ, rogo vos, vt cum corpore meo epulemini, beneque illud condiatis pipere & melle, quo nomen meum perpetuo nominetur. Vos qui huic teſtamento interfuiſtis, iubete ſignari;

Lardio ſignauit. Offellicus S. Cincinatus S. Lucanicus S. Tergilius S. Celſanus S. Nuptialicus S.

Explicit Teſtamentum Grunnii Corocottæ Porcelli ſub die XVI. Kalend. Lucerninas, Clibanato & Pipetato conſs.

TH. Huiuſmodi delitiæ, niſi in ἀσωτίαν degenerant, tolerari poſſunt, ſecus ſi exorbitent, eſt enim vtrobiq; decori atque honeſtatis habenda ratio, ne qua inſit ſpurcities atque procacitas, in ſermone liberaliori omnino vitanda.

PH. Piaculum nobis erit, delitias noſtras porcinis ſordibus prophanare; dicam igitur ego de porcis, quantum ad rem præſentem erit opus, reiq; ipſius de qua agitur, patietur dignitas, ne quid immiſceatur illepidum aut proteruum. Atque vt ad commendationem generis porcini tranſeam; à generatione porcorum, ſermonem deſtinatum exordiar; annon porcinæ gentis numeroſa ſemper fere eſt ſoboles, eaque partu felici lætoque edita, mox exultans circumſtat ſcrofam genitricem, & ſuaue quiddam ac perquam argutum grunnit. Circumſtrepere tum videas & applaudere certatim ſui, quaſi gratulabundas ſucculas: & confeſtim matrem ingenti tripudio agnoſcere, aures demulcere illius obſtreperas, officioſeq; eam ſalutare, quo peramœno ſpectaculo, fallor ſi aliud in terris vnquam videris iucundius. Quando iam certum eſt Ioui vſque adeo gratum id eſſe, vt in cœlum quoq; ſucculas quaſdam è terris tranſtulerit. Sileo hic poſt longos errores Æneæ id ominis apud Vergilium tribui, reper-

repertarum fatalium ſedium, felicis nimirum rei nō infauſta auſpicia, Ait enim,

Littoreis ingens inuēta ſub ilicib. ſus,
Triginta capitū, fœtus enixa iacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati.
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Porculi deinde iam recens nati veſtiti ſunt ſetis, calceati vngulis, armati proboſcide. Quid plura? in lucem prodeūt adeo perfecti, vt quinto mox die ſacrificio olim puri haberentur. Id quod pecori ſeptimo, & bobus trigeſimo tandem die contingebat. Adde tantam vitæ libertatem, vt præter cuiuſque ductum aut præcepta, protinus intelligant quæcunque ad vitam tuendam expetenda illis ſint, quæque fugienda. Homini autem cuncta his contraria eueniunt. Solus plerumq; in lucē cum ſumma quoque difficultate emergit. Nam exempla numeroſæ prolis rara admodum ſunt. Duorum marium & totidem fœminarum prope vnicum & famis venturæ indicium. At ſcrofam etiam tricenos enixam, non eſt portentum. Proinde quo intelligas vniuerſam hominis vitam eſſe miſeram, à miſeria protinus illam auſpicatur, id eſt, à fletu. Riſum enim ante quadrageſimum diem nulli datum legimus. Atq; adeo hūc, ſoli duntaxat homini, ne vllum deeſſet illi vanitatis & ſtultitiæ indicium. Reperta ſunt, quod dictu mirum eſt, crepundia quædam, bullæ, faſciolæ, enſiculi, crepitacula, & cantillātes infantum gerulæ, quæ omnia eo pertinent, vt vagitus alioqui lethalis compeſcatur. Cumque alia ſint aliorum tegumenta, vt ſetæ, vellera, ſquamæ, plumæ, pennæ, villi, teſtæ, ſpinæ & arborum cortices, quibus à frigoribus & calore tutantur. Vt ne prætercam arma quibus ꝓpulſent iniuriam, qualia ſunt cornua, vngues, roſtra, calces ferratę, & dentes exerti aut ſerrati. Aliaq; pernicitatem ſibi vſurpare, alia nare, alia vires, alia præpetes volatus. Solus homo nudus in nuda humo natali die abiicitur, inermis, imbecillus, neque ingredi ſciens: nec fari, aut veſci, priuſquam incipiat viuere: protinus moriturus, niſi obſtetricum adſit aſſidua nutricumque circa illū ſolicitudo. Nam effœtas matres tātus dolor excruciat, vt ſui etiam tum meminiſſe non queant, tantum abeſt vt puelli curam velint ſuſcipere. Cæteris enim animalibus, vt docuit Ariſtoteles, partus nō laborioſi eueniunt: at mulieribus dolores vehementiſſimi incidunt, & præcipue ſtabilibus & ſellulariis. Vt ne referam capitis dolores, oculorū vertigines ac tenebras: faſtidium in cibis, redundationē ſtomachi,

lenne eſt, & vbiuis fere gentium conſuetudinis eſt, cæſo porco patremfamilias neminē ex amicis cognatiſque præterire, quem non opiparis ſuilla carne eduliis ad hilaritatem & lætitiā inuitet. Conſident menſis venerandi ſenes, matronæ, iuuenes, innuptæque puellæ, totos dies epulis & vniuerſa deliciarum generi impēdentes. Inſuper etiam quem ſaporem præſtabit lepus? quē turdus? quibus tamen primas tribuit Epigrāma vetus, niſi larido ſuillo ad focum peruncti, ſuccum concipiant, alioqui pumice aridiores. Vt ne addam Auſtriacos, Stirios, Carnos & Noricos Germaniæ populos, non attingere braſſicam aut holus, rapamue, & alia id genus obſonia, quæ porcum non reſipiant. Quid quod Saxones, Turingi & alii quidā ſeptentrionales, crudum laridū vorant, ad tolerandam diu ſitim atq; inediam, nihil æque cōducibile arbitrante. Veniente prętereaextra comeſſandi tempora hoſpite, Germanis præcipuus mos eſt ad farcimina penſilia, quibus referta ſunt prudentiorum tecta, curſitare. Vnde direptum mox vnum aut alterum ſubiectis prunis in cratem coniiciant, quo ſane vnico remedio, ac ſubito parabili, famem amici ſolantur. Faceſſant igitur, qui in tanta vtilitate & oblectatione quā præſtant, porcum κακόχυμον, id eſt, malos humores generantē, audent pronunciare.

E. Q. Nimius es in porcorum encomio, quum tamen porcinæ carnes & diuinis legib. prohibitę ſint, & Medici quoq; languidis, quorum curationem ſuſceperūt, illarum eſum ſoleāt interdicere.

PH. Cauſam prohibitionis diuinæ facile licet æſtimare, atque hæc fere fuit, quo videlicet pleb diuinis imbuenda diſciplinis, omnibus ſe prius voluptatib. prorſus abdicaret, quas alioq; carnes ſuillæ concitare facile poſſunt. Ad Medicos quod attinet, prohibent illi eſum illarū, iiſdem rationib. quib. vini vſum, ne videl. corpora nimio humore caloreue diſtenta attenuētur, ſed ad χάος perducantur. Nam quod in morbo peccat, id profecto nō alimēti eſt vicium, ſed illius qui re optima atque ſaluberrima intemperanter vtitur, à qua niſi ad tēpus abſtineas, in procliui eſt languorem auctibus ſuis ingraueſcere. Sed medicorum placita conſulat. qui verbis meis fidem præbere detrectat, colligetque ex Auicennæ ſententia ſuillam carnem ceu hominibus natura cognatiorem, quod experimento (inquit) diſcimus, cæteris eſſe prēferedā. Et Galen. *lib. 8. de ſanitatis ratione*, carnē ſuillā cæteris laudabiliorē facit. Quin & ſuillū ſanguinē ad humanū pxima ſimilitudine accedere,

cedere, carniſque eandem eſſe rationem, ſcriptores perhibent, adeo vt venditam aliquando in macello humanã pro ſuilla, digiti hominis intermixti ꝓdiderint.

TH. Conſtat ſane, etiam viros doctiſſimos ſub inuolucris verborum à porcorum deſcriptione deſumptis pelagum humanæ vitæ haud infeliciter delineaſſe; inter quos fuit Ottomarus Luſcinius, Argentinenſis Iureconſultus, qui in libello, qui inſcribitur *Grunnius Sophiſta*, lepidè admodum tractat quæſtionem, vtrius natura ad felicitatem propius accedat, hominis an bruti animantis. Quin etiam porcorum pugna per P. Porcium poetam verſibus deſcripta extat, quorum ſingulæ dictiones nullam aliam præter P. literam habent initialẽ; opuſculum elaboratiſſimum.

Porcorum conſideratio.

PH. Fuerunt certè porci antiquitus in æſtimatione haud aſpernanda, vſque adeo, vt etiam teſte Plinio *lib. 28. hiſt nat.* adeps ſuillus olim fuerit religioſus, nouæque nuptæ maritorum ſuorũ ædes intrantes ſolenne habuerint, vt poſtes adipe ſuillo attingerent, atque inungerent, idque hoc felici augurio, vt tam fæcundæ eſſent quam ſcrophæ, quæ denos pariunt. Et Plinii commẽtator: Ædium, inquit, in quas accedebat ſponſa, ianua, marito illa operiente, lana cingebatur & coronabatur, lauroque multa ornabatur: poſtes etiam vittis laneis contegebantur, quas ab ingreſſu tangi mos erat, & adipe ſuillo oleoque vel lupino vngi, ne quid veneficum aut peſtilens domuj noceret. Vide etiam Alexand. ab Alexandro, *lib. 2. c. 5.*

TH. Extat etiam de ſuibus apud Plinium, eos anguibus & muſtelis admodum eſſe inimicos, quin etiam ſerpentibus abſq; noxa veſci, vſque adeo vt etiam Salamandras ſine noxa edant, cuius tamen venenum eſt omnium propemodum nocentiſſimũ. Nam, vt inquit Plinius *hiſt. natur. lib. 28. cap. 4.* ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nihil aconito diſtans. Quinimo ſi contacto ab ea ligno vel pede cruſta panis incoquatur, idẽ veneficiũ eſt: vel ſi in puteum cadat. Quippe cum ſaliua eius quacunque parte corporis, vel in pede imo reſperſa, omnis in toto corpore defluat pilus. Tamen talis ac tanta vis veneni à ſuibus manditur, domante eadem illa rerum diſſidentia. Quin etiam idem Plinius *lib. 8. cap. 51.* refert, ſues aliquando furto abactos, voce ſuarii agnita, nauigium euertiſſe merſoque nauigio inclinatione lateris vnius remeaſſe. Hinc adeo factum arbitror, vt quum moralia ex porcorum natura ac mo-

Digitized by Google

tribus quędam minimè aſpernanda promanent, haud rari, imagines porcorum pro inſigniis præferre præoptent atq; glorientur; & memini ego me ante pluſculos dies videre in cuiuſdã viri primarii inſigniis depictum porcũ ſubatrum in ſuperficie aurea; id quod fidem propemodũ mihi fecit porcũ contra vulgi opinionem, non ſolum non immundũ animantum genus videri, verum etiam nulli animalium dignitate inferiorem eſſe, vt ne etiam dicam illo præſtantiorem.

Nominum à brutis derivatio.

PH. Res non caret omine, quod homines magis abblandiuntur ſeque inſinuare ſtudent brutis, quam bruta hominibus, cum tamen pleraq; bruta quorũ beneuolẽtiam atq; morem hoẽs affectãt, ſint admodũ ferocia, carniuora, ex rapto & inſidiis victitãtia, cui⁹ generis ſũt leones, vrſi, lupi & vulpes; & inter alites, aquilę & milui, idque ob humani animi ferocitatẽ incomparabilemq; ſæuitiam fieri propemodum argumento eſt. Eadem namq; velle, vt inquit Saluſtius, eadem nolle, ea res demũ amicitia eſt. Capiuntur feræ tales ab hominibus, & in principũ pręcipuè aulis viſuntur, aſpectu toruę, oculis flagrãtes, vngulis & hiatu minaces, quid multa? toto corporis habitu immanem ſæuitiã præſeferentes adeo vt ſi nõ claustra cohibeãt, ne hominib. quidẽ ſint parſuræ multis ad ſubitũ illarum in hoẽs impetũ ſic interemptis. Quinimò, vt ad parem ſęuitiam ſollicitentur, nomina quoq; brutorum vſurpant, quæ videlicet abominandæ crudelitatis illos commonefaciant. Hinc nomen illi Bernhardo eſt, huic Leoni aut Leonhardo, cuidã Wolfgãgo aut Wolfardo, quæ omnia & cõſimilia Germanis nõia ab infãdis beluis, leone, vrſo & lupo originem traxere; perinde ac Græcis Leonatus, Leõtius, Leogaras, Leocrates, Leoſthenes, & Lycabas, Lycurgus, Lycophron, vt conticeã, quod concepta etiã ferina rabie, ſub ꝓdigioſis ſignis, ferociſſimarum belluarum pręlia cõmittunt. Sic Romani à C. Mario acceptam aquilam, fœdiſſimã ac plurimum cruentam beſtiam in hunc vſq; diem retinent, cum antea ſub aliis quoq; ſignis veluti apris, equis, lupis, & minotauris legiones ductitarint. *E Q.* Eſt hæc fallacia, quã dicunt Logici, à nõ cauſa vt cauſa. Imagines namque iſtiuſmodi in inſignijs ſignifque militarib. eatenus dũtaxat adhibentur, quatenus ad fortitudinem ſunt incitabula, quæ quidem illis duntaxat animantibus tribuitur, quæ non cedunt loco neq; fugaces ſunt, vt lepores & cerui; quæ quidẽ vera Nobilitas eſt, eoq; nõie ſe non immeritò iactat, Æneam illum nobiliſſimũ imitato

imitata, qui paterni morigerus erat præcepti, quo monuerat:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior iſta.

Vt ne Chriſtum Seruatorẽ proferam cui non veretur ſacra ſcriptura in vincendo mortẽ, leonis vires & nomẽ tribuere. Vicit (inquit) leo de tribu Iuda. Et ex quatuor animalib. quæ in conſpectu throni cęleſtis agni cõſiſtere memorantur, Leo erat & Aquila.

TH. Rectè hæ à Dño Eq·e dicũtur. Etſi n. Chriſtus cõparatur Leoni, (nimirũ κατ᾽ ἄ τι & ſecundũ quid) tamen alibi quoq; tyranni & impii leonibus comparantur. Sic namque ſanctum & dilectiſſimũ Deo regem Dauidem ſupplicaſſe legimus: Saluum me fac ex omnib. perſequentib. me & libera me, ne quãdo rapiat vt leo animam meã, vt complures alio locos ſubticeam, in quib. leo paratus ad prędam & rugiens & hians memoratur, à quib. ſubinde eripi ſe cupit. Et Petrus Apoſt. ſuſpectum ſemper viris ſanctis eſſe iubet aduerſarium, animarum prędonem; qui, inquit, veluti leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret. Chriſtus item ſeruator Herodẽ vitæ ſuæ & Ioannis inſidiantẽ vulpem vocat; iubetq; à lupis cauere, qui pellib. ouium tecti, rapacitatem intus ſubdolè tegant.

PH. Conceditur tamen interim virtu·es quaſdam animantib. ineſſe, rectèq; facere hoẽs, qui virtutes iſtas ſtudent imitari, atq; illorum exemplar animantia ſub oculos ſtatuunt. Sed & hoc quoq; euincitur, beſtiarũ exempla homines ad bonã frugem poſſe perducere. Cumq; cuiuis inſup perſpicuum ſit, exempla ſemper eſſe meliora ac præſtantiora illis quibus proponuntur; palam h·nc eſt hominum genus mancum eſſe & miſerum, quia non à ratione habet, quo proficiat; ſed à brutis benè agẽdi exẽplar petere cogitur.

EQ. Tu ex particulari vniuerſale extruere fruſtra ad'aboras. Quemadmodum enim vnicum regis Cambyſis factũ omni alioquin memoria ac laude dignum (q·o nimirum Siſamnem, vnum è iudicibus regiis eo quod iniuſtè ob pecuniã iudicaſſet, interemit, detractumq; corium in lora concidit, ibidemque eius filium Otanem ſedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret, de quo apud Herodotum extat *lib. 5.*) non arguit, ipſum in cæteris fuiſſe principem laudatum, cum conſtet ipſum in cæteris fuiſſe crudeliſſimũ omnemq; adeo exuiſſe humanitatem, teſte eodem Herodoto, proindeq; ipſũ minimè exemplar proponendum eſſe ad imitandum. Eadẽ quoq; ratione, etiamſi bruta quandoq; mitiora ſunt, quam ipſorum fert natura, hominem tamen ad ea ablegare vt in vita ac moribus proficiat,

valde.

Digitized by Google

tibus quędam minimè aſpernanda promanent, haud rari, imagines porcorum pro inſigniis præferre præoptent atq; glorientur; & memini ego me ante pluſculos dies videre in cuiuſdā viri primarii inſigniis depictum porcū ſubatrum in ſuperficie aurea; id quod fidem propemodū mihi fecit porcū contra vulgi opinionem, non ſolum non immundū animantum genus videri, verum etiam nulli animalium dignitate inferiorem eſſe, vt ne etiam dicam illo præſtantiorem.

Nominum à brutis deriuatio.

PH. Res non caret omine, quod homines magis abblandiuntur ſeque inſinuare ſtudent brutis, quam bruta hominibus, cum tamen pleraq; bruta quorū beneuolētiam atq; morem hoēs affectāt, ſint admodū ferocia, carniuora, ex rapto & inſidiis victitātia, cuiꝰ generis ſūt leones, vrſi, lupi & vulpes; & inter alites, aquilę & milui, idque ob humani animi ferocitatē incomparabilemq; ſæuitiam fieri propemodum argumento eſt. Eadem namq; velle, vt inquit Saluſtius, eadem nolle, ea res demū amicitia eſt. Capiuntur feræ tales ab hominibus, & in principū pręcipuè aulis viſuntur, aſpectu toruę, oculis flagrātes, vngulis & hiatu minaces, quid multa? toto corporis habitu immanem ſæuitiā præſeferentes adeo vt ſi nō claustra cohibeāt, ne hominib. quidē ſint parſuræ multis ad ſubitū illarum in hoēs impetū ſic interemptis. Quinimò, vt ad parem ſęuitiam ſollicitentur, nomina quoq; brutorum vſurpant, quæ videlicet abominandæ crudelitatis illos commonefaciant. Hinc nomen illi Bernhardo eſt, huic Leoni aut Leonhardo, cuidā Wolfgāgo aut Wolfardo, quæ omnia & cōſimilia Germanis nōia ab infādis beluis, leone, vrſo & lupo originem traxere; perinde ac Græcis Leonatus, Leōtius, Leogaras, Leocrates, Leoſthenes, & Lycabas, Lycurgus, Lycophron, vt conticeā, quod concepta etiā ferina rabie, ſub ꝓdigioſis ſignis ferociſſimarum belluarum pręlia cōmittunt. Sic Romani à C. Mario acceptam aquilam, fædiſſimā ac plurimum cruentam beſtiam in hunc vſq; diem retinent, cum antea ſub aliis quoq; ſignis veluti apris, equis, lupis, & minotauris legiones ductitarint. *EQ.* Eſt hæc fallacia, quā dicunt Logici, à nō cauſa vt cauſa. Imagines namque iſtiuſmodi in inſigniis ſignisque militarib. eatenus dūtaxat adhibentur, quatenus ad fortitudinem ſunt incitabula, quæ quidem illis duntaxat animantibus tribuitur, quæ non cedunt loco neq; fugaces ſunt, vt lepores & cerui; quæ quidē vera Nobilitas eſt, eoq; nōie ſe non immeritò iactat, Æneam illum nobiliſſimū

imitati

imitata, qui paterni morigerus erat præcepti, quo monuerat:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior iſta.

Vt ne Chriſtum Seruatorē proferam cui non veretur ſacra ſcriptura in vincendo mortē, leonis vires & nomē tribuere. Vicit (inquit) leo de tribu Iuda. Et ex quatuor animalib. quæ in conſpectu throni cęleſtis agni cōſiſtere memorantur, Leo erat & Aquila.

TH. Rectè hæ à Dño Eq. e dicūtur. Etſi n. Chriſtus cōparatur Leoni, (nimirū κατά τι & ſecundū quid) tamen alibi quoq; tyranni & impii leonibus comparantur. Sic namque ſanctum & dilectiſſimū Deo regem Dauidem ſupplicaſſe legimus: Saluum me fac ex omnib. perſequentib. me & libera me, ne quādo rapiat vt leo animam meā, vt complures alio locos ſubticeam, in quib. leo paratus ad prędam & rugiens & hians memoratur, à quib. ſubinde eripi ſe cupit. Et Petrus Apoſt. ſuſpectum ſemper viris ſanctis eſſe iubet aduerſarium, animarum prędonem; qui, inquit, veluti leo rugiens circuit quærens quē deuoret. Chriſtus item ſeruator Herodē vitæ ſuæ & Ioannis inſidiantē vulpem vocat; iubetq; à lupis cauere, qui pellib. ouium tecti, rapacitatem intus ſubdolè tegant.

PH. Conceditur tamen interim virtutes quaſdam animantib. ineſſe, recteq; facere hoēs, qui virtutes iſtas ſtudent imitari, atq; illorum exemplar animantia ſub oculos ſtatuunt. Sed & hoc quoq; euincitur, beſtiarū exempla homines ad bonā frugem poſſe perducere. Cumq; cuiuis inſup perſpicuum ſit, exempla ſemper eſſe meliora ac præſtantiora illis quibus proponuntur; palam hinc eſt hominum genus mancum eſſe & miſerum, quia non à ratione habet, quo proficiat; ſed à brutis bene agēdi exēplar petere cogitur.

EQ. Tu ex particulari vniuerſale extruere fruſtra adlaboras. Quemadmodum enim vnicum regis Cambyſis factū omni alioquin memoria ac laude dignum (quo nimirum Siſamnem, vnum è iudicibus regiis eo quod iniuſtè ob pecuniā iudicaſſet, interemit, detractumq; corium in lora concidit, ibidemque eius filium Otanem ſedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret, de quo apud Herodotum extat *lib. 5.*) non arguit, ipſum in cæteris fuiſſe principem laudatum, cum conſtet ipſum in cæteris fuiſſe crudeliſſimū omnemq; adeo exuiſſe humanitatem, teſte eodem Herodoto, proindeq; ipſū minimè exemplar proponendum eſſe ad imitandum. Eadē quoq; ratione, etiamſi bruta quandoq; mitiora ſunt, quam ipſorum fert natura, hominem tamen ad ea ablegare vt in vita ac moribus proficiat,

valde.

tibus quędam minimè aſpernanda promanent, haud rari, imagines porcorum pro inſigniis præferre præoptent atq; glorientur; & memini ego me ante pluſculos dies videre in cuiuſdã viri primarii inſigniis depictum porcũ ſubatrum in ſuperficie aurea; id quod fidem propemodũ mihi fecit porcũ contra vulgi opinionem, non ſolum non immundũ animantum genus videri, verum etiam nulli animalium dignitate inferiorem eſſe, vt ne etiam dicam illo præſtantiorem.

Nominum à brutis denominatio.

PH. Res non caret omine, quod homines magis abblandiuntur ſeque inſinuare ſtudent brutis, quam bruta hominibus, cum tamen pleraq; bruta quorũ beneuolẽtiam atq; morem hoẽs affectãt, ſint admodũ ferocia, carniuora, ex rapto & inſidiis victitãtia, cuius generis ſũt leones, vrſi, lupi & vulpes; & inter alites, aquilę & milui, idque ob humani animi ferocitatẽ incomparabilemq; ſæuitiam fieri propemodum argumento eſt. Eadem namq; velle, vt inquit Saluſtius, eadem nolle, ea res demũ amicitia eſt. Capiuntur feræ tales ab hominibus, & in principũ pręcipuè aulis viſuntur, aſpectu toruę, oculis flagrãtes, vngulis & hiatu minaces, quid multa? toto corporis habitu immanem ſæuitiã præſeferentes adeo vt ſi nõ clauſtra cohibeãt, ne hominib. quidẽ ſint parſuræ multis ad ſubitũ illarum in hoẽs impetũ ſic interemptis. Quinimò, vt ad parem ſęuitiam ſollicitentur, nomina quoq; brutorum vſurpant, quæ videlicet abominandæ crudelitatis illos commonefaciant. Hinc nomen illi Bernhardo eſt, huic Leoni aut Leonhardo, cuidã Wolfgãgo aut Wolfardo, quæ omnia & cõſimilia Germanis nõia ab infãdis beluis, leone, vrſo & lupo originem traxere; perinde ac Græcis Leonatus, Leõtius, Leogaras, Leocrates, Leoſthenes, & Lycabas, Lycurgus, Lycophron, vt conticeã, quod concepta etiã ferina rabie, ſub ꝓdigioſis ſignis ferociſſimarum belluarum pręlia cõmittunt. Sic Romani à C. Mario acceptam aquilam, fœdiſſimã ac plurimum cruentam beſtiam in hunc vſq; diem retinent, cum antea ſub aliis quoq; ſignis veluti apris, equis, lupis, & minotauris legiones ductitarint. *EQ.* Eſt hæc fallacia, quã dicunt Logici, à nõ cauſa vt cauſa. Imagines namque iſtiuſmodi in inſignus ſignisque militarib. eatenus dũtaxat adhibentur, quatenus ad fortitudinem ſunt incitabula, quæ quidem illis duntaxat animantibus tribuitur, quæ non cedunt loco neq; fugaces ſunt, vt lepores & cerui; quæ quidẽ vera Nobilitas eſt, eoq; nõie ſe non immeritò iactat, Æneam illum nobiliſſimũ

imitata

Digitized by Google

imirata, qui parerni morigerus e-rar præcepti, quo monuerat:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior inſta.

Vt ne Chriſtum Seruatorẽ proferam cui non veretur ſacra ſcriptura in vincendo mortẽ, leonis vires & nomẽ tribuere. Vicit (inquit) leo de tribu Iuda. Et ex quatuor animalib. quæ in conſpectu throni cęleſtis agni cõſiſtere memorantur, Leo erat & Aquila.

TH. Rectè hæ à Dño Eq. e dicũtur. Etſi n. Chriſtus cõparatur Leoni, (nimirũ κατά τι & ſecundũ quid) tamen alibi quoq; tyranni & impii leonibus comparantur. Sic namque ſanctum & dilectiſſimũ Deo regem Dauidem ſupplicaſſe legimus: Saluum me fac ex omnib. perſequentib. me & libera me, ne quãdo rapiat vt leo animam meã, vt complures alio locos ſubticeam, in quib. leo paratus ad prędam & rugiens & hians memoratur, à quib. ſubinde eripi ſe cupit. Et Petrus Apoſt. ſuſpectum ſemper viris ſanctis eſſe iubet aduerſarium, animarum prędonem; qui, inquir, veluti leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret. Chriſtus item ſeruator Herodẽ vitæ ſuæ & Ioannis inſidiantẽ vulpem vocat; iubetq; à lupis cauere, qui pellib. ouium tecti, rapacitatem intus ſubdolè tegant.

PH. Conceditur tamen interim vitrures quaſdam animantib. ineſſe, rectèq; facere hoẽs, qui virtutes iſtas ſtudent imitari, atq; illorum exemplar animantia ſub oculos ſtatuunt. Sed & hoc quoq; euincitur, beſtiarũ exempla homines ad bonã frugem poſſe perducere. Cumq; cuiuis inſup perſpicuum ſit, exempla ſemper eſſe meliora ac præſtantiora illis quibus proponuntur; palam hinc eſt hominum genus mancum eſſe & miſerum, quia non à ratione habet, quo proficiat; ſed à brutis bene agẽdi exẽplar petere cogitur.

EQ. Tu ex particulari vniuerſale extruere fruſtra ad'aboras. Quemadmodum enim vnicum regis Cambyſis factũ omni alioquin memoria ac laude dignum (quo nimirum Siſamnem, vnum è iudicibus regiis eo quod iniuſtè ob pecuniã iudicaſſet, intereruit, detractumq; corium in lora concidit, ibidemque eius filium Otanem ſedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret, de quo apud Herodorum extat *lib. 5.*) non arguit, ipſum in cæteris fuiſſe principem laudatum, eum conſtet ipſum in cæteris fuiſſe crudeliſſimũ omnemq; adeo exuiſſe humanitatem, teſte eodem Herodoto, proindeq; ipſũ minimè exemplar proponendum eſſe ad imitandum. Eadẽ quoq; ratione, etiamſi bruta quandoq; mitiora ſunt, quam ipſorum fert natura, hominem tamen ad ea ablegare vt in vita ac moribus proficiat,

valde.

quoque hæredibus careant, anginam. Immoderata Venere aut alia vitæ intemperantia effœtis, grandinem noſtram, ſiue vt vocant homines, lepram. Bellatoribus ſanguinariis mactationem, mortem præmaturam ac violentam. Empiricis lotium. Excrementa, quandoquidem extrema ſunt, & legare illa agricolis animus fuit, ad ſtercorationem. Nūc quia Columellam contra aliorum omnium ſententiam lætamen noſtrum reiicere intelligo, coco nec nominando, ne indonatus mihi remaneat, id quodcunque eſt muneris, Do, lego. Volo autē mihi fieri monumentum ex literis aureis ſcriptum, M. Grunnius Corocotta Porcellus vixit annos DCCCC XC IX. & ſex menſes, quod ſi ſemis vixiſſet, mille annos impleſſet. Optimi amatores mei vel conſules vitæ, rogo vos, vt cum corpore meo epulemini, beneque illud condiatis pipere & melle, quo nomen meum perpetuo nominetur. Vos qui huic teſtamento interfuiſtis, iubete ſignari;

Lardio ſignauit. Offellicus S. Cincinatus S. Lucanicus S. Tergilius S. Celſanus S. Nuptialicus S.

Explicit Teſtamentum Grunnii Corocottæ Porcelli ſub die XVI. Kalend. Lucernīnas, Clibanato & Piperato conss.

TH. Huiuſmodi deliriæ, niſi in ἀσελγείαν degenerant, tolerari poſſunt, ſecus ſi exorbitent, eſt enim vtrobiq; decori atque honeſtatis habenda ratio, ne qua inſit ſpurcities atque procacitas, in ſermone liberaliori omnino vitanda.

PH. Piaculum nobis erit, delitias noſtras porcinis ſordibus prophanare; dicam igitur ego de porcis, quantum ad rem præſentem erit opus, reiq; ipſius de qua agitur, patietur dignitas, ne quid immiſceatur illepidum aut proteruum. Atque vt ad commendationem generis porcini tranſeam; à generatione porcorum, ſermonem deſtinatum exordiar; annon porcinæ gentis numeroſa ſemper fere eſt ſoboles, eaque partu felici lætoque edita, mox exultans circumſtat ſcrofam genitricem, & ſuaue quiddam ac perquam argutum grunnit. Circumſtrepere tū videas & applaudere certatim ſui, quaſi gratulabundas ſucculas: & cōfeſtim matrem ingēti tripudio agnoſcere, aures demulcere illius obſtreperas, officioſeq; eam ſalutare, quo peramœno ſpectaculo, fallor ſi aliud in terris vnquam videris iucundius. Quando iam certum eſt Ioui vſque adeo gratū id eſſe, vt in cœlum quoq; ſucculas quaſdam è terris tranſtulerit. Sileo hic poſt longos errores Æneæ id ominis apud Vergilium tribui, reper-

repertarum fatalium ſedium, felicis nimirum rei nō infauſta auſpicia. Ait enim,

Littoreis ingens inuēta ſub ilicib. ſus,
Trigínta capitū, fœtus enixa iacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati.
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Porculi deinde iam recens nati veſtiti ſunt ſetis, calceati vngulis, armati proboſcide. Quid plura? in lucem prodeūt adeo perfecti, vt quinto mox die ſacrificio olim puri haberentur. Id quod pecori ſeptimo, & bobus trigeſimo tandem die contingebat. Adde tantam vitæ libertatem, vt præter cuiuſque ductum aut præcepta, protinus intelligant quæcunque ad vitam tutandam expetenda illis ſint, quæque fugienda. Homini autem cuncta his contraria eueniunt. Solus plerumq; in lucē cum ſumma quoque difficultate emergit. Nam exempla numeroſæ prolis rara admodum ſunt. Duorum marium & totidem fœminarum prope vnicum & famis venturæ indicium. At ſcrofam etiam tricenos enixam, non eſt portentum. Proinde quo intelligas vniuerſam hominis vitam eſſe miſeram, à miſeria protinus illam auſpicatur, id eſt, à fletu. Riſum enim ante quadrageſimum diem nulli datum legimus. Atq; adeo hūc, ſoli duntaxat homini, ne vllum deeſſet illi vanitatis & ſtultitiæ indicium. Reperta ſunt, quod dictu mirum eſt, crepundia quædam, bullæ, faſciolæ, enſiculi, crepitacula, & cantillātes infantum gerulæ, quæ omnia eo pertinent, vt vagitus alioqui lethalis compeſcatur. Cumque alia ſint aliorum tegumenta, vt feræ, vellera, ſquamæ, plumæ, pennæ, villi, teſtæ, ſpinæ & arborum cortices, quibus à frigoribus & calore tutantur. Vt ne prætercam arma quibus ꝓpulſent iniuriam, qualia ſunt cornua, vngues, roſtra, calces ferratę, & dentes exerti aut ſerrati. Aliaq; pernicitatem ſibi vſurpare, alia nare, alia vires, alia præpetes volatus. Solus homo nudus in nuda humo natali die abiicitur, inermis, imbecillus, neque ingredi ſciens: nec fari, aut veſci, priuſquam incipiat viuere: protinus moriturus, niſi obſtetricum adſit aſſidua nutricumque circa illū ſolicitudo. Nam effœtas matres tātus dolor excruciat, vt ſui etiam tum meminiſſe non queant, tantum abeſt vt puelli curam velint ſuſcipere. Cæteris enim animalibus, vt docuit Ariſtoteles, partus nō laborioſi eueniunt: at mulieribus dolores vehementiſſimi incidunt, & præcipue ſtabilibus & ſellularijs. Vt ne referam capitis dolores, oculorū vertigines ac tenebras: faſtidium in cibis, redundationē ſtomachi,

Digitized by Google

crurum & inguinum tumorem, quæ omnia mox à conceptu grauidam infeſtant.) Huc pertinet abortus periculum: cuius cauſam plerunq; odorē credunt à lucernarum extinctu, & cæſonum generatio: qui enecta parēte eduntur, Cæſare ad eum modum nato nomenq; inde obtinente. Ad fœtum redeo, cuius conceptus impurior eſt, vnus animantum omnium, quod profluuium muliebre materiam generando homini, & quamdiu in vtero geſtatur alimoniā ſuggerat, res vſq; adeo ſpurca & prodigioſa quoque, vt aconitum omne nocendi vi longe ſuperet. Mirumq; videri poteſt, ſi aliud non accedat: quo pacto ſuperbiſſimum viuentiū hominem tam fœdæ abominandæque originis non pudeat. Atque hoc nimirum eſt quod ex parentibus per propagationem illis relinquitur: vnde tantopere genus iactant. Propero ad reliqua. Velim mihi principis alicuius potentiſſimi recens natum dari infantem, cuius imperium longe lateq; laturi expectent: Non credo quicquam defuturum illi qui ad res tam præclaras & arduas eſt deſtinatus. Sed mecū oro reputes, num inter holoſericū & purpuram, ſummaſque delicias non miſerrimū nobis ſeſe offerat viſendum mancipium. Abluitur primo inquinatiſſimus tetro illo humoreq; hactenus incrementū corpuſculo, victuſque vt diximus fuit. Lotus, mox faſciis manus pedeſq; reuinctus, in cunas conijcitur, vbi loris arctius conſtringatur. Accerſitur proxima quam *Educatio.* caſus obtulit mulier, ad id muneris idonea, q̄ miſellū hūc à matre abdicatum, lactet, nam virium nonnihil aut formæ eripi lactantibus exiſtimatur. Quod ſi ita habet, impfecta eſt hominis natura, quæ ad neceſſaria officia facultatem nō ſuppeditat. Sin nihil obſunt genitrici hæc prima in ſobolem impendia. Quid poteſt ſtultius muliebri hoc commento excogitari. Vt ne dicam inſolito alimēto nouoque, tenellū non mediocriter offendi, & corporis quoq; morbos (ꝙ plane conſtat) nutricis, in ſugentem deriuari. Quanquam nō deſint qui animi quoque vitia ſuctu attrahi velint. Hinc Romuli Remiq; voracitas & inſatiabilis habendi cupido, parricidio celebris. Nimirum ob altricem lupam, malo hoc etiam mirum quam diu remanente in poſteris. Ad hunc locum pertinet quod ſolertiſſimus naturę indagator ſcripſit Vergilius:

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus author,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæq; admorunt vbera tigres.

Sed

Digitized by Google

Sed vt hoc quoq; non omittã, q inter crepundia & eunabula diu palpitat vertex, & in quibuſdã adeo vehemẽter, vt impoſita repellatur manus. Os prꝥterea cibis adhuc eſt infirmũ. Quin & ſeptimo primũ menſe dentire incipit infans. Greſſus primus hominis quadrupedum greſſui eſt ſimilis, niſi q hominũ multo eſt imbecillior. Succedit paulũ firmata ætate, fœda balbuties, priu q̃ μέροπος vocabulũ conuenire poſſit. Quãquam Ariſtot. toto hoc tempore à belua nihil diſtare hominẽ diffinierit. Et tamen hæc curricula mirũ quomodo inter ætatis ſpacia cõputantur. Cęterum vbi primum ingredi rectus cœperit, & è cunarum vinculis expeditum ſe arbitratur, iuris quidam nexus illum ſubito implicitũ reddũt, patriæ nempe poteſtatis, aut certe tutelæ vel curationis, quorũ poſtremum ad annum xxv. primũ tota patris vita durat. Vt hic taceam primã pręceptorum tyrannidem, quam ferre cogitur in ludo literario, quẽ rectius carnificinam minis verberibuſq; horriſonam dixeris, vbi puerorũ nudata corpora flagris, ferulis, loriſq; miſerrime conſcinduntur. Ariſtophanes à cura quã ſe cogitabundi illic & anxii perpetuo macerãt φροντιστήριον appellauit. Quo certe felicius cum porcis agitur, qui ad nullã prorſus ſollicitudinem nulloſq; labores nati, neq; n. homines tergo ipſorũ inſidẽtes geſtãt, vt equi & aſelli, nec ſarcinis onerantur, aut telluri impreſſum aratrũ, onuſtamue rhedam trahunt, neq; venãtur vt canes, aut adulãtur vt ſimiæ, mures ue domo abigunt vt feles: aut immoriuntur cãtu vt auiculæ, neq; tẽpora prędicunt vt galli gallinacei, aut aucupantur vt herodii. Sed ad ſolã quietem, & ſuas ipſorũ delitias, nempe ſaginam deſtinati ſunt.

Vocem diſtinguentis Homericũ.

EQ. Non ad ſaginã, ſed ad mortẽ potius deſtinãtur porci, quippe quib. ne paleæ quidẽ exhiberentur, imo cũ nauſea oẽs, à conuictu hominũ depellerentur, niſi ex ipſorũ morte ſpes lucri foret.

PH. Lucrũ omnino imo deliciæ ex porcis affatim pcipiuntur vſq; adeo vt niſi porcinæ apponantur carnes, ſordeſcere ppemodũ videãtur cõuiuia. Eſtq; vera parœmia iſta; *ex ſue tantũ manſueto dũbia cœna*, nam cum aliis ſui cuiq; ſint ſingulis ſapores, porcis quinquaginta ferme eſſe, teſtis eſt Plinius. Et Martialis in porcorũ cõmẽdationẽ, paucis vſus verbis: *Iſte tibi faciet bona ſaturnalia porcus*, ait. Quaſi oẽs ſimul cupedias & gulæ irritamẽta habiturus ſit, q geniali bruma porcũ pręping uem domi ſuę mactauerit. Quãros omnino, cõuiuiis tibi amicos conciliaueris, theſaurũ plane quo nõ eſt alter in vita pretioſior? Quãdo paſſim ſo

lenne eſt, & vbiuis fere gentium conſuetudinis eſt, cæſo porco patremfamilias neminē ex amicis cognatiſque prætetire, quem non opiparis ſuilla carne eduliis ad hilaritatem & lætitiā inuitet. Conſident menſis venerandi ſenes, matronæ, iuuenes, innuptæque puellæ, totos dies epulis & vniuerſa deliciarum generi impēdentes. Inſuper etiam quem ſaporem præſtabit lepus? quē turdus? quibus tamen primas tribuit Epigrāma vetus, niſi larido ſuillo ad focum peruncti, ſuccum concipiant, alioqui pumice aridiores. Vt ne addam Auſtriacos, Stirios, Carnos & Noticos Germaniæ populos, non attingere braſſicam aut holus, rapamue, & alia id genus obſonia, quæ porcum non reſipiant. Quid quod Saxones, Turingi & alii quidā ſeptentrionales, crudum laridū vorant, ad tolerandam diu ſitim atq; inediam, nihil æque cōducibile arbitrante. Veniente prǽterea extra comeſſandi tempora hoſpite, Germanis p æcipuus mos eſt ad farcimina pēnſilia, quibus referta ſunt prudentiorum tecta, curſitare. Vnde direptum mox vnum aut alterum ſubiectis prunis in cratem coniiciant, quo ſane vnico remedio, ac ſubito parabili, famem amici ſolantur. Faceſſant igitur, qui in tanta vtilitate & oblectatione quā præſtant, porcum κακόχυμον, id eſt, malos humores generantē, audent pronunciare.

EQ. Nimius es in porcorum encomio, quum tamen porcinæ carnes & diuinis legib. prohibitǽ ſint, & Medici quoq; languidis, quorum curationem ſuſceperūt, illarum eſum ſoleāt interdicere.

PH. Cauſam prohibitionis diuinæ facile licet æſtimare, atque hæc fere fuit, quo videlicet pleb diuinis imbuenda diſciplinis, omnibus ſe prius voluptatib. prorſus abdicaret, quas alioq; carnes ſuillæ concitare facile poſſunt. Ad Medicos quod attinet, prohibent illi eſum illarū, iiſdem rationib. quib. vini vſum, ne videl. corpora nimio humore caloreue diſtenta attenuētur, ſed ad κρᾶσιν perducantur. Nam quod in morbo peccat, id profecto nō alimēti eſt vicium, ſed illius qui re optima atque ſaluberrima intemperanter vtitur, à qua niſi ad tēpus abſtineas, in procliui eſt languorem auctibus ſuis ingraueſcere. Sed medicorum placita conſulat. qui verbis meis fidem præbere detrectat, colligetque ex Auicennæ ſententia ſuillam carnem ceu hominibus natura cognatiorem, quod experimento (inquit) diſcimus, cæteris eſſe prǽferedā. Et Galen. *lib. 8. de ſanitatis ratione,* carnē ſuillā cæteris laudabiliorē facit. Quin & ſuillū ſanguinē ad humanū ꝓxima ſimilitudine accedere,

cedere, carniſque eandem eſſe rationem, ſcriptores perhibent, adeo vt venditam aliquando in macello humanã pro ſuilla, digiti hominis intermixti ꝓdiderint.

TH. Conſtat ſanè, etiam viros doctiſſimos ſub inuolucris verborum à porcorum deſcriptione deſumptis pelagum humanæ vitæ haud infeliciter delineaſſe; inter quos fuit Ottomarus Luſcinius, Argentinenſis iureconſultus, qui in libello, qui inſcribitur *Grunnius Sophiſta*, lepidè admodum tractat quæſtionem, vtrius natura ad felicitatem propius accedat, hominis an bruti animantis. Quin etiam porcorum pugna per P. Porcium poetam verſibus deſcripta extat, quorum ſingulæ dictiones nullam aliam præter P. literam habent initialẽ; opuſculum elaboratiſſimum.

Porcorum conſideratio.

PH. Fuerunt certè porci antiquitus in æſtimatione haud aſpernanda, vſque adeo, vt etiam teſte Plinio *lib. 28. hiſt. nat.* adeps ſuillus olim fuerit religioſus, nouæque nuptæ maritorum ſuorũ ædes intrantes ſolenne habuerint, vt poſtes adipe ſuillo attingerent, atque inungerent, idque hoc felici augurio, vt tam fœcundæ eſſent quam ſcrophæ, quæ denos pariunt. Et Plinii commẽtator: Ædium, inquit, in quas accedebat ſponſa, ianua, marito illa operiente, lana cingebatur & coronabatur, lauroque multa ornabatur: poſtes etiam vittis laneis contegebantur, quas ab ingreſſu tangi mos erat, & adipe ſuillo oleoque vel lupino vngi, ne quid veneficum aut peſtilens domui noceret. Vide etiam Alexand. ab Alexandro, *lib. 2. c. 5.*

TH. Extat etiam de ſuibus apud Plinium, eos anguibus & muſtelis admodum eſſe inimicos, quin etiam ſerpentibus abſq; noxa veſci, vſque adeo vt etiam Salamandras ſine noxa edant, cuius tamen venenum eſt omnium propemodum nocentiſſimũ. Nam, vt inquit Plinius *hiſt. natur. lib. 28. cap. 4.* ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nihil aconito diſtans. Quinimo ſi contacto ab ea ligno vel pede cruſta panis incoquatur, idẽ veneficiũ eſt: vel ſi in puteum cadat. Quippe cum ſaliua eius quacunque parte corporis, vel in pede imo reſperſa, omnis in toto corpore defluat pilus. Tamen talis ac tanta vis veneni à ſuibus manditur, domante eadem illã rerum diffidentia. Quin etiam idem Plinius *lib 8. cap. 51.* refert, ſues aliquando furto abactos, voce ſuarii agnita, nauigium euertiſſe merſoque nauigio inclinatione lateris vnius remeaſſe. Hinc adeo factum arbitror, vt quum moralia ex porcorum natura ac moribus

ribus quędam minimè aſpernanda promanent, haud rari, imagines porcorum pro inſigniis præferre præoptent atq; glorientur; & memini ego me ante pluſculos dies videre in cuiuſdā viri primarii inſigniis depictum porcū ſubatrum in ſuperficie aurea; id quod fidem propemodū mihi fecit porcū contra vulgi opinionem, non ſolum non immundū animantum genus videri, verum etiam nulli animalium dignitate inferiorem eſſe, vt ne etiam dicam illo præſtantiorem.

Nominum à brutis denotatio.

PH. Res non caret omine, quod homines magis abblandiuntur ſeque inſinuare ſtudent brutis, quam bruta hominibus, cum tamen pleraq; bruta quorū beneuolētiam atq; morem hoēs affectāt, ſint admodū ferocia, carniuora, ex rapto & inſidiis victitātia, cuius generis ſūt leones, vrſi, lupi & vulpes; & inter alites, aquilę & milui, idque ob humani animi ferocitatē incomparabilemq; ſæuitiam fieri propemodum argumento eſt. Eadem namq; velle, vt inquit Saluſtius, eadem nolle, ea res demū amicitia eſt. Capiuntur feræ tales ab hominibus, & in principū pręcipuè aulis viſuntur, aſpectu torue, oculis flagrātes, vngulis & hiatu minaces, quid multa? toto corporis habitu immanem ſæuitiā præſeferentes adeo vt ſi nō claustra cohibeāt, ne hominib. quidē ſint parſuræ multis ad ſubitū illarum in hoēs impetū ſic interemptis. Quinimò, vt ad parem ſęuitiam ſollicitentur, nomina quoq; brutorum vſurpant, quæ videlicet abominandæ crudelitatis illos commonefaciant. Hinc nomen illi Bernhardo eſt, huic Leoni aut Leonhardo, cuidā Wolfgāgo aut Wolfardo, quæ omnia & cōſimilia Germanis nōia ab infādis beluis, leone, vrſo & lupo originem traxere; perinde ac Græcis Leonatus, Leōtius, Leogaras, Leocrates, Leoſthenes, & Lycabas, Lycurgus, Lycophron, vt conticeā, quod concepta etiā ferina rabie, ſub ꝓdigioſis ſignis, ferociſſimarum belluarum pręlia cōmittunt. Sic Romani à C. Mario acceptam aquilam, fœdiſſimā ac plurimum cruentam beſtiam in hunc vſq; diem retinent, cum antea ſub aliis quoq; ſignis veluti apris, equis, lupis, & minotauris legiones ductitarint. *E Q.* Eſt hæc fallacia, quā dicunt Logici, à nō cauſa vt cauſa. Imagines namque iſtiuſmodi in inſignis ſignisque militarib. eatenus dūtaxat adhibentur, quatenus ad fortitudinem ſunt incitabula, quæ quidem illis duntaxat animantibus tribuitur, quæ non cedunt loco neq; fugaces ſunt, vt lepores & cerui; quæ quidē vera Nobilitas eſt, eoq; nōie ſe non immeritò iactat, Æneam illum nobiliſſimū

Imitato

imitata, qui paterni morigerus erat præcepti, quo monuerat:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior inſta.

Vt ne Chriſtum Seruatorē proferam cui non veretur ſacra ſcriptura in vincendo mortē, leonis vires & nomē tribuere. Vicit (inquit) leo de tribu Iuda. Et ex quatuor animalib. quæ in conſpectu throni cęleſtis agni cōſiſtere memorantur, Leo erat & Aquila.

TH. Rectè hæc à Dño Eq. e dicūtur. Etſi n. Chriſtus cōparatur Leoni, (nimirū κατά τι' & ſecundū quid) tamen alibi quoq; tyranni & impii leonibus comparantur. Sic namque ſanctum & dilectiſſimū Deo regem Dauidem ſupplicaſſe legimus: Saluum me fac ex omnib. perſequentib. me & libera me, ne quādo rapiat vt leo animam meā, vt complures alio locos ſubticeam, in quib. leo paratus ad prędam & rugiens & hians memoratur, à quib. ſubinde eripi ſe cupit. Et Petrus Apoſt. ſuſpectum ſemper viris ſanctis eſſe iubet aduerſarium, animarum prędonem; qui, inquit, veluti leo rugiens circuit quærens quē deuoret. Chriſtus item ſeruator Herodē vitæ ſuæ & Ioannis inſidiantē vulpem vocat; iubetq; à lupis cauere, qui pellib. ouium tecti, rapacitatem intus ſubdolè tegant.

PH. Conceditur tamen interim virtutes quaſdam animantib. ineſſe, recteq; facere hoēs, qui virtutes iſtas ſtudent imitari, atq; illorum exemplar animantia ſub oculos ſtatuunt. Sed & hoc quoq; euincitur, beſtiarū exempla homines ad bonā frugem poſſe perducere. Cumq; cuiuis inſup perſpicuum ſit, exempla ſemper eſſe meliora ac præſtantiora illis quibus proponuntur; palam hinc eſt hominum genus mancum eſſe & miſerum, quia non à ratione habet, quo proficiat; ſed à brutis benè agēdi exēplar petere cogitur.

EQ. Tu ex particulari vniuerſale extruere fruſtra ad'aboras. Quemadmodum enim vnicum regis Cambyſis factū omni alioquin memoria ac laude dignum (quo nimirum Siſamnem, vnum è iudicibus regiis eo quod iniuſtè ob pecuniā iudicaſſet, interemit, detractumq; corium in lora concidit, ibidemque eius filium Otanem ſedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret, de quo apud Herodotum extat *lib. 5.*) non arguit, ipſum in cæteris fuiſſe principem laudatum, eum conſtet ipſum in cæteris fuiſſe crudeliſſimū omnemq; adeo exuiſſe humanitatem, teſte eodem Herodoto, proindeq; ipſū minimè exemplar proponendum eſſe ad imitandum. Eadē quoq; ratione, etiamſi bruta quandoq; mitiora ſunt, quam ipſorum fert natura, hominem tamen ad ea ablegare vt in vita ac moribus proficiat,

valde

valde eſſet inconueniens, hoc namq; vnico dato inconuenienti, quod Logicorum ſchola docet, multa ſequerentur infinita.

TH. Certè inhibitio hæc diuina eſt: Nolite fieri ſicut mulus & equus, in quibus non eſt intellectus. Et Chriſtus ipſe, non eſſe bonum, ſumere panem filiorum & obiicere canibus, quin etiam ſanctum canibus non eſſe obiiciendum grauiter inculcat. Et Ioannes in Apocalypſi canes, quo vocabulo impios intelligit, è conſortio beatorum abigit.

E.Q. Canes certè, vrſi, leones, cæteraque animalia ferocia, etſi aliquando in particularibus quibuſdam exemplis ferinos exuerunt, humanoſq; quaſi induerũt mores, infinita tamen è conuerſo nõ tam apud hiſtoricos quam etiam per experientiam extant exempla, in quibus pro efferatæ ipſorum naturæ ductu miſerabiles admodum hominibus iuxta atque brutis intulerunt clades. Exemplum vnum atque alterum dicam. De Iohanne Baſiliade, magno duce & principe Moſcorum refert Alexander Gaguinus quod prope ſuum cubiculum vrſos aliquot immanes alere conſueuerit, iiſque homines, quos è medio tollere vellet, pleroſque indicta cauſa dilaniandos obiecerit. De Valentiniano Imperatore Ammianus Marcellinus refert his verbis: Illud tamen nec præteriri eſt æquum, nec ſileri, quod cum duas haberet vrſas ſæuas, hominum ambeſtrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa, vt earum caueas prope cubiculum ſuum locaret, cuſtodeſq; adderet fidos. Innocentiam denique poſt multas, quas eius laniatu cadauerum viderat ſepulturas: vt bene meritam, in ſyluas abire dimiſit innoxiam. Hæc Marcellinus. Quid quod C. Caligula, Nero aliique Imperatores vel tyranni potius, ſæpiſſime vtriuſque ſexus homines feris, interdum etiam ferinis pellibus inſutos, dilaniandos obiicere iuſſerunt. De Amida Tunetorũ rege Iouius ſcribit, quod ſolitus fuerit non ſolum hominũ interfectorum cadauera canibus laceranda obiicere, ſed etiam in viuos homines, mordaces moloſſos, diuturnaque fame, vt aſperius ſæuirent, efferatos immittere. Et Sabellicus ſcribit, famam fuiſſe, Franciſcum Carrerium, Principem Patauinum canes immanis ſtaturæ habuiſſe, quibus miſeros ciues laniandos obiicere ſolitus eſſet. Tandem crudelitatem belluinam Iohannem Mariæ ducem Mediolanẽſem exercuiſſe teſtatur idem Iouius, *in elog. illuſtr. virorum, libro 2.* Sæuus, inquit, princeps in ciues poſt multos ex amicis paternis ſecuri

ſecuri percuſſos inauditę crudelitatis carnificinã exercuit. Prægrandes n. & voraciſſimos moloſſos noxiorum primò & mox innocentũ carne nutritos magiſter eorũ Gytanus fera immanitate ita alebat, vt eis quos odiſſet princeps diſcerpendos obiiceret incredibili horrore gemituque pauentis populi. Et memorabile eſt, q. Plutar. *in vita Bruti*, de Megarenſib. apud quos Caſſius leones, quos ædilib. ludis præparauerat, reliquerat, ſcribit: Cum n. ciuitas per Calenũ caperetur, Megarenſes infauſto ſanè conſilio ferarũ carceres effregerũt, eorũ vinculis relaxatis, vt irruentib. hoſtib. obiectæ, negotium eis tantiſper faceſſerẽt, dum ſibi per morã aliquã conſulere poſſent. Verum n. vero longè aliter euenit, quia leones in ciues ipſorum truculenta ſęuitia cõuerſi, tantam inetemium ſtragem edidere, dũ obuios quoſq; adoriuntur ſternunt atq; dilacerant, vt ſpectaculũ id fuerit vel ipſis hoſtib. per quam miſerabile. Atq; idipſum, aliaq; huiuſmodi horrenda committunt omnino per inſitum naturæ ductũ, quem etiam haud raro ferociter trãſgrediuntur, cuius rei vnicum exemplum referre lubet: Perſuaſum pleriſq; eſt, idemq; ex oculatorum ac fidedigniſſimorum virorũ atteſtationibus conſtat, leones cantum gallorum & eorum conſpectum mirũ in modum expaueſcere. Verũenimuero, quo modocunq; ſeſe res habeat, cõpertum eſt non ita pridem in aula principis cuiuſdam, leonem ſepta ſua tranſiliiſſe, & forte fortuna in locum irruiſſe, vbi aliquod cortes gallorum, gallinarum aliarumque altilium auium in vſum aulæ ſaginarentur; eumque iis conſpectis non ſolum nullo modo deterritum, ſed plurimas etiam ex iis deuoraſſe.

TH. Hinc nimirũ eſt, quod huiuſmodi animantia ferocia ſcriptura vocet beſtias malas, *Ezech. 4.* quippe quæ non tantum malæ ac damnoſæ ſunt per naturã, ſed etiam quo magis incitantur, eo ferocius obuia quæq; proſternũt atq; diſcernunt. Atq; hinc etiam fere eſt, quod doctiſſimus vir Ludouicus Viues in Epiſt. quadam ad reginam Angliæ, libello ſuo quem *Satellitium animi* inſcribit, præfixa, inſignia leonum, vrſorũ, pardorum, luporum, ſerpẽtum, draconum, moloſſorum, aquilarũm, vulturum, gladiorum, ignium & huiuſmodi, quæ viri principes ac nobiles præferunt atque oſtentant, haud obſcurè improbat hac inducta ratione, quod iis ipſis inſigniis propemodum videantur innuere, tales ſeſe eſſe ingenii, qualis ſunt illa, quæ præferunt animantia, atrocis nimirum rapacis, ſæui cruentiq;, quanto

præſtaret, inquit, aliquid ꝓ inſignib. oſtendere, quod humanitate, comitate, lenitate, dulcedine alliceret atq; inuitaret, aut grauitatis & præſtantiæ magnitudine ac maieſtate detineret. Hęc Viues.

PH. Ludouici illius Viuis iudiciũ ſuſq; deq; fero. Interim hoc accepto, quod paulò antè dicebatur, beſtias, quãdo ab hominib. incitantur, agere ferocius, id q, maiorem omnino ferocitatem hoiũm quam beſtiarũ arguit, niſi enim ab hominibus concitentur tantopere per naturã vix ferocirent. Imò nullum animal cernitur tam crudele in proprium genus, neq; tam ferum; quippe homo non ſolũ in alienos ſæuit, ſed in ſuos etiã, atq; adeo in eos, qui ſibi neceſſarii ſunt & domeſtici, & eo indignius in ſeruos, quod illi ſæpe non naturę ordine, ſed caſu malo ſerui ſunt, qui alioqui inſtituto naturæ melius dominatum gererẽt, melius ipſi imperium ingenio & iudicio ſuo in eos, qui ignari rerũ ſibi dominantur, exercerent, & quod lautiori corpore ſint, potius illorum ſeruitio egerent, qui ſibi imperãt. Quam mul i ſunt, qui in fratres, in coniuges, in liberos, in parentes, qui ſibi vitam, genus, nobilitatem & patriam tradiderunt, adeo ferociter ſe gerunt, vt neq; manus abſtineãt, neq; ſe contineant à vulnerib. à cæde ipſa? Omnino nullum animal ad diſſidia, ad rapinas & malas vſurpationes, nullũ magis ad ſuſpiciones, ad ſimultates, ad pugnas, nullũ aliud ad malignitatem eſt natum. Vſque adeo, vt multa ſæpe committantur ab hominibus facinora, quæ etiam ipſo nomine horrenda ſunt. Quid n. exempli gratia, fratricidio immanius. At hoc Romulus admiſit in fratre, à quo parricida etiamnũ durat nomen Romanũ, his tam infandis auſpiciis haud dubie infame. Quid dicã multos quotidie tolli veneno, alios per inſidias necari, nõnullos latrocinio, quoſdam aperto marte, multo plurimos prælio fundi, quotum tamen bona pars non virtute hoſtili: ſed machinarum bellicarum horriſonis aliquando iaculis cecidere. Et hęc mala omnium pernicioſiſſima ab homine proficiſcuntur, & illi hæc accepta referas oportet. Iam huius loci non eſt referre minora incommoda, quæ ita iam morib. humanis implicita ſunt, vt genuina arbitreris adeo vt in mutuis etiã commerciis nephas iam ferme putetur dolum abeſſe, vſq; adeo vt à quibuſdam iurecõſ. bonus cenſeatur, & licitum ſit contrahentibus ſe viciſſim decipere. Omninoq; verum eſt q, ſcripſit Plinius, mala cætera quæ homini accidunt, vtcunq; toleranda eſſe, aut præcaueri

Ex homine primũ & extremum malum.

ueri etiã poſſe. At homini ex homine maximam imminere perniciem. Tempeſtates futuras certis aſtronomorum canonib. aut alia ratione prænoſcere poteſt homo. Morbi item, vt medici tradunt, ſuos præmittunt nuncios. Et ſunt non pauca proximæ mortis indicia. Siccitates, exundationes, famem, annonæ precium, quotannis aſtrologi prænunciant. Tectorum ruinam præcedit crepitus. Et canes caudam demittere creduntur, nihilq; ea blanditi ſub id tempus, quo morſu velint impetere. At fraudes, impoſturas, furta, obtrectationes incendia, delationes, & mille iniurias nemo ſentit ſtrui, quod tum maxime autores facinorum vultu blandiri quib. nocituri ſint videantur. In vrbib. præterea excogitarunt portas, penſiles cãcellos ex trabibus ferro acuminatis, multiplicia mœnia, turres, arces, pomœria, valla, munitiones, foſſas, & nunquam finiendas excubias, quæ omnia ad ſolam hõium malitiam propellendã aut arcendam valent, niſi ex ſociis hoſtes fiant, & corrumpantur largitionibus, id quod non raro fit, & tum nullo aſtu penituſque haud vllo conſilio licet pernicioſos hominum conatus effugere. Ait Plaut. Hominem homini lupum eſſe, ſed quid dixit lupum? cuius impetum menſ dũtaxat Februario vulgus timendum prædicat. Hominem vero ſemper in procinctu eſſe vt noceat, experimento diſcitur.

TH. Non prorſus à vero abſona ſunt quæ dicis. Peruerſa enim ac deplorata quorundam hõium malitia eſt illorum præſertim, qui vt ſcriptura loquitur, venerunt in profundum, hoc eſt, qui προαίρεσιν omnino habent ac voluntatem peccandi, nullo iræ aut vindictæ diuinę hõiumue metu. Admonet Apoſt. præcauendas homini cacodæmonum inſidias, & docentur paruuli à parentibus ſe crucis ſigno dormituros, aut è ſtrato erigentes munire. In templis quoque horrẽda ſpecie depicti ſpiritus viſuntur, presbyteris multum etiam in illorum fraudibus detegendis inter declamãdum occupatis, quo magis laruę huiuſmodi metuãtur. Sed nihil ſunt mille cacodæmonum agmina ad vnius hominis meditatã perniciem. Si modo nocere & velit, & poſſit. Sedet in inſidiis vt interficiat innocentem, ait Propheta regius. Et item: Parturit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ & lingua eorum gladius acutus. Quid? quod non ſatis eſt quibuſdam ſanguinariis hominem necaſſe: niſi prius longo cruciatu ſpectaculum ſui præbeat, vt de

Homines cacodæmonibus nocentiores.

Siculis tyrannis proditum eſt.

PH. Hinc eſt, quod mundus atq; homines dicuntur palæſtra furorum Diaboli, in qua natura hominis corruptiſſima ſeſe vbiuis palam exhibet, imò in ſceleribus gloriatur, vſq; adeo vt etiam ferarum naturam longè exuperet,

— Recteque videnti
Vna hominum ſpecies, animalia cætera monſtrat.

Id quod grauiter Marcellus Palingenius queritur; innuens nimirum, nihil adeo atrox, immane, abominabile ac ſordidum eſſe aut excogitari poſſe in brutis quod non in hominum genere multis paraſangis exuperet.

TH. Scribit etiam Paulus ex hominibus quoſdam datos in reprobum ſenſum, qui repleti ſint omni iniquitate, ſtultitia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones eſſe, obtrectatores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentib. immorigeros, inſipientes, incõpoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia. Et Ouidius 1. Metamorph. inquit:

— Irrupit in æuum
Omne nephas, fugêre pudor, verumq; fideſque,
In quorum ſubière locum, fraudeſque, dolique
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum,
Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

PH. Memorabile eſt, quod Ouiedus hiſtoriarum Indicarum ſcriptor de abſurda quidem, at non planè irrationabili Peruanorum opinione, quam de militibus Hiſpanis in ipſorum oris inhumaniter admodum verſantibus, conceperant, ſcribit, his verbis: Marurum iam mihi (inquit) videtur, falſas eas opiniones, quas illæ gentes de nobis habent, expromere. Poſtquam ingreſſis Peruſium Hiſpanis, mores eorum, facta & atrocia ſæuitiæ exempla quæ paſſim ab iis edebantur, inſpexere; nunquam

exeo

ex eo nō modo fateri voluerunt, nos eſſe Chriſtianos filios Dei (ſicuti ab Hiſpanis audiebant) ſed ne ita quidem in lucem editos vt vulgo naſci homines ſolēt: Quippe fieri non poſſe vt tam ferox & truculentum animal ab vllo homine genitum & fœminæ partu editum ſit. Itaque eorum animis penitus hæc inſedit opinio, nos mari eſſe ortos: ac proinde nos *Viracochie* vocant. quippe *Cochie* apud eos valet mare, & *Vira* ſpumam ſignificat.. Ergo nos è mari concretos & coalitos, ſpumaque nutritos, vulgo ferunt: ac veniſſe in terras ad vaſtandum ac perdendum mundum. Neque eam opinionē vllus, præter Deū omnipotentem, eorum animis euulſerit. Nempe inter ſe ita ratiocinantur, Venti domus proſternunt, arbores frangunt: ignis eadem vrit: ſed iſti Viracochiæ omnia deuorant: terram inuertūt, vim fluminibus afferunt, neque vllum tempus remittunt: perpetuo irrequieti modo huc modo illuc vagantur, aurum & argentum inſatiabiliter quærētes: mox vbi quæſiuere, alea conſumunt, bella gerunt, mutuis cædibus ſe cōficiunt, latrocinātur, blaſphemant, Deum exſecrabiliter eiurant abnegantque: verum nunquam loquuntur, & nos noſtris ditionibus & fortunis ſpoliauere. Deniq; Indi mare dicis exſecrantur, quod tam ſæuam & truculentam ſobolem in terram immiſerit. Hæc Ouiedus. Etſi vero p̄poſterum hoc fuit Peruanorum iudicium, non enim ex mari, ſed ex hominibus, geniti fuerunt Hiſpani, tamen de trucibus admodum atque monſtroſis Hiſpanorum illorum ingeniis facile poteſt ferri iudicium.

E. Q. Vt in animantibus, ſic etiam in hominibus mores atque ingenia non ſunt vniuſmodi. Nā quod ad animantia attinet, illorum ſunt quædam mitia, remiſſa, & minime puicacia bruta omnino, vt onager. Alia ingenioſa, ac timida, vt cerui, lepores, cuniculi. Alia illiberalia, perfida, inſidioſa, vt ſerpentes. Alia liberalia, fortia, & nobilia, vt leones. Alia generoſa, ferocia, inſidioſa, vt lupus, nobile enim id eſt, quod ex bono prodiit genere, generoſum autem, quod non à ſua natura degenerarit. Et alia aſtuta, malitioſa, callida, vt vulpes. Alia animoſa & amantia & aſſentatoria, vt canes. Alia mitia & manſuetudini addicta, vt elephantes. Atque hæ ſunt ſingulorum naturæ genericæ ad quas occulto quodam naturæ ductu ſponte feruntur; à quibus tamē ſæpenumero etiam exorbitant, cuius rei documenta & paſſim occurrunt, & à nobis quoq; paulo ante in medium allata ſunt. Atque eadem etiam in

hominibus militat ratio. Etſi enim identidem & hi ad vnam & eandem, humanitatis puta, naturam genericam feruntur, cuius etiam beneficio, quicquid vſpiam humani eſt, ab ipſis haudquaquam eſt alienum, tamen haud raro à debito ac naturali humanitatis tramite deuiant atque degenerant. Quod adeo verum eſt, vt ſingulæ etiam hominum ætates peculiare quid habeant, per quod ab inuicem dignoſcuntur. Omnino vt in cæteris animantibus fieri videmus, equis puta, canibus & cæteris, quam & hæ etſi eandem originis ſuæ naturam ſeruant, cui quaſi immerſæ ſunt, tamen pro diuerſa ortus, locorum &c. conditione non iiſdem feruntur affectibus naturæ, ſed aliæ aliis ſunt generoſiores aut etiam ignobiliores, etiamſi vnius & eiuſdem ſunt ſpeciei. Quin vt ſingulæ ætates hominum peculiare quid habent, ſic etiam ſingulæ ætates animantium; cui qui reclamare volet, is ſolem è meridie tollere, naturæque adeo atque experientię bellum indicere videri poſſet.

TH. Scriptura certe omnium hominum vnam & eandem eſſe naturam eamque deprauatam, cuius maleficio omnes hominum cogitationes ſint prauæ, omnes à bono abalienati, impuri, mendaces &c. ſint, verè & conſtanter pronunciat, atque exinde omnes in vniuerſum innumerabilium peccatorum reos arguit.

EQ. Sunt hæc deprauatæ naturæ vitia, quibus mature & gnauiter eſt reſiſtendum, quod niſi fiat, homines in quiduis, prout obiecta ſæpenumero mouent ſenſus, cæco feruntur affectu, ex eoque ſolo, nulla propemodum honeſtatis aut vtilitatis habita ratione omnia metiũtur, id quod nemo ſanus probat, imo hoc inſano iudicio nihil corruptius dici poteſt. Hinc illa admiratio ſaporum in cibis & vino, qui cum rei familiaris diſpendio valetudinem quoque extinguunt. In re item Venerea adoleſcentulas ſuſpiciunt ingenuas, forma & genere etiam inſignes, vt ne dicam matronas quoque, cum famæ ac vitæ periculo, ſunt qui relicta domi pudica & forma præſtanti vxore, meretricis amores ſectantur, Ouidiani illius memores:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris
Vicinumq́; pecus grandius vber habet.

PH. At bruta econtra aurum vt rudera putant, cibum potumque ſatis pretioſum, qui famem ſoletur & ſitim reſtinguat. Atque vbi

vbi naturæ inſtinctu impelluntur in Venerem, proximũ quodque ipſorum generis, huic rei idoneum, æſtum prurientem temperat. Nullus hic reſpectus ætatis eſt, nullus formæ, nullus generis aut illecebrarum. Quid enim cum his rebus libidini.

TH. Vere itaque atque appoſite ſcripſit diuus Bernhardus, *libr. Meditat. cap. 9.* Cor hominis ſicut molendinum voluitur velociter, & nihil reſpuit, ſed quicquid imponitur, molit: ſi autem nihil apponitur, ſeipſum conſumit: ſemper eſt in motu; nunquam quieſcit: ſed ſiue dormiat, ſiue vigilet, ſomniat & cogitat quicquid illi occurrit. Et ſicut molendinum harenam ſi imponitur, exterminat, pix inquinat, palea occupat; ſic cor cogitatio amara perturbat, immunda maculat, vana inquietat, & fatigat, & rum fururum non curat gaudium, nec diuinum quærit auxilium, ab amore cœleſti elongatur, & inuoluitur in iſtis vanis, vanitas illud recipit, curioſitas deducit, cupiditas allicit, voluptas ſeducit, & polluit luxuria, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia. Hucuſque Bernhardus, & Petrus Rau. Infructuoſa inquit, intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit, damno afficit poſſidentem, ac ſi excidat e iſtam lucrum eſt, iſtam non habere commodum eſt, ſic homo vtique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſenſus, iudicium mentis, artis induſtriam, culturæ bonum ſteriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit aurori fructum, cultori gratiam negat: vnde ſicut arbor à terra ſic iſte vita meretur excindi.

Atque hæc hominum malitia vſque adeo vniuerſum peruaſit orbem, vt quamuis alioqui non omnis fert omnia animantia tellus, proindeque cætera animantia per migrationes in alienas regiones, tutiores minuſq; à noxiis animantibus infeſtas manſiones nanciſcuntur, ſi lus tam ē homo, licet identidem mutet regiones, & inuenire etiam poſſit prouinciam noxiis animalibus vacantem, nõ tamen vllam ſocietatem hominum reperiet quæ non gregem habeat peſtilentem & noxium. In arca Nôe ex octo vnus fuit improbus. In Abrahæ domo illi de quibus extat diuinus ſermo: Eiice ancillam & filium eius. In Iſaac ædibus eſt quem taxat alius ſermo in Malachia, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. In Chriſti item contubernio filium fuiſſe perditionis, verbis veritatis oſtenditur.

PH. Vſque adeo itaq; verũ eſt, quod

quod Æneas Syluius: Nullum inquit animal homine verſutius eſt, nullum fallacius, nullum inſidioſius. Mille ſunt in homine latebrę, mille fallēdi artes, mille nocēdi modi. Aliud in corde, aliud in ore gerit. Sæpe contemnere viſus eſt aurum, qui ſitientiſſimus eius fuit. Religioſos nonnunquā vidimus, quos mendicantes appellant, & auri contemptores videri volunt, dum viuendi finem feciſſent, magnum peculium reliquiſſe. E quibus vnū nouimus, qui auri nummum ſeptem & decem millia veteri muro incluſerat, quæ paulatim mendicando, plorandoque inter vetulas ingenio ſubtili corraſerat. Pauci ſancti & digni, quos optimus amet Deus, quos auaritiæ non agunt ſtimuli, ſed maxima pars hominum ficta fucataque eſt; plures videri boni, quā eſſe volunt. Sub ouina pelle ſæpe lupinum offendes animum. Hactenus Syluius. Atque hinc fere etiam eſt, ꝙ viri præſtantiſſimi, qui aut in ciuitatibus moderandis, aut in rebus & negociis agēdis alios antecedūt, tum pluris fiunt, & maiori in honore habentur, cum magis ex cōpoſito & ſimulanter agunt, ipſiq; tunc magis ſibi placent, cum plures mendacio illexerint. Nec vnquam eos magis pœniret, quam cum aliquid ſentiunt ſe ſimpliciter egiſſe, aut cādide locutos eſſe, nihil ineptius ducūt aut turpius, quam animum aperire, iurgium & conuitium putant maximum, cum ab aliquo ſe ſimplices appellari ſentiunt, quaſi nō mente quę ſuapte vi veri cupida eſt, ſed aliqua ei contraria & deprauata natura homo conſtituatur, vnde Philoſophi veteres, vt refert Cicero, dixerunt, hominem eſſe animal inter cætera multiplex.

TH. Hinc nimirum difficilimū eſt, hominis ingeniū cognoſcere, idq; propter occultas voluntates, & curuos animorum anfractus, frons namque, oculi, vultus tetrica facies, folia ſunt quæ perſæpe mentiuntur; quemadmodū illa ficus mentita eſt Chriſto; oratio vero ſæpiſſime. Archidamas dicere ſolebat: *Ouem vnā tantum eandemque vocem, id eſt balatum reddere: hominem vero* πολλὰς καὶ ποικίλας, *multas & varias voces effingere, donec ad id quod cupit, peruenit*. In ipſis itaque hominibus, quam multæ non ſolum voces, ſed quam multæ beſtiæ? ita leonis, fraus vulpis, mordacitas canis, &c. & inter homines quid homine rarius? imo in hominib. quam multi (eloquar, an ſileam?) dæmones. Atque hoc ipſum eſt, quod grauiter Chryſoſt. ſuper Matth. Præ omnibus, inquit, malis, homo eſt peſſimum malum. Quælibet beſtia vnum habet, & proprie malum, homo autem

Ingenium humanum.

omnia:

omnia: diabolus enim ad iuſtum accedere non audet, ſed malus homo non timet, ſed contemnit. Huc etiam fere congruit, quod idem Chryſoſt. *ſuper Matth.* homilia in aſcenſione: *Comparatus eſt homo iumentis*, &c. Peius eſt inquit, comparari, quam naſci: naturaliter non habere rationem, tolerabile eſt: hominem vero ratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis crimen eſt. Et idem Chryſoſt. ait: Hominem te non agnoſco: Recalcitras tanquam aſinus, tanquam equus poſt mulieres hinnis, rapis vt lupus, iraſceris ſicut ſerpens, venenum habes vt vipera, canis es, leo &c. ſicut malignus dæmon fratres impugnas. Quomodo te hominibus annumerem, talis in te naturæ ſigna cum non intueat? Imo tolle ex humano genere beſtias ac dæmones, & quid tum mirum, ſi quis cum philoſopho illo, face meridie accenſa, hominem in confertiſſima hominum turba quærat?

EQ. Vnde vero hæc hominum peruerſitas, num ex homine? Imo vero ex ipſis animantibus, vel tuomet ipſius teſtimonio quod iam ex Chryſoſtomo produxiſti, quippe de quorum ſingulis malitiis ac peruerſitatibus participare hominē, atq; in naturam, & in ſuccum quod aiunt & ſanguinem ſuum conuertere aſſeris. Cui etiam conuenit, Iacobi Billii quod de hominis peruerſitate agit, carmen, hoc metro:

Serpentum nobis dens eſt, mens laua columba:
Stultitia & pueros, & ſuperamus oues.
Et canis eſt morſus nobis, & equina libido:
Vt leo nos ferimus ſemper, & inſtar apri.
Formica ventris non cura eſt maior alendi:
Fermenti & veteris nos comitatur acor.
Sic innata feris mala nobis cuncta ſuperſunt:
Cum bona deficiant inſita cuncta feris.

Cæterum ſummatim multa dicam, idque inſigni Auguſtini dicto qui *ſuper Ioann. ſer. 18.* Alia inquit, vita pecorum, alia hominum, alia angelorum: vita pecorum, terrenis voluptatib. æſtuat, id eſt ſola terrena quærit: vita angelorum, ſola cœleſtia: vita hominum media, & inter vitam angelorum & vitam pecorum. Si viuit homo ſecundum carnem, pecoribus coniungitur: ſi ſecundum ſpiritum, angelis ſociatur. Hæc Auguſtinus. Atque en omnium vita connaturalis.

Digitized by Google

PH. Et ego itidem ſummatim omnia complectar. Homines nimirum naſcēdo ſine ſumma miſeria iuſtam ætatem aſſequūtur, neq; moriendo ab ærumnis homines liberantur. Adhæc non ſuppetit victus, non veſtis, non domicilium, non concubitus, nō prudentia. Ad vltimum, nulla prorſus voluptas ſine labore qui antecedit & dolore qui hanc cōſequitur, quæ duo omnia etiam neceſſaria hominibus difficilia faciunt. Vnde fit vt ad homines reliqua animantia collata nō abs re felicia dici conueniat. Deniq; cum tantus in hominibus ſit prauæ libidinis vigor, vt nulla ratione nulliſque diſciplinis domari queat, quo minus per omnia ſcelerum genera graſſetur, adeo vt neq; virtutis amore, neq; acerbiſſimarum pœnarum metu à flagitiis abſtineat; Bruta, q̄ in omnibus modeſtius vitam agunt, à virtute & bonis moribus haud dubie non ita multum abhorrent.

EQ. Tu ea ſolum quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, iudicas, veluti nudulum & inermem hominem gigni, & cum mœrore extingui, hæc enim potiſſima ſunt, ex quibus tu humanam miſeriam metiris, ferinamque ſubinde inculcas felicitatem. Cæterum quæ digniſſima ſunt, & diuinam præ ſe ferunt originem, præteris. Namq; ad miſeriam illam quam commemoras, propellendam ſatis ſuperque nobis proſpectum eſt à Deo conditore, qui mentem nobis indidit.

Vnde proficiſcuntur indubitata rerum gerendarum conſilia & moderationes, vt non modo feliciter vitam agere poſſimus, ſed etiam cum ſummo fœnore illam, vbi res expoſtulet, relinquere. Nam quod ad primum attinet, quid obſecro humanis vſibus excogitari poteſt, vel neceſſarium, vel conducibile, quod non induſtria parauerit. Veſtem iactas, ſed illam natura oui ad arcenda frigora multo aptiorem largita eſt; verum quomodo eadem æſtati quoque conueniat, non plane intelligo. Tanto igitur melius cum homine actum eſt, vt nudus ederetur in terram, qui parentum cura patuulus, & procedente ætate ſuo ipſius arbitrio veſtiri, nudari aut ubinde mutare exuuias poſſit. Videas enim id commune eſſe cum pleriſque beſtiis homini, cum ſe diu eodem in veſtitu continet, vt à pulicibus infeſtetur, aut re forſan ſordidiore. Armatos autem naſci homines quid expediret? quos commodius, ſicubi ex re eſſet, tueri queat ferrum & tunicæ adamantinæ in tempore membris aptatæ. Noli ergo miſeros appellare, quibus omnia affatim ingenium & vis animi ſup-

ſuppeditat. Nam ſi neceſſariis eges, eadem tellus quæ genitum excepit, nihil germini ſuo deeſſe patietur. Sin te magis capiunt exotica, ad hoc vt delicate etiam viuas, mercibus ab vltimis terræ oris ad nos afferendis via reperta eſt. Quid igitur eſt, quo nos deſtitui exiſtimas, quod non ſarciat ratio? Pernicitasne? Atqui veredariorum opera lepores quoque curſu anteuertimus. Nandi peritia? At nauigio id negotii facile conficimus. Volatus? Atqui alites quoque aut fallimus inſidiis, aut perſequimur falconibus. Vires corporis? At leones ipſos, feraſque alias ferociſſimas domamus, & ſub iugum mittimus. Quid, quod moles etiam quodammodo immobiles, ingenioſis machinis loco mouemus, & quo libet, trãsferimus, id quod nullæ alioqui vires efficere poſſent. Vnde facile liquet, hominem ratione cæteris pſtare animantibus, qua ſola contentus imperio ſuo ſubiicere omnia poſſit.

PH. Quod ſi tanta eſſet hominis dignitas atq; maieſtas, non naſceretur nudus, ſed omnibus quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, omni ex parte inſtructus?

EQ. Imo vero nudus naſcitur homo, vt omnium compos ſit, atque ad omnia natus nulli certo aſtringitur; vt pro incurſantium malorum ratione queat liberius hoc vel illud genus armorum vel indumentorum ſibi comparare.

TH. In hanc propemodum ſententiam egregie ſcribit Hugo *in didaſc. l. 1.* Qui vſum veſtimentorum prius adinuenit, conſiderauit, quod ſingula quæque naſcentium propria quædam habebant munimenta, quibus naturam ſuam ab incõmodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piſcem ſquama operit, lana ouẽ induit, pilus iumenta & feras veſtit: concha teſtudinem excipit: ebur elephantem iacula non timere facit, nec tamen ſine cauſa factum eſt, quod cum ſingula animalium naturæ ſuæ arma habeant ſecum nata, ſolus homo inermis paſcitur & nudus. Oportuit enim vt illis, quæ ſibi præuidere neſciant, natura cõſuleret, homini autem ex hoc etiam maior experiendi occaſio præſtaretur: cũ illa, quæ cæteris naturaliter data ſunt propria ſibi ratione inueniret: multo enim magis enitet nũc ratio hominis, hæc eadem inueniendo, quam habẽdo claruiſſet: nec ſine cauſa prouerbium ſonat, q̃ ingenioſa fames omnes excuderit artes. In eandem etiam ſententiam loquitur Seneca ad Lucil. *epiſt. 77.* Omnia ſuo bono conſtant, vitem fer-

fertilitas commendat, vinum ſapor, & velocitas ceruum. Quare fortia dorſo iumenta ſint quæris, quorum hic vnus eſt vſus, ſarcinas ferre. In cane ſagacitas, prima eſt, ſi feras inueſtigare debet; curſus, ſi conſequi; audacia, ſi mordere & inuadere. Id in quoq; optimum eſſe debet, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quidem ratio. Hac antecedit animalia, Deos conſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt, cætera illi cum animalibus ſatisque communia. Valet, & leones; formoſus eſt, & pauones; velox eſt, & equi corpus habet, & arbores; impetum habet & motum voluntarium, & beſtiæ & vermes; habet vocem, ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremq; luſciniæ.

EQ. Hęc veriſſima ſunt. Quodſi vero vita beſtialis his magis tibi probatur, nimirum tuo iudicio feliciſſima, ſimplex, iucunda & innocens? Age igitur hac ſorte, ſine mea inuidia impoſterum felix ſis, & cũ ratione inſanire perge, ego mea ſentẽtia felicior hominem ex homine non exuam, quem ſcio tãta maieſtate ab ipſo Deo donatum eſſe, vt & vi & aſtu omnibus aeris, aquæ ac terræ beſtiis atque animantibus dominetur, quod dominiũ actu ita vſurpat, vt vel ferociſſima quæque animantia ad hominis cõſpectum contremiſcant. Cæterum quod maieſtatem quãdam, cuius quaſi igniculi quidam ex facie atque oculis hominum quorundam, heroum maxime ac vere nobilium ſcintillant, homini indiderit atque congenuerit, quamplurima extant documenta. Conſtans omnino apud ſcriptores vox eſt, leones quos Regios vocant, (nam ferunt ex iis quoſdam eſſe degeneres) ſicut ipſi generoſi & magnanimi ſunt, ita homines generoſos & fortes obſeruare, & voces ipſorum horreſcere, ideoq; non volunt, vt limis oculis, teſte Plinio *lib. 10. cap. 63.* aſpiciantur, cum & ipſi hoc non faciant. De hac re extat hiſtoria apud Cranzium ſane memorabilis, de Henrico Comite Holſatiæ, qui à fortitudine Ferreus dictus fuit, de quo etiam Iulius Camillus refert, cum aliquando Lutetiæ in tornellis cum multis aliis nobilib. è feneſtra palatii in hortum proſpexiſſet, quod tunc forte à ſuis clauſtris leo euaſerit, ſeque à tergo, diffugientibus hinc inde aliis, abſq; noxa complexus fuerit, qua re ſe attonitũ, leonem ſibi adhærentẽ ſubito audacter & torue inſpexiſſe, q mox depoſita omni ferocia ad pedes ſuos procubuerit, inſtar blandientis & veniam petentis.

Hominum maieſtas atq; dominium in bruta.

TH. Omni-

TH. Omnino memorabilis eſt hiſtoria, quam Cranzius de hoc Henrico Ferreo recenſet. Cum enim Henricus Ferreus, Eduardo III. regi Angliæ, in cuius aula viuebat, cum ob virtutes reliquas egregias, tum ob fortitudinem inprimis eſſet gratus; vrebat id Anglorum proceres, & conſilium eius perdendi capiũt, abſenteq; rege, Reginæ ſuggerunt, Saxonem hũc Teutonicum, quem rex multis nobilibus Anglis prætulerit, vere nobilem non eſſe, cuius rei periculum vel in leone fieri poſſe, quem naturâ aiunt internoſcere nobilem ſanguinem ab ignobili. Reginæ ergo permiſſu leo noctu laxatur, vt Henricum antelucano tempore auras captare, & intra arcem obambulando ſcrutari portarum clauſtra ſolitum, aggrediatur. Henricus de more ſeminudus baltheum cum gladio manu geſtans prodit ex cubili, & in gradibus leonem rugientem & ferocem obuiam habet. Cui interritus, *Quieſce*, inquit, *quieſce canis ferox.* Ad quam vocem leo ad pedes eius proſternitur, quem manu apprehenſum duxit in caueam. Ferunt eundẽ aliquando ſtantem ad cancellos leonis Anglis qui vna aſtiterant, dixiſſe: ſi quis inter vos eſt nobilis, imitetur factũ meum. Moxq; ingreſſus ferocienti leoni crinale capiti ſuo detractum impoſuit; ſtupuit leo. Tum ad Anglos conuerſus: ſi quis, inquit, confidit ſtemmati ſuo, referat crinale quod intuli; illi rubore perfuſi abierunt. *Crantz. in Saxon. libro 9. capit. 24.*

Robur hominum. *EQ.* Præter maieſtatem in ſuper etiam vim ac robur hominibus quibuſdam indidit Deus, quibus domare atque coercere ferociſſima ac robuſtiſſima quæque animantia facilè potuerunt. De Polydamante Scotuſeo refert Nicolaus Leonicus, illum robuſtiſſimo corpore vaſtum validiſque adeo præditum fuiſſe viribus, vt obuiam ſibi quondam in Olympo monte leonem, Herculis æmulatione nullo armatus telo ſolus confecerit. Agreſtem quin etiam ferunt eum aliquando ex grege taurum, poſterioris pedis extrema parte captum, & vt par eſt, ſubſilientem & recalcitrantem, contentis adeo viribus tenuiſſe, vt magno tandem totius corporis viriumque nixu incumbens taurus non prius inde ſe explicare potuerit, quam vngula in illius manu relicta, ea mutilatus parte debilis & claudicans ab illo aufugerit. Hic etiam concitas celeri curſu bigas, iniecta retrò in illas manu eodem ſtans veſtigio, facilè retinuiſſe, illarumq; curſum inhibuiſſe perhibetur. Quod de Milone ſimul Crotoniate ferunt.

M 3 *PH.* Ve-

Digitized by Google

PH. Verum viribus etiam iſte ſuis confiſus, vt Milo, interiit. Cum enim aliquando æſtatis tempore caloribus maximis in ſubterraneo concauæ ſpeluncæ gremio cum æqualib. quibuſdam ſuis genio operã daret cre brioreſq; procedente ſympoſio iam circumferrẽtur calices, forte fortuna maximo cum fragore & ſtrepitu ſpelunca ſupernè diſrupta eſt, patentibuſque rimis crebrioribus, mox etiam conſecuturam ingentem montis ruinam clariſſime præmonſtrauit: diffugientibus igitur, vt tali decuit in re vniuerſis, ſolus Polydamas erectis in altum brachiis tanquam molem illam ſubiturus, mõtemq; totum fulciturus intrepide, quo diſcubuerat, loco, perſtitiſſe fertur: eoque modo montis ruina ſaxorumq; ſuperillapſu oppreſſum, vltimum clauſiſſe diem memoranda in omnib. ſeculis morte perhibetur.

TH. Imò deploranda ego inquam morte, eo vel maximè nomine, quod illi, q corporis robore vltra communem cæterorum hõium cõditionẽ præpollent ortus ſui plerumq; immemores, eo audaciæ vt plurimum progrediuntur, vt maiora tandem viribus attentẽt, atq; in præſentiſſimam vitæ ac virium ruinam temere omnino ſeſe proiiciunt atq; præcipitant. Exemplũ nobis exhibet Simſon ille, olim Hebræorũ dux fortiſſimus, & alioquin pietate non vulgari præditus. Is n. non tantum inermis ferociſſimũ leonẽ adortus arctiſſimo brachiorũ nexu beluam illam immaniſſimã ſtrãgulauit, verum etiam aliquãto poſt, maxilla aſini temerè arrepta, quę forte in proximo iacebat ad mille hoſtium, cæteris trẽpidatione ac fuga diſiectis interfecit; quin etiã poſtea portas Gazæ vrbis media nocte cardinibus auulſas atq; humero impoſitas, in iugum montis detulit, qui Hebroni imminet, atque in clariſſimi trophæi modum ſublimi loco ſtatuit. His vero geſtis ferocia animi viribuſq; confiſus, neq; patriis legibus atq; inſtitutis teneri potuit amplius, quin peregrinos ritus & mores temere amplecteretur, quæ res etiã exitio ipſi fuit. Cum enim Dalilæ meretricis amore vſq; adeo deperiret, vt cum illa tertio ab ipſo deluſa, ludibrio haberi ſe, nec fideliter amari ſe ab illo quereretur, atque obiduſ gritudinẽ ſimularet, mæſtoq; ac minus familiari vultũ ſe illi de induſtria offerret; ipſeq; amoris impatiens, meretriciſq; quã deperditè amabat, intemperiem diutius ſuſtinere nolens, qua ratione, capillorum nimirũ abraſione vires ſibi adimi poſſe aſſeueraret; Meretrix occaſionẽ adepta, quieſcentis caput nouacula abraſit. Ita ille

Digitized by Google

Ita ille Philiſtæis proditus, luminib priuatur, reuincti ſq; poſt terga manib. ad ludibrium traducitur. Cæterũ interea pilo paululum renaſcēte, cum ſolenni die Philiſtæi publice epularētur, iuſſus eſt Samſon in triclinium adduci, vt ludibrio eſſet ciuitati. Id ſecum ille ęgre ferens, cuſtodem corporis rogat, vt orbitatis ſuæ miſertus, ſe feſſũ ſtando aliquando parieti acclinaret vbi paululum quieſceret. Duæ erãt omnino columnæ, quibus totum erat conclaue illud, (ſiue vt quidam volunt) templum impoſitum, his ille prehenſis ſubitò impulſa omnia ita concuſſit, vt ex improuiſo lapſu tria hominũ millia ſecum obruerit. Atq; is Samſonis viri fortiſſimi exitus fuit, glorioſus equidē eo nomine, quod plures ferme morte ſua interfecit, quam in vita, ſed cuius illaudatæ ſunt cauſæ atq; initia.

EQ. Refert Thomas Fazelli de Galeatio, ſiue Galeato Bardaſino, Catanenſi, quod aſinũ magna lignorum cõgeriē, ſiue quocunq; alio onere grauem manib. è terra extollere potuerit. Et Albertus Cranz Gigantis Pallantis filii Euandri cadauer (vti exiſtimatum fuit) turribus altius, Romæ in via Lauretana effoſſum fuiſſe memorat, cum face ad caput eius ardente, quæ nec aqua, nec flatu extingui potuit, donec ſupra flammam (Vincentius ſcribit, ſubtus) foramine acu facto aer immiſſus fuit. Facies illius (Vulnus, Vincētius ait) erat quatuor pedum & ſemiſſis. Poſtea in platea putrefactũ eſt. Epitaphiũ ei erat additum tale:

Filius Euandri, Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole ſua iacet hic.

Et Marcus Antonius Coccius Sabellicus ſcribit, effoſſum eſſe in Creta cranium humanũ, magnitudine dolii mediocris, quod vbi contrectari cœpit, redactum fuerit in fauillã. Et in Creta quondam montem quendam terræmotu concuſſum detexiſſe corpus humanum, quod 40. cubitos habuerit in longitudine. Plura huiuſmodi commemorarem, niſi cuiuis eſſent obuia.

PH. Quid hoc tantopere mirum, inuenire homines, giganteo robore ac proceritate corporis inſignes, cum eadem quoq; in animantibus vſu veniant. Nam de ouib. Peruanis conſimile ferè recenſet Auguſt. Zarat hiſtor. Peru. *lib. 3. c. 2.* his verbis: Peruanæ oues inſtar camelorum (quos ſi tubera demſeris, ſpecie prope referunt) magnis oneribus ferendis ſufficiunt. Equitandi vero etiam vſu eas ita aſſuefecerunt Hiſpani; vt duodecim aut quindecim milliarium ſpacium, equitem dorſo geſtantes in die conficiant.

ciant. Itinere fatigatæ proſternunt ſe humi: ac tum fodiendo aut feriendo fruſtra impuleris: nunquam niſi onere leuatæ ſurgunt. Pecu plane fructuoſum, vel in eſu carnium, vel in vſu vellerum, quibus optimis & tenuiſſimis veſtiuntur, præſertim eæ, quas illi *Pacos* vocant. Quippe & illæ paruo aluntur, & in ſumma laboris tolerantia, Maizio paſtæ, quatuor & quinq; dies ſine vllo potu facillime tranſigunt.

E Q. Robur quidem à te allegari audio, ſed quod ipſum hominum deſeruit vſui, nullumque prorſus infert brutorum dominium, quin potius, quo maius robur, eo durius ſeruitium, tuomet teſtimonio.

[illegible] *in homine.* Cæterum quod imperamus brutis & potiores iis ſumus non caſu aut fortuito fieri, Ethnici quoque obſeruarunt, inter quos Plutarchus *in lib. de fortuna.* Prometheum, id eſt, rationis vſum hoc efficere ſtatuit. Alioquin namque ſui ortus natura & conditione pleraq; bruta exiſtimat meliora quam nos. Alia enim, inquit, cornibus armantur, dentibus, ſtimulis. Tum vero amicta ſunt & ſuffulta ſquamis, villis, chelis, vngulis duris. Solus homo nudus inermis, ſine calceis & tegmine eſt natura relictus. Vnum ſed hæc largita emollit omnia, vt Empedocles ait, ſcilicet per rationis vſum, induſtriam & prouidentiam. Exempli gratia: Nihil agilius equo, nihil velocius; ſed hominibus currunt: ferox eſt animal canis, iracundum, ſed homines cuſtodit. Multum carnis habet porcus: Eſu ſuauiſſimus eſt piſcis: alimentum & obſonium homini ſunt. Quid maius eſt Elephante, quid aſpectu terribilius? verum & hic ludicrum hominis factum eſt, & ſpectaculum in ſolennibus conuentibus, diſcitque ſaltationes & choreas ſuas, ac ingeniculare. Hæc ideo propono, vt oſtendam, quo hominem adducat ratio, & quibus rebus eum ſuperiorem faciat, vtque omnia redigat in ſuam poteſtatem.

Nam quot homo in ſyluis proſtrauit ſaua ferarum
Corpora, vis ipſis etiamſi maxima ineſſet
Neſcia terreri? Quot vero ſecla volantum
Aeris è campis liquidis, ac nubibus altis
Detraxit, cepit humilis membra, arduus artem
Sublimiſq; animum? Non fuluum excelſa leonem
Vis animi elati eripuit, quin ſtringeret ipſum,
Indueretq; plagis humana induſtria maior.
Non illam reginam auium, Iouis armigeram ipſam,

Alaqueo

A laqueo tutam potuit præſtare, quod alis
Libera ventoſo vacuum ſecet aëra motu.
Indica quis neſcit quanta ſit prædita mole
Bellua, nigra cutem ſtrigoſam, at candida dentes?
Attamen hanc etiam docuere ſubeſſe magiſtro,
Impoſitoque iugo portare onera ardua, mulis
Ceu mos eſt, duroq; aſſuefecére labori,
Aut portandi onera, aut currus ac plauſtra trahendi.
Neptuni quin & pecudes immania cete,
Quæ pecori illudunt, vndas findentia pinnis,
Haudquaquam hiſce feris ſyluarum mole minora,
Imò etiam multò maiora magiſque tremenda
Monſtra maris domuere homines, lethoq; dedere,
Cetea vdo in pugnas cum marte ruentes.
I nunc atq; nega ingenium humanum omnia poſſe:

PH. Fatendum ſanè eſt, Deum omnium rerum opificem ſoli homini rationis vſum conceſſiſſe, omniaque bruta eius ſubieciſſe imperio; interim tamen & hoc conſtat, quod vſque adeo hominem natura ſpreuit, vt non ſolum neceſſarias ei res non procurarit, ſed quæ ipſe ſibi ſtudet acquirere, incommodis oneret, nullumque eſt tam magnum & abſolutum commodum, quin grauiori incommodo & occupatione commoditatem compenſet ſuam. Vide vitam domeſticã, annon plus impedimenti & grauitatis quam commodi habet. Quod ſi quis hominum cætum petat, vt neceſſaria vitę ex eorum conſociatione habeat, annon ab illis haud rarò etiam de vita ſibi timendum eſt? Inſuper ratio homini ſanè data eſt, qua poſſit ſeſe omnibus humanitatis habitibus informare. At vero annõ eadem ratione miniſtra plurimi inſolẽtiſſimis iiſque abſurdiſſimis cupiditatibus & libidinibus exagitati, ratione in mancipium adducta, ad nefandiſſimas, & ferinis peiores vitioſitates perducuntur? vſque adeo, vt ratio ipſis data potius ad monſtroſas vitioſitates quam ad bene viuendum videatur. Proinde tametſi plurima infers atque gloriaris de hominis ratione, quâ non ſolum ſingula prudenter regere atq; diſponere, ſed etiam per eius vſum ſapienter & virtuoſe, adeoque bene beateque viuere poſſit. Idipſum tamen de homine vere enunciari non poteſt. Omne enim enunciatum per ſe debet eſſe verum. At vero hoc enunciatum neque in omnibus neq; in pluribus verum eſt; itaque in his potius quæ

ancipitis & cõtingentis veritatis ſunt, quæq; caſu eueništ, enũciatũ hoc reponendũ eſt. Nam virtus in homine rara eſt, intelligẽtia rarior, rariſſima ſapientia, & quod perfectæ ipſius naturæ vſus & iucunditas eſt nempe felicitas, eſt inſolentiſſima, quaſi rationis eſſe compotem, hominis differẽtia nõ ſit, quum eam homo à natura effectu ipſo non ſortiatur. Quin contra potius aliq; animantes rationis participes dicendæ ſunt, cũ nulla earũ ſit ſpecies, in qua certũ aliquod rationis veſtigium non exiſtat, quo quæq; animãs neceſſario agẽs cum ratione certa agere ſemper cernatur. Sic enim natura ipſis, vt cuique & cõuenit & neceſſum eſt, certum rationis veſtigiũ imprimit, quo tanquã habitu poſtea viuat, & ex eo agat ſemper; cui corporis etiã habitum idoneum parat, & apto inſtrumẽto & certo armorũ genere munit; aguntq; adeo illæ animantes ſuo quæq; habitu, & rationis impreſſo veſtigio, etiamſi à rõis ipſius principio ſeiũgantur. Animãtes itaq; principii rationis vacuæ, non per vſum, non lõgo ſpatio, ſed in puncto ſuæ generationis eo veſtigio rationis imprimuntur, quo tãquam habitu informatæ poſtea neceſſario vitam ſuã adminiſtrẽt, & ſua opera ita moderantur, vt rationis ſpeciem referãt. Atq; adeo quãuis ſingularis & minuta aliqua rationis ſpecies ſit, tamen illam certam & firmã præſeferunt multa animãtia, & tuto ac certo idem agũt ac aptam ſibi vitam ducunt, cum homo tam inconſtanter habeat rationem, vt vel maximè contra rationem ſæpiſſimè viuat.

EQ. Quod ſemper animantia eodẽ naturæ ductu feratur, id à me aliquot exemplorũ inductione paulò ante negatũ eſt; quin vt in homine, ſic in brutis quoq; aſuefactio magnum habet momẽtũ, quæ vt bona vel mala eſt, brutum etiã mite aut peruerſũ reddit. Et docet id vel vnicũ morale Themiſtoclis. Cum n. is Athenienſes quantũ poſſit aſſuefactio, docere, eiuſque ſpecimen edere vellet, duos in publicũ produxit canes, eiuſdẽ ætatis atq; ex eadẽ matre ortos, quorũ alter culinæ, alter venationibus aſſuetus erat, hisq; cum famelici eſſent, iuſculum appoſuit, ad quod cũ ambo famis explendę cauſa accurrerẽt, Themiſtocles leporem viuum, quem ad hãc rem ſecũ ſub palliolo gerebat, emiſit. Etſi vero hũc ambo cõſpicarentur, ſolus tamen canis venaticus relicto iuſculo leporẽ inſequebatur, culinarius vero leporis inſequendi cauſa ne veſtigiũ quidem à iuſculo abſceſſit. Et habes certũ (ſcilicet vero) ac fixũ veſtigiũ, quib. bruta certo inſtituunt, atq; idem ſemper agũt.

TH. Ego

TH. Ego ad ea quæ de homine cōtra hominem Philoſophus, & ex Theologia & ex Philoſophia reſpondebo; quum diuerſæ etiā ſint hominis conſiderationes. Ortus hominis velut vltima conditorū conſummatio eſt. Homo dicitur non tantum mundi compendium & exemplar, atq; adeo minor mundus, verum etiam omnium omninò rerum, cum & Dei ſit imago. Hinc ortum traxit genus doctrinæ, quo externis partium corporis humani vocabulis nominantur ea quæ ſunt in ceteris reb. creatis. Sic plantis tribuuntur ſāguis, caput, oſſa, venæ, neruí, palmæ, manus, brachia, cerebrū, lacrymæ, ſácrinā & morbi in plantas tranſierūt. Terrę capillitium tributum eſt & oſſa, idq; haud abſq; ratione. Nā à digniori nomen ad minus dignum debet deſcendere. Et dignius eſt menſura indignioris; Et homo eſt rerum menſura, vt Philoſophi quidam ſcripſerunt; quod ius videtur à Deo accepiſſe in cenſura animalium, quibus nomina data ex arbitrio hominis. Sanè ſi regula iſta hominis manſiſſet incorrupta, maiori iure menſura dici potuiſſet. Nunc ratio deprauata eſt, itaque & iudicium de rebus corruptis, nec eſt quid certi in humanis, in quo abſque dubio perſiſtere quis queat, niſi id corroboretur regula diuina. Aliqua tamen certitudo relicta eſt, ſed cui principia diuina ſunt ſocianda in diſciplinis. Solum enim diuinum immotum eſt: humanum omne caducum. Cumque noſtra natura ſit valde deprauata, correctio eius petenda eſt ex infallibili norma diuinorum axiomatum; adiecerunt tamen ei fulcienda quædam criteria, qualia ſunt: *Duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera. Quodlibet eſt, aut non eſt*, ſenſus communis, experientia, demonſtratio ex immotis, notitiæ nobiſcum naſcentes, &c. Sed nonnulla etiam ex his vacillant. Creatus porrò homo erat bene moratus, & virtutum omnium ornamentis decoratus, ſed lapſu per eandem cauſam in contrarium abiit, factuſque eſt vitiorum ſentina. Huius reſtitutio eſt ad imaginem in ſacris propoſitam. Itaque Ethica de ſtatu ſuo deiecta corrigi poterat ſi liberet. Correctio in hoc ſeculo incipiens in altero abſoluetur ab his quos beatus ſtatus abſoluet. Quin etiā ex creatione acceperat homo integritatem naturæ non tantum in ſeipſo, verum etiam in obiectis cōſiderationis ſeu ſpeculationis naturalis. Hinc diſſerere de cælo, terra, à cedro ad hyſſopum & omnino de omnibus creatis perfectè poterat, atque ita opti-

mum phyſicum agere; ſed & hoc donum deminutum eſt lapſu. Proinde nunc cogimur audire illud Platonis : Vbi multi Iuriſ-periti, ibi multa iniuſtitia : vbi multi Theologi , ibi abundat impietas : vbi copia eſt medicorum, ibi intemperantia regnat: vbi diſputant Phyſici , ibi obſcuritas naturę dominatur: Nam tota pene Philoſophia circa vitia occupari creditur, ita vt lõge plus ſit negotii , vitia ſanare & compeſcere , quam virtutes docere. Ideo artes quoq; adminiſtræ ſapientiæ , quas Logicas vocant conflictari potius cum falſitate coguntur , quam veritatem illuſtrare.

Atque hæc ferè cauſa eſt , cur facilius ſit dicere , quid non ſit vnumquodq; quam quid ſit, & cur negatiuis præceptis frequentius vſus ſit Deus , quam affirmatiuis. Ita enim præcipit: *Non habebis Deos alienos* : *Non aſſumes in vanum*: *Non occides*: *Non furtum facies*: *Non loqueris falſum* : *Non mæchaberis* : *Non concupiſces*. Inter decem duo tantum ſunt affirmata.

Feras an occidere liceat.

PH. Eſt nimirum homo poſt lapſum Decalogus inuerſus , ideoq; etiam tam ſeuera non faciendorum inhibitione opus fuit. Sed neque ſic tamen diuinarum legum vinculis ſeſe omnimodo aſtrictum putat. Etſi enim expreſſum de non occidendo præceptum extat , idque non ad homines duntaxat , ſed ad omnia in vniuerſum animantia ſeſe extendit , (ſi enim de cæde humana duntaxat intelligeretur vocabulum proximi ſicut fere in cæteris præceptis quæ de ſolo homine agunt, appoſitum fuiſſet) hoc tamen non obſtante , liberum tamen ſibi omnino exiſtimant animantia quæuis pro arbitrio cædere, proſternere, iugulare, nulla quantumuis omnino iniuria ab ipſis affecti ſint , id quod non tam diuinis , quam etiam humanis legibus , imò ipſi iuri naturali è diametro propemodum repugnat. Annon enim bruta hominibus in creatione aliquanto ſunt priora? (homo namque cæteris omnibus animantibus , iam tum creatis demum creatus fuit) proindeq; eius prælationis vel hoc ſaltem nomine propter dignitatem originis & prioritatis merito illis debetur quum vt ſchola Iuriſconſultorum etiam loquitur, qui prior tempore, is quoque prior iure ſit. Vnde ſi iure naturali, quo omnibus communi libertate gaudere permiſſum eſt, nihil ad vitā ab iniuria vindicandā proficiunt, prodeſſe ſaltem debeat ſedium prior occupatio , quæ gentium iure non immerito vndique obtinet. Vt quoniam ante crea-

tos

tos homines, terram bruta à Deo habitandam acceperunt: præferri nimirum hominibus in rerum poſſeſſione merito debeant. Si igitur iniquum eſt quempiam è ſuis finib. pellere, quantũ ſcelus eſſe putas ad hoc perſequi, & ferro perimere? Atqui hanc ſummã iniuriam, & ineluibile flagitium homines hodie artem faciunt, *Venatio.* venationem, adeo liberalem vt ſoli reges & principes cum vniuerſa nobilitate in illa exerceantur, vulgus ceu his delitiis indignum ab ea arcetur, pœna in tranſgreſſores pro libidine principum & quidem ſeueriſſima cõſtituta. Hæc eſt, in quam dies totos impendunt, nonnunquam & noctes, vt ne dicam menſes & annos, imo vniuerſam ætatem. Docẽtur canes, vt feras odore inueſtigent, latratu in latibulis deliteſcentes excitent, curſus celeritate aſſequantur, morſuque dilanient ac trucident. Cum interea intonãt cornua & voces hominũ ſtentoreum quiddam per nemora reboantes, tãto horrore complent montes valleſque, vt furias omnes cum Cerbero emiſſas ab inferis iures. Et quod dixi de canibus, intelligi item libet de illa opera ad quam præſtandam adhibentur accipitres, clangore & *Aucupium.* nolarum ſonitu aera cœloſque turbantes. Hæc ſunt principum ſpecioſa trophæa. His rebus ſtrenue geſtis hodie laudantur. Huic ſolo negotio propemodũ viuunt, & immoriuntur, tanquam id ſolum ad famam illorum poſteris commendandam pertineat, q̃ã multos apros, ceruos, lepores, damas & vrſos per nefas occiderint. Negligitur autem interea iuſtitia, cuius adminiſtrationem illi in alios reiiciunt, nihil niſi quod ex re ſua eſt curaturos. Et cũ nulla tam abiecta ſit domus in agro aut pagis, quæ non perpetuam ſolicitudinẽ patris familias expoſtulet, alioquin incuria poſtpaulum interitura, principes ad otia duntaxat ſeſe natos exiſtimant. Sed quid dico ad otia, imo ad omnium animantium cõmunem perniciem.

E.Q. Ego ex primis ſcripturæ diuinæ apicibus omnem illam ſtruem verborũ tuorum demoliar. Ait namque Deus in veſtibulo quaſi libri Geneſeos, completa hac cœleſti terrenaque machina: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Atque ita factum eſſe, vt voluit Deus, plane indicat ſermo prophetę, cũ ait: Quid eſt homo quod memor es eius, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues

vniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris, & reliqua deinceps.

PH. Dominari equidem homini permittit Deus in bruta, illorumque, quatenus expedit, vti miniſterio, in arando videlicet, & ad lanificium, aliaque item quę hominibus ſunt ex vſu. Cæterum ad mactandum, nulla ſcriptura inuitat, niſi forte vetus aliqua quæ in typum tradita ſit Iudæis, in qua alio tum Dei verba, & alio mens reſpiciebat. Qualis eſt de agno paſchali manducando, & immolandis hoſtiis, quæ omnia poſtquam illuxit veritas, ſcimus eſſe ſublata.

TH. Ante diluuium ſane pecudum ac ferarum non tam frequens fuit, quam poſt diluuium; nam & ante diluuium ad cibum non fuerunt adhibitæ beſtiæ, adhibitæ tamen fuerunt ad ſacrificia & luſus & opera ſocialia, id quod elici poteſt quadantenus ex ſacrificio Abelis. Cum vero pecudum ac ferarum eſus poſt diluuium per vſum paulatim inualeſceret, cœperunt homines etiam diligentius eas indagare ac perſequi, atque ad œconomiam atque vſum domeſticum applicare, id quod ex Eſaui hiſtoria, qui à patre ſuo Iſaaco ad indagandũ feras exire iuſſus fuit, patet. Proinde illarum cædes neque diuinis neque humanis legibus omnino interdicta eſt.

EQ. Habent atque vſurpant animalia carniuora quaſi ius quoddam & priuilegium naturale, quo proxima quęque animantia indiſcrete proſternunt, dilacerant ac deuorant; quo ergo prætextu idem ius homini, cuius tamen imperio omnia in vniuerſum animãtia ſubſunt, denegandum foret? Brutane melioris cõditionis vt ſint, quam homo, omnium dominus, ferendum eſt. Minime arbitror.

PH. An vero non indignum exiſtimas, hominẽ rationis participem, atque vti quidem videri vult, animal ſociabile, mite atque humanum, imitari velle feras ac beſtias carniuoras, inſociabiles, immites atque inhumanas? Annon eo ipſo hominem ex homine, id eſt, humanitatem exuit? præſertim ſi quod vſuuenire videmus, ſæuitia & cruentis ſtragibus feras omnes longe antecellit. Deinde alia eſt ferarum quam hominum ratio, habent namque beſtię carniuorę cauſas quas natura ipſa illis ſuppeditat, & obuia quæque animantia quæ ſui generis non ſunt, proſternere, diſcerpere ac deuorare iubet; homo vero non item, quippe quem non natura, ſed proterua temeritas vt plurimum ad proſternendum atque mactandum incitat.

Primum

Primum namque belluæ illæ carniuoræ præter viſcera animalium, quod edant, aliud habent nihil. Non enim Leo aut lupus gramine vel radicibus victitat, alioqui à carnibus ſibi puto temperaret. Adde quod nunquam moliuntur quicquam in alia animalia, niſi fames ita ſuadeat, & ab illa in rabiem agantur. Denique non niſi in diuerſa à ſuo genere ſæuiunt. Tolle igitur naturæ neceſſitatem, nempe famem malorum extremum, & nihil videbis in ferociſſima natura tractabilius, nihil mitius, nihil quod ad amicitiam videatur magis affabre compoſitum. Tradunt Leonem doloris impatientia ob ſpinam pedi impreſſam Sanctum virum Hieronymum, qui tum in Syriæ deſerto latebat, opis petendæ gratia acceſſiſſe, & ea obtenta in vicem accepti beneficii perpetuæ ſeruituti colla ferendis lignis ſubdidiſſe. Idem in Heluetiorum alpibus ad iuſſionem Diui Galli vrſam factitaſſe aiunt. Et ne quis hæc ad ſola Sanctorum merita putet referenda, Leonis & hominis contubernium ex Appionis libro depromptum apud Gellium legat. Et vix ita ab homine repenſum aliquando tam exile beneficium dicet, quale leo homini, ſtipem ſolum pedi inhærentem euellenti, ſaniemque intimam ibi conceptam exprimenti. Ait enim triennium totum Leonem opimiora membra ex feris quas venabatur ad ſpecum, commune hoſpitium, homini attuliſſe, vt illis ad ſolem toſtis veſceretur. Mirabilis ſocietas duorum communi tecto menſaque victitantium, niſi magis ſtupendum ſcriberet Plinius, in Thraciæ videlicet finibus homines atque accipitres ſocietate quadam aucupari. Hominibus ex ſyluis & harundinetis aues excitantibus, quas ſocii ſuperuolantes deprimant, captis æqua portione vtrinque diuiſis. Similiter apud Mæotim paludē lupos in piſcatione ait facere, expanſa retia laceraturos niſi partem à piſcatoribus æquam acceperint.

Quid vero econtra hominem aliud ſtimulat ad iniuriam omnibus animantibus inferendam, quam maleuolentia, luxus, ſanguinaria mens, & genuina quædam in omnia debacchandi crudelitas? Nam feras neceſſitate impulſas prædari, paulo ante retuli. Veteres certe homines qui erant ab exordio creationis, oleribus, pomis, ac leguminibus vitam in longiſſimum producebant. Quatum rerum (vt dicit ſacer Hieronymus) facilior apparatus eſt, & arte impendiiſq; coquorū nō indiget, ac ſine cura ſuſtentat humanū genus mode-

rate ſumptus. Quia nec auide deuoratur quod irritamenta gulæ non habet, & leuiore digeſtione decoquitur. Pythagorici deinde à carnibus in totum olim abſtinebant. Quod inſtitutum etiamdum hodie durat apud monachos quoſdam, niſi quod hi piſcibus comeſtis, ſibi ſunt indulgentiores, & omnem ingluuiem in huius animantis iniuriã duntaxat conuertunt.

Omnino tot iam peractis ſæculis multorum exemplo compertum eſt, hominem ſine carnium vſu, & viuere poſſe, & quam diutiſſime. Ex ſacris vnum ſufficiat Ioannis baptiſtæ, ex prophanis Fabritii, qui rapam in feruido cinere aſſam, regias delitias eſſe putauit. Quæ eſt igitur iſta animi humani vis ac ratio, quam tantopere iactant, & qua inter animantia pręſtare contendunt, ſi hominem nõ poteſt à malis cohibere? aut quæ porro eſt illa voluntatis malignitas, vt quibus carere citra vllum incommodum poſſint, capere tamẽ conentur, & perdere? Apud Romanos olim non licebat impune iugulare anſerẽ ob ſeruatum eiuſdem excubiis capitolium. Sicut in Ægypto pari lege ciconiam quã repurgare ſerpentibus prouinciam videbant, vtrumq; profecto alicuius beneficii reſpectu. Quæ autem impunitas eſt hodie paſſim mactare pecudes? quæ multis vſibus hominum viuæ inſeruire valeant, deinde in vniuerſum quoq; iugulare omnes, & poſtremo eas item, quas conſtat benefactis non modo vitam, ſed etiam mercedem commeruiſſe, vt aratores boues, oues lanigeras, gallinas ouis pariendis fœcundas.

EQ. Immanem illam & cœcam monſtroſorum quorundam hominum obuia quæq; animantia proſternendi ac diſcerpendi, libidinem nunquam approbaui. Et non abs re Athenienſes olim puerum, qui omnibus quas capiebat aut nanciſci poterat auiculis, oculos eruebat, quod immane hoc tyrocinium crudeliſſimi hominis eſſet præſagiũ, morte mulctarunt. Etſi namq; bruta poteſtati hominis ſubiecta ſunt diuinitus, attamen eam exercere cum crudelitate, inhumanum omnino eſt. Atq; hinc adeo eſt, q, Porphyrius *in lib. de anima*: Iniuſtum eſt, inquit, animal cædere, quandoquidem non omnino à nobis ſunt aliena. Nos autẽ tanquam laſciui & inſolentes ludo frequenter in theatris venationibuſque animalia paſſim plurima interficimus, quo factum eſt, vt vis ipſa in nobis ferina & immitis vehementius inualuerit, humanitas autem & manſuetudo ceſſauerit.

PH. Pythagoras certe ſupra modum

modum mitis fuit erga bruta animalia, itaq; ad vitandam crudelitatem & iniurias, aucupium improbauit, & piſcium redemptis capturis dimitti eos iuſſit, omniſque nō feri animalis cæde interdixit. Quid quod hac opinione in hodiernum vſque diem etiam Turcę imbuti ſunt. Itaq; volucres ad victum captas necare, ipſis religio eſt, eaſque pretio potius ſuo redemptas libertati reſtituunt. Piſcibus deuoranda fruſtula panis obiiciūt, canes & feles in plateis publicis, ad certa loca quotidie ſtatis horis gregatim conuenientes, pane, carnibus, cibiſque cæteris paſcunt. Et licet canis apud eos obſcœnum & impurum animal habeatur, ideoque domo arceant, victitentq; de purgamētis quæ in publicum eiiciuntur; tamē ſi qua ſit in vicinia fœta canis, accedunt, oſſa, pultis & offarum reliquias congerunt, idque pietati conſonum putant.

E Q. Suntne identidem etiam mites erga Chriſtianos. Id vero haud reor, & longe diuerſum atteſtantur, qui aliquando ſub ipſorum fuerunt iugo atq; arbitrio.

PH. Reſpondent illi, conceſſam homini à Deo rationē, egregium ad omnia inſtrumentum, qua ſi ille abutatur, nihil ei accidere incommodi, q̃ nō ſua culpa contraxerit; idcirco minori miſericordia dignum. At brutis nihil à Deo tributum pręter quoſdam motus & appetitus naturales, quos non ſequi nō poſſint, ideoq; humana ope & commiſeratione ſubleuanda. Cęterum etſi Pythagoræi iſti Turcæ erga omne animantium, & maxime pinnigerū, genus, tales, vti ſupra dictum eſt, ſeſe præſtent, nullum tamē apud eos adeo ſacroſanctum eſt, quin illo, ſi quidē ipſis apponitur, ſiue elixo ſiue aſſato veſcantur.

TH. Sunt ergo commiſerationes iſtæ intempeſtiuæ nihil aliud quā lacrymę crocodili; vt enim is hominē iamiam comedendum prius proſequitur lacrymis, ac tū crudeliter deuorat, pari omnino modo Turcæ commiſerationem erga auiculas ſuperſtitioſe præferunt, mox vero auide diſcerpunt atq; diripiunt. Proinde proteſtatio iſthæc ipſorum ſuperſtitioſa, facto omnino eſt contraria.

E Q. Diſputant, vt hoc obiter inferam, Iuriſconſulti, num etiā brutis vis inferri poſſit? concluduntque fere omnes atque conſentiunt, nimirum cum conſtet, nullum ius neque dominium habere animalia, proinde neq; vim illis proprie inferri poſſe, quippe quæ ſolis hominibus infertur, vtpote qui iuris atque dominii ſunt capaces. Sed hæc Iuriſconſultis enodanda relinquo. Interim hoc ſentio; omnia animantia poteſtati ac dominio hominū ſubiacent, *Num vis inferatur brutis.*

Digitized by Google

iisq; homo libere vti frui poteſt; prout vſus poſtulat, ſi modo poteſtas ea recte & tempeſtiue, licito & conceſſo modo, abſq; hominum iniuria, tam in interficiẽdis quam in cõſeruandis brutis vſurpatur. Atque huius ſententiæ eſt Autobulus apud Plutarchum, vbi dicit: Non iniuſte faciunt, qui vtuntur animalibus; ſed ii qui hoc faciunt damnoſe, contẽptim & cum crudelitate. Etſi enim omnia animalia bruta ad vſum & commoditatem hominis creata & poſt eius lapſum deſtinata ſunt, tamen licentia illa carere debet omni prorſus tyrannide & crudelitate. Non eſt igitur ferenda quorundam imperitorum & agreſtium hominum ſæuitia & crudelitas erga iumenta & alia animalia, ad obſequium hominis nata & aſſueta, quum ea intempeſtiuis minis, verberibus & vulneribus pro libidine impotentis animi excrucíant. Siquidem minime ipſorum iniuria, (nam animal, quod προαιρέσει, hoc eſt, propoſito nocendi & iniuriandi caret, licet damnum dare poſſit, quod Iuriſconſulti pauperiem nominant, non poteſt videri iniuriam feciſſe) interdum ea faciunt quæ nos irritãt lædũtve: ſed aut ætate vel labore, interdum etiam inedia, nõ raro autem imperitia eorum, qui ea regere debent, coguntur committere, ad quæ naturali impulſu & neceſſitate inſtigantur. Merito itaq; reprehendendus vt barbarus, eſt Pharnuchus Perſa. Is enim quũ forte eo equitante canis ſub equi pedes intercurriſſet, ideoque equus improuiſo deterritus, ſeſeque extollens Pharnuchum excuſſiſſet; famulis ſuis mandauit, vt equum in eum locum adducerent, vbi dominũ ſtrauerat, eique crura cum genibus abſcinderẽt.

TH. Conſtat idipſum quod dixiſti etiam ex ſacris literis, hominem etſi bruta eius poteſtati diuinitus ſubiecta ſint, hanc tamen non eſſe abſolutam, ſed certis terminis limitatam: ob quam cauſam etiam lege diuina, *Deut. 22.* populo Iſraelitico mandatũ fuit, ne auis incubans vna cum ouis vel pullis ex nido auferatur, ſicut quoque ad vitandam ſpeciẽ crudelitatis; ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, *Exodi 23.* Sed enim e conuerſo & lege Moſaica, *Exodi 21.* & Iuriſconſultorum ſtatutis, in quibuſdam delictis grauioribus bruta morte mulctantur, quantumuis ea delicta non προαιρέσει aut propoſito (cum bruta ſenſu careant) ſed impetu quodam expertæ rationis perpetrẽt. *Bruta a quo- [illegible] delictis puniantur.*

E Q. Brutum animal quandoque propter facinus ſiue ſuum ipſius ſiue alienum, ſcilicet hominis, punitur. Hinc refert Guido Papæ *quæſt. 128.* ſe vidiſſe porcum

reſti

reſti damnatum, & collo obtorto pendentem, quod infantem interemiſſet. Et brutum animal propter facinus hominis cũ bruto commiſſum occidi & concremari iudicis ſententia iubetur, lite prius criminali inſtituta & perfecta, *vt in caſu cap. mulier, 15. quaſt. 1.* vbi occiditur pecus, ad quod mulier inhoneſta acceſſerat.

Quamuis ergo animal rationis expers non poteſt delinquere, cũ non habeat animum iniuriandi & delinquendi, & delictum proprie ſine animo delinquendi non committatur. Comburitur tamẽ aut alio modo occiditur pecus, non quidem, vt puniatur ex ſuo delicto, cum nullo modo legis ſit capax, (caret enim ſenſu & intellectu,) ſed id o concremari iubetur vt conſumptum, indigni facti memoriã amplius nõ refricet. Idem propemodum iudicium eſt de animali, q, pauperiem feciſſe dicitur, *de quo in l. 1.* in illo n. caſu animal pro noxa q̃ fecerat, datur, non quidem vt animal puniatur, etſi damnum dedit, ſed ne in plus dominus teneatur, quam valeat quadrupes quæ damnum dedit, vel iniuriam fecit.

TH. Grauiſſime ſane & diuinis & humanis legibus beſtiales atq; nefariæ iſtiuſmodi quas allegas cõmixtiones ꝓhibentur atq; puniuntur. At vero iuxta Taxam ſacræ pœnitentiariæ, ſi petatur abſolutio ẽt à crimine cõmiſſo contra naturã, vel cum brutis, cũ diſpenſatione & cum inhibitione, expiari delictũ iſtud poteſt, Turonenſibus 90. ducatis 12. Karlinis 6. ſed hæc vtrique foro diiudicanda relinquo.

PH. Ne hunc noſtrum ſermonem (atq; ego cumprimis, qui dignitatem hominis annihilare, brutorumque econuerſo mores atque ingenia extollere velle viſus ſui) offenſionibus concludamus, ego dignitate hominis prius ꝓpoſita illum finiam. Et quæſo, quodnam eſt in toto rerum genere, de quo magnificentius dici poſſit? quanta honorificentiſſime vbique à ſummis ingeniis & optimis philoſophis dicta de eo cõcurrunt? ipſum hominem hoc in mundo inferiori omnium animantium, omnium viuentium regem tanquam in ſumma poteſtate conſtitutũ; in eius imperio reliqua omnia eſſe, animantes cęteras omnes ipſum partim vi, alias arte, partim ẽt aſſuefactione ſibi ſubiicere, & multas ſibi obſequẽtiſſimas reddere, vt nõ ſolũ in cibo, ſed & in inſtrumẽto domeſtico, in agreſti, in venatorio eas faciles habeat. Vnde illud ꝓhibetur, fruges & fructus q è terra naſcuntur, beſtiarum, beſtias autem hominis cauſa eſſe natas. Sed hoc parũ eſt; imo ipſum cœlũ cernitur, hominis cauſa eſſe factũ, &

Digitized by Google

mundum omnem inſtitutum; cœli contorſio & ſyderum lumen ad hanc mediam mundi ſedem conuerſa ſpectant, in eam omnes ſuas vires & operam conferunt, in qua ſede homo imperiũ ſummum & dominatum exercet, ac cunctis præeſt, vt illa homini potiſſimum luceant & moueantur, quaſi cœlum omnia quidem homini hominem autem ſibi vnum conſeruet. Vbi pręterea illud homo habet ſingulare & proprium, quod mundi vniuerſi partes oẽs in ſeipſo coercet, & mundus alter eſt, vt quoniã in ſe tanquã mundo minori maiorem mundũ refert, ſimilis ſit etiam exemplari, & ipſi architecto vniuerſi, ita auctorem mundi repræſentet. Neq; vero eius dignitati quicquam detrahit, quod male æque ac bene agere poſſit, quoniã id præſtãtię, non infirmitatis aut vilioris conditionis eſt. Mundi vniuerſi molitorem certe & architectum homo refert, non ſolum ea natura, qua omnium rerũ genera complexus exẽplar illius præ ſe fert, ſed præcipue intelligentia, qua vitã ſummi Dei imitatur, vt quam Deus ſemper eandem, homo intetdũ & breui traducat, maxime vero eo imperio ſummum rerum auctorem refert, quo nõ ſolum in animantia, verum etiã in naturã rerum propemodum omnium q̃ ſunt ſub luna, vti poteſt, proptie vero eo maximo & ꝑpotenti artificio, quo operibus admirandis p organa, per machinas, quibus vel mundum omnem loco dimoueret, ſi eſſet locus, vbi extra ipſe cõſiſteret, nedum illis operibus, quibus grauia ſurſum, leuia deorſum trahunt, vim illius ſupremæ mentis præ ſe fert. Ex quo multi ſapientes hominem non ſolum magnum miraculum dixere, ſed mortalem Deum, neq; exprimere Dei vim melius potuere, quam dicendo, ipſum Deum eſſe hominem immortalem. Cæterũ quia tam breuiuſculo ſermone, quem & tempus & locus nunc exigit, hominis conditio, mores atq; ingenium pro dignitate abſolui nõ poſſunt, proinde quæ vlterius dicenda ſunt, differemus in craſtinũ. Interim ſurgimus, imus, cœnamus, idque vtrobique ſimul.

COLLOQVIVM II.

DE HOMINIS CREATIONE, LAPSV, GENERATIONE ET EDVCATIONE.

THEOLOGVS. EQVES. PHILOSOPHVS.

IN heſterno noſtro colloquio hominē, ferarum comparatione & eueximus & depreſſimus. Nimis magnificum autē, cum iam finem colloquio imponeremus, de homine crepabat Dominus Philoſophus. Sed enim condonandum eſt ei aliquid eo quod vel ipſomet atteſtante, liberiori commendatione voluit reparare id, quod in diſcurſu ſermonum noſtrorum in opprobrium propemodum hominum liberius dixerat. Itaque mitius aliquanto de homine dicemus, ne per inconſultam quādam φιλαυτίαν plus nobis tribuamus quam oportet, id quod etiam Apoſtolus grauiter dehortatur.

E Q. Salutaris omnino, imò diuina extat commonefactio: γνῶθι σεαυτὸν, quam quidā ad Homerum authorem retulerunt, alii ad Pythagoram, alii ad Thaletem, alii ad Chilonem, plurimi ob præſtantiam ad Apollinem, cuius templi foribus præſcripta fuit, quam & Satyricus ait è cælo deſcēdiſſe. Sed enim cuiuſcunq; illa ſit, ea inquam cùm alia monet, tum abunde nos inuitat ad naturæ noſtræ diligentem contemplationem ſuſcipiendā proſequendamque, idq; potiſſimum agit, vt ne altum ſapiamus, nos naturæ noſtræ impotentiæ ac deprauatæ intuitu cōmonefaciat. Atque hinc eſt, quod Plautus etiam in *Pſeudolo* queritur: *In foro vix decimum quemq; eſſe, qui ſeipſum norit.* Et Seneca: Puto multos ad ſapientiam peruenire potuiſſe, niſi putaſſent, ſe perueniſſe.

T H. Non fruſtra igitur beatus Auguſtinus, *lib. 10. confeſſ.* admirabundus ita ſcribit: Eunt homines mirari alta montium, vrgentes fluctus maris, altiſſimos lapſus fluminum & gyros ſiderum: & relinquunt ſeipſos, nec mirantur? Et alibi: Quomodo dictum eſt, vt cognoſcam meipſum

pſum: ſuſtinere nõ poſſum, vt me habeam incognitum. Diuinum igitur hoc & primum diſcamus præceptum, vt noſcat quiſq; ſeipſum. Seipſum quippe qui nouit Deum, Deum noſcet: qui Deum nouit, Deo fiet ſimilis. Sed Deo fit ſimilis; qui Deo dignus fuerit. Fit autem dignus Deo, qui nihil cõmittit indignũ Deo. Sed & cogitat res diuinas: & quæ cogitat, loquitur, & quæ loquitur, pie facit.

Largire ergo mihi Rex ô digniſsime regum,
Vt te cognoſcam, & placeam tibi, deinde ſciam me,
Quid ſim, quam terris cauſa productus, & vnde
Huc veni, ac tandem quo vita functus abibo.

PH. Huic certè curæ omnes homines incumbere par eſt, & ego quoque ei inſiſtam. Magna namque eſt vis hominis, magna ratio, magnum ſacramẽtum. Atque hinc etiam eſt, quod nõ vna eademque hominis etymologia apud autores extat. Quidam n. hominem ἄνθρωπον dici exiſtimarunt, quod ſit quaſi ἄνω ῥέπων, ἀνωρέποντις ὤν. Alii ab ἄνω & τρέπω fecerũt. Socrati apud Platon. dicitur, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπεν. Aliis ex ἄνω ἀθρεῖν ὦπα, vt ſit quaſi ἄνθρωψ ἄνθρωπος. Quibuſdam παρὰ τὸ ἄνω θρεῖν. Rurſus aliis παρὰ τὸ θρῶ vt ſit ἄνδρωπος, ἢ παρὰ τὸ ἔναρθρον ἔχειν τὴν ὦπα, ἢ παρὰ τὸ ἀνθηρὰν ὦπα ἔχειν. Latinis ab humo dici pleriſq; placuit, quod ex terra humecta ſit ortus, & Adami nomẽ ſignificare Hebræis terriginam accepimus. Quidã Latinæ appellationis Græcam originationẽ exquirentes non ab humo, quoniã id eſt cõmune omnib. animalib. ſed ab ὁμοῦ eſſe & dici voluerunt hominem, nam ὁμόνοια cõcordia eſt & conſenſus. Eſt n. homo omniũ animalium maximè ſociabilis. Quare a conſortio & concordia hõiem dictum exiſtimant. Alii econuerſo non verũ eſſe abſolute dicũt hominẽ eſſe animal ſociabile, cũ multos videamus à ſocietate plane alienos victitare. Rectius alii Ariſtot. ſtatuiſſe dicũt, qui hõiem ancipitis naturę eſſe ſcripſit, quippe qui & ad vitam conſociatã & ad ſolitariam ſeſe dedat. Cæterum cum de ortu hõis etiam variè ſentiãt; an ergo cum Epicuro & Democrito ineptiendum nobis, ſtatuendumque, vt alia omnia, ſic hominem quoq; ex minutorum ſeminum fortuito concurſu coiiſſe. Abſit. Melius enim eſſet tacere, quã in Philoſophiam tam inanem habere linguam. Et hoc ſi ita eſſet, ſine ſexus vtriuſq; congreſſu adhuc quotidie homines naſcerentur, ſine ouis volucres, & oua ſine partu, &c. An vero Anaximandrum potius & illos? qui vt cætera animalia, ſic homi-

nem

nem etiam ex terra enatum eſſe hoc modo delirarũt: Quum terra, inquiunt, ardore Solis primũ deſſata eſſet, vi caloris ſuperficies eius tumefacta eſt, & multis in locis humores concreuerunt, in quib. putredines tenuib. cõtectæ pelliculis excitatæ ſunt, ſicut in paludib. & ſtagnis Ægyptiis, poſtquam frigidam terram ſubito aëris æſtus calefecit. Tum vero in humidis calore adhibito generatio facta eſt, & noctu quidam circumfuſus aer humorẽ præſtitit, qui in die Solis virtute conſolidatus fuit. Tandem putredines illæ ad ſummũ perductæ adueniente veluti partus tẽpore, exuſtis conſtrictiſq; pelliculis omnis generis animantium eduxerunt formas, ex quib. quæ maiorem calorem ſortita erant, ſuperna petierunt, & volatilia ſunt facta, quæ plus terræ continuerunt, ſerpẽtia & terreſtria euaſerunt, Naturam aquoſam nacta, in ſui generis elementum delata piſces appellata ſunt. Atq; inter illa natus etiam eſt homo. Et ſimili ferè modo, non ſolum Lucretius orta, ſed & Ouidius reparata eſſe ſcripſit animalia poſt diluuium cætera quidem, ſed hominem ex lapidibus reduxit, ſecutus Theſſalorum figmentum, qui ſe ex lapidibus ortos fuiſſe dixerunt, vnde & λαοὺς populos dici exiſtimant, facta deductione ex λάας vel λᾶας quod lapidem ſignificat. Idem etiam Ouidius alibi homines è fungis pluuialibus eduxit, ex ſententia Corinthiorum, vt & è ſerpentis dentib. alibi. Alii certis conuerſionibus cæli, & aſtrorum motibus dixerunt maturitatem quandam extitiſſe animalium ſerendorum: itaq; terram nouam ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe, cum quibus & delirans ait Lucretius:

Creſcebant vteri terræ radicibus imis.

eoſq; cum maturuiſſent, natura cogente ruptos animalia tenera profudiſſe. Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoq; alimento animantes eſſe nutritos. Quod vero non de cæteris duntaxat animantibus, ſed & de homine locutus fuerit Lucretius, ex ſequẽti eiuſdem carmine clare elicitur.

—— maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipſa creauit
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne, &c.

TH. Faceſſant figmẽta iſta Ethnicorum nugatoria, deploranda iſthæc fuit cæcitas. Non à ſeipſis, nec fortuito, neq; vllo alio ſpontaneo modo, nec ſemper fuerunt atque extiterunt homines, ſed ab

ſed ab artifice noſtro ac parente Deo rerum omnium machinatore atque effectore, artificio diuinę mentis fabricatus eſt homo, quemadmodũ Dei amicus Moſes ductor Iſaelitarum à Deo ipſo edoctus expoſuit, & multi homines imaginem ſapiẽtiæ tuentes literarum cæleſtium expertes, & à veritatis Iudaicæ atque Chriſtianæ notitia remoti mentis lumine peruiderunt atq; perſcripſerunt. Inter quos M. Cicero: Hoc animal, inquit, prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatũ eſt à ſummo Deo, &c. Illius igitur op⁹ ſumus quicquid ſumus, ipſe non ſolum corpus effinxit, ſed animam etiam qua viuimus, quaq; intelligimus nobis inſpirauit. Faceſſat itaq; hinc à Poetis etiam decãtatus plaſtes Prometheus, per quem tamen homines ſapientiæ ſtudio deditiſſimos prouidentiam innuere voluiſſe atq; afferere ex ipſo nomine innoteſcit: Faceſſant Dii minores Platonici hominis creatores, quos Angelos quidam intellexerunt. Formauit vero corpus primi hominis ille Deus Opt. Max. de limo terræ, vt ait Moſes, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.

Hominis creatio.

PH. Docemur itaque terreæ eſſe naturæ corpora noſtra. Quod tamen ita ſtrictè haud accipiendum fortaſſe fuerit, vt meram ſaltem terram frigidiſſimam & ſicciſſimam, (quæ à terendo etiam nomen habet) miſtionis expertem intelligamus, ſed participẽ humiditatis, quæ & humus inde dicta eſt, nec ſine caliditate maſſam. Ita vt à veritate cæleſti non diſcrepet doctrina ſanioris Philoſophiæ, atque medicinæ, quas & ipſas à Deo fluxiſſe certum eſt de corporum noſtrorum elementis: ſiue Philoſophus dicar: ex terra, aqua, aëre & igne ea conſtare: ſiue Medicus, ex calido, frigido, humido, ſicco, ſiue etiam ex ſanguine, pituita & vtraq; bile, quæ ſunt propria corporum, & proxima ſecundum Hippocratem elementa.

TH. Moſes in deſcriptione materiæ ex qua hõis, vtitur dictione Hebraica Aphar, quæ limum ſonat, vt D. Hiero. vertit, ſeu lutũ. Septuaginta reddiderunt χοῦν. ita enim habet textus χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, id eſt, limum accipiens è terra. Et probe notandum eſt, quod planta, aquatilia & terrena animalia quanquam à Deo facta ſunt, tamen non enunciatur immediatum hoc principium, ſed iubentur terræ & aquæ producere. Hoc refellitur opinio Platonis & Ariſtotelis aliorumque de gigantibus ſeu terrigenis, de

quibus

quibus Virgilius:

——Tum partu terra nefando
Zetumq; Iapetbumque creat, ſæuumque Typhea
Et coniuratos cælum reſcindere fratres.

Hoc eſt, Titanas. Deus ipſe inſtituit ſingulari decreto opificium hominis, non vſus vi ſtellarum, vt ſomniabat Timæus, & adhuc nugantur, qui animas ex ſole vel cælo eliciunt. Itaque hinc dignitas hominis præ cæteris creaturis elucescit. Fecitq; Deus hominem prius corpore tanquam tabernaculum & domicilium, imò officinam organicam viuam animæ præparans, deinde ſpiraculum vitæ inflat.

PH. Cur vero vltimum creauit Deus hominem, annon ſatius erat, omnium primum ipſum creari?

TH. Multæ huius rei ſunt cauſæ. Primò namque monſtrare ſic vult Deus nobis ordinem quem obſeruarit, atque etiamnum in natura obſeruet, vt ab imperfecto ad perfectum progreſſus fiat. Condiderat prius inanima, materiam primã, lucem, cælos, &c. poſt plantas, quæ animam habent vegetatricem tantum; deinde piſces vt auibus imperfectiores, porro volatilia tanquam minus perfecta quam terreſtria animalia. Mirum igitur eſſe non debet, quod homo perfectiſſimus omnium conditus eſt ad extremũ, cũ & corporis & animi dignitate omnia antecellat animalia. II. Voluit, vt homo μικρόκοσμος eſſet; in quo ſummatim & cæleſtia, & terreſtria omnia, tanquam in paruã mappâ depicta, continerentur: idcirco prius oportuit totum mundum fabricari, antequam eius ſumma in homine deſcriberetur. III. Cõditurus Deus hominem animo & corpore cõſtantem, quæ ad vtriuſque felicitatem pertinebant, voluit pręparare, priuſquam conderetur ipſe. Ad animæ felicitatem pertinebant cœli eorumq; ornatus, quẽ contemplaretur, rerum enim cæleſtium contemplatione mirificè afficitur humana mens, & in cognitionem etiam opificis, inq; eius amorem adducitur facilius: reliqua omnia ad corporis beatitatem pertinebant, quæ nimirum infra cælos ſunt, & quæ illi ad fructum tradita eſſe videmus. IV. Quid? quod prius etiã oportuit domum totam exædificari, rebuſq; neceſſariis inſtrui, ac tum demum inhabitatorem induci. Deus namque hominem tanquam Dominum cæterarum creaturarum in domicilium non vacuum, ſed vndiquaque inſtructiſſimum introducere voluit.

EQ. Adam igitur ſolus creatus monarcha conſtitutus totius orbis, qui eius cauſa & ab eo naſcituro-

Digitized by Google

ſciturorum creatus eſt. Ipſe autem ad Deum colendum, & vt ei ſubiiceretur: hic Adam eſt compendium totius mundi, & in quo cuiuſque naturæ ſunt obſequia & teſtimonia ſubiectionis; ſub illa anima cæleſti & immortali, quæ ei indita eſt vt dominetur, quapropter etiam compoſitus eſt primus homo ex omni particula vniuerſarum ſubſtantiarum. Habet enim mixtionem ex quatuor elementis, ex quatuor qualitatibus eorum, ex quibus ipſæ res inanimatæ conſtant & habent eſſentiam: habet cum plantis viuere vita vegetabili, quæ augmentum habet creſcendo: habet cum animalib. quæ mouentur per ſe, moueri & ſenſuum organa & actiones: hæc in corpore eius conſentiunt: vt autem dominio alterius ſubiici quam propriæ ſubſtantiæ doceatur, habet animam rationalem quæ ſupra omnia alia corpora præficitur: vtitur & fructibus terræ, animalium eſca, vſu, ſubiectione, delitiis. Sol, ſtella & omnia reliqua cæleſtia inſeruiunt, ad eius vtilitatem laborant, quia ſapientia eius dominatur aſtris. Sicut autem Deus hominem fecit, vt ſibi ſoli ſubiectus dominaretur cæteris rebus mortalibus, ita indidit ei rationem, qua poſſet dominari, longè præſtantiorem tanquam legem viuentem & intimam. Quare & rectè Philoſophi dixerunt, naturas aliarum rerum regi à ratione ſeparata, velut ab intelligentia non errante; hominis vero rationem propriam coniunxerunt, quam dixerunt reginam in ſuo microcoſmo. Hoc autem habuit homo non ex propria virtute, ſed ex poteſtate à Deo conceſſa, qui cum vellet imperium illi concedere, voluit quoq; in eo ſignum obedientiæ & ſeruitutis rerum omnium in eius corpore coniungere, id quod expreſſe habetur & ſatis prolixe *Geneſis primo, verſiculo vigeſimo ſexto & vigeſimo ſeptimo.* Et *in Eccleſiaſtico, capite decimo ſeptimo, in principio*, dicitur: *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam: & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute: Numerum dierum & tempus dedit illi, poteſtatemq; eorum quæ ſunt ſuper terram: poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium.*

Et quamuis primus homo rebelles ſibi poſt infelicem ipſius lapſum creaturas ſenſerit, poſtquam ille rebellauit ſuo imperatori Deo, tranſgreſſus præceptum eius, vt in eo in quo deliquerat etiā priuaretur, indignus imperare qui neſciret maiori obſequi; tamen ſecundus homo de cælo cæleſtis ſibi imperium confirmauit,

firmauit, & regeneratis à ſe ſanctoq; Spiritu poteſtatẽ reſtituit integram, imò maiorẽ in nomine ſuo, ſeu in eius virtute, deditque poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem lãguorem & omnẽ infirmitatẽ. Atq; hinc etiam eſt, quod Chriſtus ad prædicationem Euangelij emiſſurus ſuos Apoſtolos, humanum genus, *omnis creaturæ* nomine inſigniuerit: *Euntes*, inquit, *prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc. 16.* Quem locum D. Gregorius *homil. 29.* enarrans, inquit; Nunquid fratres mei S. Euangelium vel inſenſatis rebus vel brutis animalib. fuerat prædicandum? vt de eo dicatur diſcipulis, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Sed omnis creaturæ nomine ſignatur homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet enim, commune eſſe cum lapidibus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, &c.

TH. Magnum & ineffabile certe bonum Deus in hominem contulit. Creauit enim ipſum ad imaginem ſuam. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, nõ Angeli, non Archangeli, ſed ſolius Dei. Impreſſitq; Deus homini ſuæ imaginis ſpeciem ita vt eſſet in intellectu eius lux agnitionis diuinæ, in voluntate conformitas cum lege Dei, & in omnibus viribus cum Deo ἀρχετύπῳ congruentia ſummaq; perfectio; ſicut Apoſtolus hanc Dei imaginem perfectione qualitatũ, iuſtitia ſcilicet & ſanctitate vera definit, *Epheſ. 4.* Fuitque adeo homo imago Dei vel obiectum, in quo conſpici Dei bonitas, ſapientia, caſtitas, iuſtitia aliæque virtutes poſſent, quẽadmodum etiam Deus poſtea præcepit, dum iuſſit ſanctos eſſe, quia ipſe ſanctus, miſericordes ſicut ipſe, bonos ad exemplar ipſius in luce ambulare, in ſpiritu & veritate eſſe ad imitationem ipſius, cuius filij ſumus.

PH. Fuitne primæua illa imago ipſa hominis ſubſtantia, aut extrinſecus tantum in homine ornatus?

TH. Neutrum. Fuit tamen hæc ipſa Dei imago homini connaturalis, hoc eſt perfectio naturæ hominis concreata, & ad intrinſecam naturæ integritatẽ requiſita; cuius ablatio naturã quidem ſiue ſubſtantiam non aboleuit, horribiliter autem deprauauit, & ream iræ Dei & damnationis conſtituit.

PH. Homo igitur aliter Deum repræſentare non poteſt niſi qualitatibus, ita vt quæ in Deo ſunt ſubſtantialia, in homine non ſint idem, ſed ſimile iuxta qualitatem, nec omnia Dei in homine exprimuntur, ſed ea

duntaxat, quæ communicare Deus voluit, & ſcripturæ oraculis indicantur. Vt, à facultate rationis, iudicium & diſcurſus: ab habitu iuſtitię, iuſtę actiones, &c. dependent.

TH. Habet tamen interim Deus huiuſce ſuæ imaginis ſummam rationem etiã poſt lapſum. Vnde etiam homo quantumuis impius priuatim & iniuſtè occidi prohibetur, quia ad Dei imaginem eſt factus, quam dicitur percuſſor talis deſtruere, non cogitans, eum quem interficit, ex creationis intentione, rationis & orationis vim à Deo conſecutum eſſe, vt iis vtatur diuino quodam modo, & par ius dominandi in cætera omnia habere, tanquam Deum quendam repræſentatiuum. Non enim Deus vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, *Ezech.* 33. quippe qui maiori ſalutis noſtræ tenetur deſiderio, vt Cyprianus inquit, quam mulier deſiderio partus.

PH. Maxima nimirum animæ humanæ eſt dignitas, quæ quamuis impuritatem contrahit à carne, quæ originaliter eſt corrupta, ſicut vas vel alius quicunque liquor ex vaſe corrupto contrahit infectionem, repurgati tamen ſumus per ſanguinem Chriſti immaculatum, atque hoc ſanctiſſimo λύτρῳ redempti. Reſtitueturq; Dei imago in nobis per παλιγγενεσίαν, per quam etiã perfectius repræſentabimus iuſtitiam, bonitatem, aliaque ſpiritualia, quæ per peccatum amiſeramus. Et ſicut geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cæleſtis, 2. *Corinth.* 3. Noſque omnes retecta face, gloriam Domini in ſpeculo repræſentantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam.

TH. O igitur anima (licet mihi exclamare atque gloriari cum D. Bernhardo) inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta Chriſti ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres ſaluti, particeps rationis, quid tibi cum carne?

EQ. Anima, quod omnes norunt, cum ſubſtantia angelica conuenit & concordat. & ſecundum illam ſupra naturam corporis homo ad cæleſtia eleuatur. Vnde etiam immortalitas ipſi non minus quam Angelis concreata eſt. Nam, vt dicit Caſſiodorus, nunquam ad diuinam imaginem diceretur creata, ſi mortis termino clauderetur. Vnde D. Gregorius: Homo ſicut in medio creatus eſt, vt eſſet inferior Angelo, ſuperiorq; iumento: ita habet aliquid, quod neceſſe eſt conuenire cum ſummo, &

& aliquid cum infimo. Immortalitatem quidem habet ſpiritus cum angelo, mortalitatem corporis cum iumento. Anima igitur ſi ad Deum per rationem cõuertitur, illuminatur, melioratur & perficitur. Si vero per affectiones ad creaturas cõuertitur, obſcuratur, corrumpitur & deterioratur, quamuis enim anima in ſe conſiderata, immortalis ſit & perpetua, paſſibilis tamen eſt ex colligatione corporis, cui eſt coniuncta.

PH. Imo non tantum cum ſubſtantia angelica conuenit anima dicitur, ſed etiam vtra natura excellentior ſit, humana an angelica, à multis dubitatur. Cũ enim angeli, ad cuſtodiam hominum, at non vice verſa, deputati ſint, exinde præſerentia hominis poteſt elici, quum ipſo etiã Chriſto atteſtante, ſeruus non ſit maior domino.

Angelica an humana natura excellentior.

TH. Diſtinguo. Qui incorporearum mentium dignitatem, poteſtatem & miniſterij in conſpectu Dei vident & celebrant, cuiuſque mandata efficiunt, reſpiciunt: imo qui ordinem ſpiritualium & corporeum conſiderant, facile prærogatiuam angelis tribuunt. Sicut enim anima dignior eſt corpore; ita angelica natura homine, cuius excellentiæ obeſſe dicitur corpus cũ ſuis affectionibus. Alia vero ratione, hominis dignitas excellentior eſt. Neque enim homo angelorum gratia conditus eſt, ſed angeli hominum, *Heb. 1.* vbi adminiſtratorii ſpiritus dicuntur in miniſterium emiſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Id miniſterium habet & *Pſal. 81. Matth. 18.* Accedit & Epiſtola *Heb. 2.* Nõ enim angelis ſubiecit orbem terræ, ſed ei qui modico, quam angeli (tempore paſſionis) minoratus eſt. Et *verſ. 16.* non aſſumpſit angelos, ſed ſemen Abrahæ. Aſſumptam autem naturam euexit vltra omne nomen, quod nominari poteſt, *Phil. 2. Coloſſ. 2.* In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Ipſe eſt caput omnis principatus & poteſtatis, &c. Hæc aſſumpta natura eſt frater noſter, *Heb. 2.* Quanto ergo excellentior eſt humana natura? Sunt tamen quædam in quibus homo cedit angelis in ſeculari ſtatu, qui eſt imperfectionis. Ideo in altera vita dicuntur fideles ſimiles fore angelis Dei in cœlo, *Matth. 22. & 1. Corinth. 6.* Homo pius iudex eſt angelorum. Et Apoſtolis dictum eſt, quod cum Chriſto iudices mundi ſint futuri, quod de nullo legitur angelo.

Cæterum, vt hoc obiter attingam, ſolet etiam diſputari, an homo creatus ſit ad reparandas ruinas angelorum. Ac ſane D. Auguſtin. *li. 2. de ciu. Dei* in ſcriptura

reperiri dicit, quod factus ſit homo propter reparationem naturæ angelicæ, id tamen non eſt ita intelligendum, quaſi non fuiſſet homo factus, ſi non peccaſſet angelus; ſed quia inter alias cauſas ſcilicet præcipuas, hæc etiam nonnulla cauſa extitit, vt & notauit Petr. Lombardus. Atq; hinc eſt, quod etiam Chriſtus futurũ prædicit, vt animæ & homines futuri ſint in cœlo, velut angeli Dei; quodque illi, qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neq; nubent, neque ducent vxores, neque vltra mori poterunt, æquales enim angelis erunt, & filii ſunt Dei, cũ ſint filii reſurrectionis, *Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20.*

PH. Non incongrue itaq; Stoici hominem, miraculorum omniũ maximum eſſe dixerunt. Platonici ſubobſcurius de homine loquuntur, tradũtq; diuinam eſſe mentem quandam, terrenis vinculis alligatam. Apud illos itaque hominis pars animus eſt, apud hos totus homo animus eſt. Atq; hoc ſignificaſſe videtur ænigma magicum. *Eſt res vndiq; lucida; eſt res vndiq; obſcura, eſt media quoque tum lucis compos, tum caſſa.* Mens ſiquidem eſt lumine plena, irrationalis anima prorſus vacua, in meditullio eſt, ac veluti confinio, rationalis natura. Quæ partem habet luminis intellectualis, parte caret. Anima immortalis, corpus morti addictum, quo quid admirabilius? Anima proprie homo eſt, quæ corpore tãquam inſtrumento vtitur, licet virtute diuina ſibi copulato, tamen eo currente manet, manente currit, clauſis oculis videt, apertis interim cæcutit, quieſcente operatur, operante quieſcit. Hæc Platonici.

TH Obſcuritas obſcuritatem parit, itaque de plano & ſimplici, atque ad dictamen diuinarũ ſcripturarum ſanctorumq; patrum de hoc negotio conferemus. Ac ſane non inconueniẽter dicitur, hominem eſſe miraculorum omnium maximum. Non n. taliter fecit Deus vlli alii creaturę. Summa namq; bonitas volens cõmunicare bonum ſuũ etiam aliis, fecit creaturã rationalẽ, quæ ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo beata eſſet. Fecit igitur Deus hominem ratione ſapientem, quia Adam notitiã Dei habuit, cuius præſentiam quadã interiori aſpiratione contemplabatur. Item Adam cognouit res factas & creatas, quia eis nomina impoſuit. Nomina n. dant naturis rerum cõgruere. Sciuit igitur naturas omniũ animaliũ, herbarum, lapidũ pretioſorum, arborũ & omnium rerũ viſibiliũ. Dedit etiã illi vitæ ac virtũ integritatẽ, qua ratione nec infirmitatẽ corporis

poris, nec eſuriem, nec ſitim, nec calorem, nec frigus vnq̃ ſenſiſſet. proindeq́; etiã veſtibus omnino opus non habuiſſet, quippe qui innocentiæ ſtola ſatis erat veſtitus. Cui integritati corporis etiã addidit immortalitatem, vt ſi nõ peccaſſet, in immortalitate ſemper viguiſſet. De quo immortalitatis omnino præclaro ac magnifico priuilegio Greg. *lib. 4. moral.* Adhoc homo poſitus erat in paradiſo, vt ſi ſe ad conditoris ſui obedientiam vinculis charitatis adſtringeret, ad cœleſtem angelorum patriã quandoq; ſine carnis morte tranſiret. Nam homo fuit creatus immortalis, quãtum ad corpus & animam. Sic namq; immortalis creditus eſt homo, vt ſi non peccaſſet, etiam mori non potuiſſet, vnde omnes viui cœlũ intraſſemus, omnes ſumus in hac lachrymarum valle, qui deberemus eſſe in paradiſo vel in cœlo Hæc Gregorius. Cæterum dedit etiam Deus homini dominium in cætera omnia, vt quemadmodum Deus omnium omnino Dominus eſt, ſic homo cæteris omnib. imperaret. Hoc enim volunt verba Moſis: *Et præſit ſeu imperet piſcibus maris, & volatilibus cœli & beſtiis, & vniuerſæ terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra.* Hinc magiſtratus & Domini, cũ iudicibus etiam nomen Elohim ſeu Deorũ acceperunt. Et ab illo fine, vt ſe gerat homo in terris erga beſtias & alia, ſicut Deus in cœlo erga angelos primũ, & poſtea vniuerſaliter erga totã creaturam, homo poteſt dici imago Dei, vt ſit Deus repræſentatiuus & aſpectabilis ratione præſidii, dominii & aliorũ requiſitorum. Atq; hac ratione etiam

Exemplum q. Dei quiſq; eſt in imagine paruus.

Diabolus autem cognoſcens felicitatem hominis, quam in ſtatu innocentiæ habuit, & q. peccare poſſet, inuidens ſaluti hominum, mulierem nõ virum aggreditur. Quia mulieres ſunt incautæ, molles & fragiles: incautæ, ideo facile decipiũtur: molles, ideo ad bonum vel malũ cito flectuntur: fragiles, ideo facile ſuperantur, de his lege *Gen. 3.* latius.

E. Q. Sic nimirum homo ſeipſo minor factus fuit, lapſu nimirum & defectione à Deo; qui tamen non ita defecit, vt omnino nihil eſſet, ſed vt inclinat⁹ ad ſeipſum, minus eſſet q̃ erat, cum ei q ſumme erat, inhærebat. Nam homo plus appetendo, minus fuit, qui dũ ſibi ſufficere delegit, ab illo, q ei vere ſufficit, defecit. Hinc Aug. de ciu. Dei: *Ab initio ſancti & iuſti eramus. Quoties dico, Eramus, toties ingemiſcamus, q theſauros inæſtimabiles amiſimus. Homo natura ſua nobilitate, quã in creatione ſuã acceperat, primus fuit inter creaturas corporeas:* *De lapſu hominis.*

poſt

poſt mobilitate ſua cadens peccato, factus eſt vltimus inter omnes creaturas: nec mirum; quia cum omnes aliæ creaturæ ſuam ſtationem ſeruent, nec ab ordine ipſis à creatore præſtituto declinent, ſolus homo peccando, à Deo receſſit, & ſeipſum corrupit. Ah! quàntum mutatus ab illo Adamo! Atque hinc factum, quod Dominus Adæ lapſum exprobrauit, cum ait: *Ecce vt vnus ex nobis factus eſt Adam.* quæ ſanè non hominum more effert Dominus, quaſi hoſtiliter ipſum irrideat, ſed ſine ſalutari, nimirum vt hac exprobratione eo altius ipſi infigat admiſſi ſceleris enormitatem, idq; tanto vehementius poſthac deteſtari, ſtudioque maiore cauere diſcat.

TH. Huc quadrat, quod D. Bernard *Cant. ſerm. 31.* Homo inquit, cum in honore eſſet, nō intellexit. In quo honore? Habitabat in paradiſo, & in loco voluptatis conuerſatio eius: nihil moleſtiæ nec indigentiæ ſentiebat, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris. Magis autem ob inſigne diuinæ ſimilitudinis præcellebat, & erat illi ſors ac ſocietas cum plebe angelorum, & cum omni militia cœleſtis exercitus. Sed mutauit iſtam gloriam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Heu triſtis & lachrymoſa mutatio! vt homo paradiſi accola, terræ dominus, cœli ciuis, domeſticus Domini Sabaoth, frater beatorum ſpirituum & cœleſtium virtutum cohæres, repentinà ſe conuerſione inuenit, & propter infirmitatem iacentem in ſtabulo, & propter pecorinam ſimilitudinem rigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præſepio, ſicut ſcriptum eſt: In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, &c. Vide hominē prius quatuor virtutib. amictum quid huic deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, veritas docebat, iuſtitia regebat, pax fouebat. Hactenus Bernhardus. Deus igitur in ſalutem & propter vtilitatem hominum creauerat omnia quidem, & omnia ei ſubiecerat. Quamprimum autem homo mandatū Dei transgreſſus fuit, mutauit Deus naturam rerum, & armauit cæteras creaturas contra hominem: & terra quæ creata erat ad eius voluptatem honeſtam, ſpinas & tribulos ei produxit.

PH. Anne vero Dominus propter tranſgreſſionē mandati primos noſtros parentes, atq; adeo genus humanum, omni dominio ac poteſtate in cæteras creaturas prorſus priuauit?

TH. Minime vero. Cum enim etiam poſt lapſum Dominus terram incolere, arare ac fodere iuſſerit, eo ipſo dominiū quoddam

illis tribuit. Poſſeſſio enim pro dominio eſt, vnde poſtea & materia fiunt contractuum & mercimoniorum. In terram dominatur non tantum rus colendo, verum etiam certis proprietatibus diſtinguendo &c. qua ratione etiam aliquam poteſtatē habet in aerem, ignem, aquam. Atq; huc non incongrue referri poteſt, q; extat Pſal. 115 *Cœlum cœlorum Domino: Terram autem dedit filiis hominum.* Inter homines enim ipſos poſtea peculiaris politia & ius inſtitutum eſt, cuius prima lex eſt homicidii poſt diluuium. *Gen.* 9 In œconomia patria autoritas eſt, & maritalis, *Geneſ 3. Ipſe dominabitur tibi.* Et tametſi in aerem, ignē & cœlum nulla homini poteſtas, regimen ipſi eſt in hæc mandandiq; autoritas nulla, illis tamē vti frui poteſt. Quid quod Chriſti merito orationibus quoq; piorū eſt poteſtas in cœlum & elementa, qualis etiam fidei miraculoſæ aſcribitur. Omnia poteſt D. Paulus per eum, qui efficaciter in ipſo operatur omnia. Hinc & miracula fidelium. Tantam certe poteſtatem nō legimus Adamo fuiſſe communicatam, nec vllus homo vi naturæ & primæ inſtitutionis eam habet. Gratia per fidem ſuppleuit poſtea defectum. Itaque Elias cœlum clauſit & aperuit: quod vltra hominem fuit. Ioſua Solem & lunam à curſu inhibuit. Moſes, Ioſua & Eliſæus aquas habuerunt obſequentes. Tres viri in Babylone ignem compeſcuerunt. Imo montes transferre fides poteſt.

Ius dominii quod attinet, illud homini quidem conceſſum erat ſtatim ab initio, ſed labefactata natura per peccatum, non parum & ipſum defecit. Tunc enim ferociores redditæ beſtiæ, neutiquam ſuſtinebant ſe ab hominibus tractari, vt in paradiſo, cum omnes gregatim comparerent, vel apud vnum Adamum, paterenturque ſe ab eo cenſeri, *Geneſ.2.* Diuinum mandatum intercedere oportebat, vt ad arcam conuenirent, *Geneſ.7.* Eiuſdem etiam diuini mandati potius, quam naturæ poteſtate, iam maledicto obnoxiæ, perſeuerabant etiam in arca, venatricibus carniuoriſque beſtiis impetum reprimentibus, quo videtur feciſſe etiam incluſio. Nam ferociſſimæ beſtiæ manſueſcunt aut ſaltem mireſcunt in caueis, vt lupi in foueis, & accipitres capti. Cæterum, vt tamen interim homo à laniena tutus eſſet, repeti debebat benedictio & autoritas, Geneſ. 9. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terra. Omnes piſces maris manui veſtra traditi ſunt &c.* Dominium namq; primum

Q vide-

videtur ſimplex fuiſſe, ſed poſt diluuium additus fuit terror & metus, vt eo fortius compeſcerentur, tum propter ferocitatem auctam libertate errandi, naturæque labe, tum vt eo facilius ad cibum pertrahi poſſent. Tunc enim permiſſa eſt cædes animalium in hominis ſalutem. Alias impotentia hominis in beſtias ſatis indicatur a Deo ipſo, *Iob.* 39. & 40. vbi de onagro, vnicornu indomito, Behemoth, Leuiathan. Porro ſciendum eſt etiam, primum dominium nõ fuiſſe totale & abſolutum. Neque enim ad hominis arbitrium volant, nidificantque aliaque agunt aues, nec piſces, nec feræ, vtpote rationale imperium non intelligentes, quod & Iobo obiicitur, *cap.* 39. & 40.

F. Q. Ouidius hæc omnia fere, quæ ad totam vniuerſitatem pertinent, atque huc haud incõcinne quadrant, eleganti carmine comprehendit:

Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formaq; deorum:
Ceſſerunt nitidis habitanda piſcibus vnda.
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Sanctius his animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet:
Natus homo eſt: Deus hunc diuino ſemine cretum
Finxit in effigiem moderantis cuncta Iehouæ.

Vt mihi profanitatem verſuum paululum emendare liceat. Dominatur ergo homo in leones, pardos, vrſos &c. dũ inſidiis eos venatur, includit, domat, aut etiam ne noceant, è medio tollit. Ita tractat ceruos, lepores, damas &c. cibi & aliorum vſuum cauſa. Ouibus preeſt & armẽtis paſcendo: Equis, canibus, bobus &c. ad arandum, peregrinandũ, vehendum, venandum &c. ipſisque dat leges ſcutica, calcaribus, fuſtibus, ſono, palpo, & aliis, quibus regiminis modi perficiũtur. Dominatur etiã in beſtias, cũ ſylueſ eas ſuis includit, aut à finibus arcet, prohibetq; ab hortis, vineis, agris. Piſces in viuaria immittit, ibiq; dominium in eos exercet. Notandum igitur, preſidium ſeu dominium non tantum deſignare dignitatem & prærogatiuam, ſed etiam facultatem ſubigendi variis artibus & conſilio.

PH. Annon autem homo regreſſum aliquando habebit ad Paradiſum?

TH Omnino. Quamobrem etiam Deus iuſſit hominem habitare è regione paradiſi, haud obſcure innuens, fore aliquando,

do, vt denuo in paradiſum intromittatur. Atq; in hoc imitatus eſt regem bonũ & clementẽ Deus, qui nõ longinquum delinquenti inducit exilium, ſed propinquũ, iubens illum morari in conſpectu regię vrbis, qua re ſignificat, fore vt mox reuocetur & in integrum reſtituatur. Præterea voluit, vt paradiſus ſubinde eius oculis obuerſaretur, qui recordaretur peccati, ipſumque oderit vt cauſam, quæ illum deturbauerit poſſeſſione paradiſi; & ex animo deſideraret eum locum, ex quo præuaricatus cecidiſſet. Etſi vero homo poſt lapſum peccato deformatus & corruptioni obnoxius factus fuit, tamen ad primæuum integritati & perfectionis ſtatũ denuo poſt mortem reſtituetur, ſi modo pie ex hac vita in vera agnitione Mediatoris noſtri decedat.

PH. Vah, cur non cautius quod aiunt, mere ti didicerunt? niſi enim ita temere antiquo illi ſerpenti fidem habuiſſet primæua mulier, in tantas anguſtias Adamum atque vna ſe quoque, omneſque ipſorum poſteros non conieciſſet.

E Q. Nos iam ingenioſi ſumus poſt naufragium, & multa diſputamus temere, qua debueſſet incedere cymba protoplaſtorum. *Tu ſi hic ſis, aliter ſentias,* inquit ille apud Terentium. In ſimilibus tamen cautiores eſſe poteramus, ſi vellemus alieno exemplo ſapere. Nam adhuc nos tentat ſerpens ille. Id deterius, quod ne infortunio quidem orbis ſapientius viuamus. Quinetiam, quod Euam duntaxat incuſas, eiuſque credulitatem adeo leuem, exagitas, atque Adamum omni culpa fuiſſe vacuum haud obſcure innuis, inquã ego quod nuper quidã diſticho ad eandem quæſtionem extemporaneo:

Credula res mulier, ſed vir vetito abſtinuiſſe
Debuerat, lethi nec faber eſſe ſui.

Eua imperfectione naturæ ſuæ improuida, auſcultat loquentem præter naturam ſerpentem, & cũ eo tanquam rationali animali permutat verba, nimium ſimplex collocutrix, neque adeo ſagax naturarũ diſcretrix vt Adamus, præter quem & Deum loquentes non audierat antehac vllum. Vnde conſtat, plenitudinem ſcientiæ naturalis & prudentiam exactam ei defuiſſe. Si altius ſubeſſe principium ſuboleuiſſet, præſertim alia ſpecie ſolito colloqui Deo, hac nouitate aliquid ὕπουλον & mõſtri cõtineri ſenſiſſet, & à commercio verborum abſtinuiſſet, id ꝙ nobis eſt argumẽto, nõ debere admitti ad colloquiũ ſatanã, niſi aſſumpto ſcuto fidei & gladio ſpiritus galeaq; ſalutis,

Epheſ. 6. quibus tentatorem ſuum vicit Chriſtus *Matth. 4.* vbi ſimili eſcæ argumento Satan recens baptizatum ſaluatorem aggreditur.

PH. Imo vero oppoſuit Eua tentatori verbum interdicti, gladiumque ſpiritus: Cur vero non perſeuerauit?

E Q. Oppoſuit inquam, ſed indecenter, labefacto vel inclinato fidei ſcuto. Ita enim loquitur: *De fructu lignorum, &c.* vbi interponit voculam dubitationis ſeu temporis indefiniti, *ne forte, ne quando*, quæ non extat in expreſſo oraculo. Non enim dixerat Deus, *ne forte* aut *quando moriemini*; ſed ſerio verborum tenore: *quocunque die comederis, morieris.* Lex obedientiæ inſcripta quidem mentibus erat protoplaſtarum: ſed Deo placuit etiam poſitiuis regere genus humanum, vt cognoſceret ſe ſuperiorem autoritatem, à qua ſimul doctrinæ diſciplinæque deberent peti primordia, cuiuſque ſanctiones abſque vlla dubitatione, mora aut omiſſione obſeruandæ explendæque, omnibus viribus, animo, mente & omni dilectione & paritione perfecta.

TH. Hæc nimirum temeritatis infauſta ſunt præmia, hi fructus. In paradiſo, vbi aër commodus ad viuendum, aut ſi exceſſu qualitatum fuiſſet moleſtus, cõfugium ad arbuſta præſto erat, veſtitu non indigebant homines. Ideo & nudi degebant. Cum vero tranſgreſſi eſſent mandatum, aliquid ſibi deeſſe animaduertebant, non quidem quo natura iuuaretur, ſed opinio deformitatis tolleretur, iam incipiebant de operib. Dei inſtar momorũ, male iudicare, quaſi qui omnia optima facere voluiſſet, videretur alicubi defeciſſe. Nõ placebat verendorũ nuditas, id turpitudinis erat argumentũ. Cætera non audebãt reprehendere. Sed qua induſtria ſapiẽtiores iam Deo ſe ꝓbabant Textura foliorũ ficus. Hæc erat illa per morſum pomi quæſita intelligẽtia. Deus beneficus etiam poſt offenſionẽ grauiſſimã, vt ſaluti ꝑ mediatorẽ promiſſum proſpexerat, ita & tẽporaneę incommoditati, [illegible] extra paradiſum in locis deſertis & ſylueſtrib. [illegible] enim debebat terra; erat ergo inculta extra horti ſepimentum ſuſtinẽda fuerat; pelliceas eis fecit tunicas ſeu togas vel pallia, fors in eam formã, [illegible] Elias Thesbites geſſit, quamq; affingũt Herculi & D. Ioan. Bapt. [illegible] Deum oportuit eis præire arte, & ſartoriam monſtrare, imo etiam tanquam pueros induere. Hinc dulce ſimul leuamen exortum eſt primis parentibus, etiam intuitu veſtis, quæ [illegible] ex [illegible] ulli s

uillis pellibus, quippe huius pecudis ſuſtinere figuram ſemen promiſſum, ſeque etiam agno paſchali adumbrare voluit.

E Q. Infelicis matris infelix partus. Supetbia, inquit Hugo, in cælo nata eſt, ſed velut immemor, qua via inde ceciderit, illuc poſtea redire nõ potuit. Atq; exinde orbem obambulans infelicem edit partum, nimirum malam conſcientiam quæ bene ſperate non poteſt, vt inquit Auguſtinus *in Pſalm. 31.* Et conſcientia peccati formidinis mater eſt, atq; vt Iſidorus ait, mens mala, cõſcientiæ ꝓpriis giratur ſtimulis. Primi igitur noſtri parẽtes, ſupetbię ac *φιλαυτίας* œſtro perciti, quũ ſimiles Deo fieri inhiarent, vana ſpe deluſi, dignas temetariæ audaciæ pœnas luerũt, cumq; ſtulta ac nimium ſimplex, imò homine indigna ipſis videretur vitæ innocentia, ſucceſſit furioſa iſta Erynnis, mala conſcientia, quam cum fruſtra arborum foliis palliare conarentur, prodire tamen atq; palam delictu͂ fateri iuſto Dei iudicio ac ſtimulante conſcientia coacti fuerunt.

TH. Proinde ſi quis, quid maximè mirum in homine ſit, ſcite
ſcientia velit, Conſcientia inquam ego, quæ vna & eadem in nobis ſingulis eſt *accuſator*, quoties enim illa nobis diem dicit, & ad Dei ſubſellia pertrahit? Eadem eſt *teſtis*, eadem, *iudex*, eadem *tortor*, eadem *carcer*; ipſa accuſat, ipſa iudicat, ipſa damnat. Tot munera in nobis præſtat, ſic volente ſapientiſſimo Deo, vt reddamur etiam nullo alio accuſante inexcuſabiles, neue putemus nos declinaturos tribunal Dei; ecce in noſtris conſcientiis illud erexit. Huc refer illa: *Conſcientia mille teſtes,* imò *mille exercitus contra nos. Conſcientia peccatorum codex, &c.*

Eſt canis in molli ſtertens mens conſcia lecto,
Abrupto ſomno mordet acerba canis.

Hinc Ouidius 1. Faſt.

Conſcia mens vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.

Magnam nimirum vim habet conſcientia, vt ſemper pœnam ante oculos verſari putent, qui peccauerint. *Cicer. in orat. pro Milone.* Proinde quod Seneca monet. Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipſum; alium enim potes effugere, te autem nunquam: nequitia enim ipſa eſt ſui pœna.

E Q. Recte ergo quidam, quid in minimo maximum eſſet rogatus, bonam conſcientiam & mẽtem in corpore humano dixit, quæ ſi adſit; delicioſius viuit etiam is, qui teruncium non habet in orbe, quam ſi in vnum homi-

 nem

Google

nem ſexcentos confles Sardanapalos. Quæ cum iſta ſint, magnam vt conſcientiæ rationem habeamus, neceſſe eſt, prout ſacrarum etiam literarum edicta poſtulant.

Ipſe quoq; Cicer. *à recta conſcientia tranſuerſum vnguem non oportere quenquam in omni vita ſua diſcedere*, præſcribit ad Attic. Quid vero, annon etiam Iuuenalis monet,

Orandum eſſe, vt ſit mens ſana in corpore ſano?

TH. Hinc pie Gregorius: *Quid prodeſt, ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet? At quid poterit obeſſe, ſi omnes derogent, & conſcientia ſola defendat?* Itaque quantus quiſque iudicio Dei ac conſcientiæ ſuæ eſt, tantus reuerâ, ac non maior eſt. Non enim putandum tanto meliorem eſſe hominem, quanto homine maior habetur. Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum decipit, dum extollit; verèq; probro afficit, dum [illegible] iter laudat.

EQ. Debito prolixiores ſumus, in iis præſertim, quæ ſunt alieni (Theologici nimirum) fori in quo ex profeſſo iam non verſamur. Itaque magis è re mihi videtur, vt quid ſit minimum in maximo, maximum tamen vtrobiius repræſentans, diſſeramus. Id vero eſt, vnanimi omnium conſenſu Microcoſmus, ſiue ipſe homo, de cuius partibus integrantibus, aliiſque huc ſpectantibus nunc porro agemus.

PH. De microcoſmo & macrocoſmo, quum homo microcoſmus, id eſt paruus mundus, ex macrocoſmo, id eſt, maiori mundo, & ſecundum macrocoſmū à Deo creatus ſit, varii variè in cō[illegible]paratione vtriuſq; inter ſe [illegible] cōmenti ſunt; huc tamen om[illegible]is ferè comparatio recidit, nempe: *Comparatio microcoſmi cum macrocoſmo.*

1. Spiritus totius mundi molē agitat infuſus per omnes artus.

Hominis ſpiritus hominem agitat omnibus ſuis partibus, vt plerique totum in toto, & totum in qualibet parte locarint.

2. Sol & luna clariſſima totius mundi ſunt lumina, de quibus Virgil. Georg. 1.

—— Vos ô clariſſima mundi
Lumina labentem cælo quæ ducitis annum.

Oculi extant bini, clariſſima lumina, quæ labentem in dies ætatem illuſtrent, præfutura nocituraque iudicent. Seneſcente ætate non minus quam ſole lunaque collabentibus, iiſdemque occiduis, paulatim vi deficiunt ſuâ.

3. Tellus quodammodo viuit, habetq; ſua ſpiramenta, in[illegible]ales v[illegible]ntorum flatus, tum f[illegible]gidos tum calidos, tum putri[illegible] fe

ſtu e

ſtaue palude, tum vbere gratoq; ſolo exhalatos.

Sunt homini ſpiramenta, ſunt anhelitus inæquales item, vt hominis conſtitutionem certo præmonſtrent.

4. Terra vapores emittit ſurſum, in pluuiam vertit, leniterq; remittit aër.

Stomachi cum cerebro idem fœdus eſt: eo vtrimque rupto, incompoſite elati vapores peius ruunt, vt alii terram grandine intempeſtiuiſque imbribus, alii corpus calculo, moleſtâ pituita, dirisque tumoribus verberent.

5. Habet terra latentia occultaq; vitia, quæ in terræmotus, hiatus, ignes deſinunt.

Sunt homini ſua morborum genera, quæ in hiatus tabo profluente, quæ in tremorē ac ignes deſinere videntur.

6. Habet ſua oſſa terra. Ouidius:

Magna parens terra eſt, lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

Homo quoque ea habet.

7. Sunt terræ, montes, valleſque ſyluis veſtitæ.

Sic in homine —*barba comæque*
In ſylvas abeunt, iuga ſunt humeriq; manuſq;.
Quod caput eſt hominis, terra eſt in monte cacumen.

8. Sunt terræ ſuæ partes ſicciſſimæ.

In homine aliæ aliis exſiccatiores, humentiores aliæ.

9. Terra habet maria, ſunt fluminum fluxus & refluxus perpetuo ordine.

Eſt homini mare ſanguis circa cor in medio hominis.

10. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Spiritus hominis in ſanguine habitat.

11. Aquâ irrigantur ſemina in terram iacta.

Irrigantur, fouentur & nutriuntur ſanguine concepti fœtus.

12. Habet terra pontuſq; ſua ocia. Ouid.

Ocia terra ferax, otia pontus habet.

Habet & homo. Non enim quiſquam po eſt ſine intermiſſione agere. Etenim,

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

TH. Symmetriam vides. In humano corpore, mirabili quadam ratione, quatuor elementa miſcentur: venæ tanquam fluuii in extremas vſque partes, diffunduntur: tot ſunt ſenſuum organa, quot ſenſibiles in mundo naturæ: nerui, arteriæ, ligamenta innumera, caput ſingulari

gulari quodam priuilegio in cælum erectum, manus ad omnes operas aptæ promptæque. Qui instrumentum hoc tantum intueatur, vitæ, ſenſus, motus expers, profecto ad res magnas cō-paratum ſtatuet. At ſi paulo poſt hoc idem corpus, vidente tanquam extra ſe homine, animetur & vitam recipiat? Exſeitant tunc ſeſe celeres illi toto corpore motus, faciant officium ambæ manus decenter & variè, ſenſus vero vires procul explicent ſuas, nec tamē loco moueantur quicquam: annon qui hæc conſpiciat, extra ſe futurum putas, & quanto analogiam, corporis rudi & indigeſtæ moli ante ferebat, tanto etiam vitam, motum, ſenſum corpori illi indita, ipſi prælaturum? Quod ſi vero tandem animatum illud corpus introſpicere poſſit, vt vno momento ad extrema terræ feratur, nec tamē locum mutet, vt ad centrum mundi deſcendat, περιφέρειαν nihilominus ſuperambulet, vt ſexcentis ſimul locis adſit, vniuerſum abſque contactu complectatur, orbem perrepat, nec minus comprehendat, cælum è terra ſuſpiciat, cælos tamen cælorum altiſſimè præteruehatur: annon cogatur fateri, in corpore maius quid corpore, quin & orbe & vniuerſo ipſo habitare: huc facit illud Ouidii, 5 *Metamorph.*

Mente Deos adiit, & quod natura negauit
Vſibus humanis, mentis ea pectoris hauſit.

Veruntamen ea ipſa mens, cum in aliqua eſt cogitatione, commeare videtur ad pectus, & quaſi ad ſecretum aliquod penetrale ſecedere, vt conſilium velut e theſauro recondito eliciat & proferat. Ideoq; cum intenti ad cogitandum ſumus, & tum mens occupata in altum ſe abdiderit, neq; audire, quæ circumſonant, neque videre, quæ obſtant, ſolemus.

E Q. Res contemplatione perquam digna eſt, proinde mirum non eſt, viros vndiquaque doctiſſimos huiuſmodi iucundis contemplationibus incubuiſſe. Equorum numero cumprimis ſunt Paracelſiſtę, quorum diſcurſus in hoc negotio, nō minus atq; illi quos Dominus Philoſophus in medium attulit, lepidi admodū ſunt & iucundi. Eſt autem hęc fere illorum ſententia. Microcoſmus, inquiunt, id eſt homo, Orientem habet in ore, Occaſum in anu, Meridiem in vmbilico, Septentrionem in dorſo. Et ſicut quatuor cardinales venti in maiore mundo, ita in minori mundo venti ſunt in iſtis partibus. Apoplexia homini eſt e ſubtiliſſimo ſulphure & ſale nitro ſublimatis quaſi in teſta campa-

ctis in

ctis in cerebro mirificè. Accenditur autem & rumpitur illa teſta à Marte ſiue nimio exercitio. Homines enim moribus atque animo vehementioribus præditi ad apoplexiam ſunt procliues. *Vide libros Machanicos Theophraſti de Apoplexia & Gutta.* Apoplexia eſt fulmen. Murmura ventris quæ excitantur ac proueniunt à flatibus, ſunt tonitru. Flatus vero ſunt venti, quos ſchola Salernitana, *Spiracula editi* appellat. Venæ per totum corpus ſparſæ, ſunt flumina orbis terrarum. Ventriculus eſt vas deſtillatorium, quod purum ab impuro ſeparat atque ſecernit. Stercus eſt recrementum, in quo cibus ac potus reſident, non aliter quam metallum in ære vel recrementis. Sunt enim recrementa ſtercus metallorum, metallum vero eſt eſſentia, *vt ait Theophraſtus libro primo pharmacandi, cap. 1.* Cremator, toſtor ſiue ſeparator metalli, repræſentat ventriculum; Vulcanus vero coquit & ſeparat purum ab impuro. Veſica in microcoſmo eſt mare occidentale, in quod omnes aquæ influunt, atque in eodem diſſipantur ac conſumuntur, eſtque in eo reuera aqua ſalſa, hoc eſt, ſal ſuperfluum reſolutum. Vena caua, quæ eſt iuxta ſpinam dorſi, eſt mare mediterraneum. Præterea, vt inquit Capnio *de verbo mirifico, libr. 2. cap. 6.* Sicut in mundo ſunt anima vegetatiua, ſenſitiua & rationalis: ita in ſupremo mundo eſt Deus cum ſanctis Angelis, Lunæ lumen augetur & minuitur, creſcit, decreſcit, conſtans conſiſtere neſcit, & coniunctiones Planetarum miros habent effectus.

Cæterum Ventriculus eſt primum deſtillatorium microcoſmi, in quo verus ac genuinus microcoſmi Vulcanus, calor nempe naturalis, omnes cibos omniaque in ventriculum immiſſa, denouo purificat, ſeparat, ac deinde per totum corpus diſtribuit, & quodlibet in conuenientem locum reponit. Hepar eſt ſecundum vas deſtillatorium, in quo ſeparantur ſalia, ſtercus eius expellitur per vrinam. Tandem ſuccedit caput mortuum ſiue fæces ſulphureæ fætidæ, per inteſtina, atq; inde excernitur. Tertia ſeparatio Mercurii excremẽta ſua excernit per ſudores ſeu poros.

Porro ſternutatio in homine quæ fit cum inſigni totius corporis humani cõmotione, eſt (ſubintellige repræſentatiuè) motus trepidationis octauæ Sphæræ in Macrocoſmo. Quin etiam Ros & pluuiæ Macrocoſmi identidem in Microcoſmo obſeruantur, nimirum à cibo & potu deſcendunt, totumque corpus humanum irrigant, id enim niſi

R fieret,

fieret, homo omnino contabeſceret ac penitus diſſolueretur.

Inſuper etiam fontes duos hominis faciei Deus impreſſit atque excauauit, nempe oculos, continuo fere effluxu irriguos. Atque hinc eſt, quod vox Hebraica *Ain* & oculum & fõtem ſignificat. Nihilq; adeo eſt in macrocoſmo, quod non identidem etiam in microcoſmo obſeruetur. Et ſicut ſunt variæ ſeparationes, quædam enim fiũt per deſtillationes, quædam per putrefactiones, quædam per ſublimationes, quædam per ſolutiones, quædam per reuerberationes, ſicut in maiori mundo, ita etiam in minori ſeu microcoſmo. Et ſemper inueniuntur tria excrementa: ſulphuris excrementa ſeu ſtercora abeunt per inteſtina, ſalis per vrinam, Mercurii per ſudorem.

Adhæc eſt etiam quædam cõcordantia & diuiſio Elementorum in microcoſmo. Ignis enim conſpicitur in oculis, Aër eſt in toto corpore, Aqua eſt in aquæductibus, hoc eſt, in venis totius corporis humani, Terra eſt caro cum oſſibus, quæ circumdãtur vndiquaq; & ex omni parte aquoſis riuulis ſeu venis.

PH Hinc nimirum Paracelſiſtæ triplices in homine morbos definiunt. I. Ex igni & aere, quæ duo elementa generãt & inficiũt ſpiritum hominis. Vnde ſunt morbi in homine, quos epidemicos vocamus ſiue aſtrales. II. Ex aqua & terra. Hæc duo elementa conſtituunt & cauſant Tartarum, calculum & omnes morbos Tartareos in homine, quorum multi ſunt. III. Ex ente ſeminis parentum. Et illi continent in ſe quatuor curſus. 1. Quatuor curſus elementorum: vnde ſunt omnes morbi acuti. 2. Septem curſus Planetarum: Vnde ſunt morbi chronici, qui durant, quamdiu durat curſus illius Planetæ, nimirum Saturnus in ſplene, Iupiter in hepate, Mars in bile, Sol in corde, Venus in renibus, Mercurius in pulmone, Luna in cerebro. 3. Quatuor curſus humorum: vnde ſunt ſalia, & quidem diuerſi ſaporis, nempe ſanguis, phlegma, bilis, & melancholia. 4. Quatuor curſus qualitatum: vnde ſunt complexiones, nempe, Calidum humidum. Frigidum humidum. Siccum calidum. Frigidum ſiccum. Quæ principia vera ſunt & vocantur. Atque in his tribus tota ſubſtantia creaturarum omnium conſiſtit, conſeruaturque ad terminum prædeſtinatum. Vide libros Theophraſti de tribus principiis. Item libro paramiricos. Item Philoſophiam de quatuor Elementis.

mentis, quæ omnia ex tribus primis proueniunt.

Addunt etiam Paracelſiſtæ, omnes morbos aſtrales eſſe contagioſos, & per nares mediante [a]ere attrahi ad cerebrum, per os [a]d pulmonem, per nutrimentum [c]ibi ac potus in ventriculum, quę [o]mnia deinceps euciuntur per vomitum. Et ſic ſuperiora aſtra inficiunt inferiora. Atq; hæc quidem prolixè à Paracelſiſtis tradũtur, ſed prolixius hæc agere non [e]ſt noſtri inſtituti nec moris.

Humani corporis fabrica.

TH. Vt macrocoſmi, ſic & microcoſmi mira eſt atque in hac naturæ deprauatæ imperfectione imperſcrutabilis fabrica, ſiue enim externos corporis actus, ſiue internam eius diſpoſitionem ſpectes, nihil tam minutum eſt, in quo non diuinæ prouidentiæ veſtigium ſingulare appareat. Exempli gratia: Manus hominis minutiora corporis humani ſunt membra, minutiſſimis ſuis diſtinctæ digitis, harum tamen nihilominus [b]eneficio nihil non agit homo, eaque præſtat, quæ nullum alio[q]uin præſtare poteſt animal; his namque ædificat vrbes, tegna; [i]mplet terram ædificiis, arbo[ri]bus; ſerit, metit; his ferociſſimas beſtias domat, veſtes ex ea[r]um coriis parat, horologia conficit, diruit vrbes, euertit regna: his ſcribit, pingit, & ſic omnium rerum memoriam toti poſteritati relinquit. Ad ſummam, quidquid vult, his manibus peragit. Quamnam mihi aliam dabis creaturarum, iſta præſtare quæ poſſit? Et ſic repræſentat homo infinitam Dei potentiam, quâ, quicquid vult, facit, in cælo & terra, proinde meritò omnium rerum creationem Dauid manibus & digitis Dei attribuit. Sic lingua hominis minutum ac debile membrum eſt, quippe ex ſolida carne, nullis ſuffulta oſſibus conſtat.

Quis vero vim & effecta linguæ exponat? hac ſua & aliorum, humana & diuina conſilia exprimit, theſauros cæleſtes diſpenſat, hæreſes euellit, corda hominum, quoquo vult, inflectit. Tolle linguam, ceſſabit omnis religio, diſſoluetur ſocietas, concidet totus mundus. Quid enim agas in mundo, mutis exiſtentibus omnibus hominibus? Eſt igitur hoc membrum verè diuinum. Proinde rectè Siracides in explicatione imaginis Dei hoc etiam poſuit, dicens: *Linguam eis dedit, interpretem operum ſuorũ.* Quare illud eſt maximi momenti in vniuerſa vita, quemadmodum Iacob. ait, *eum qui ſcit frænare linguam ſuam, virum eſſe perfectum.* Contra, vt prima eſt virtus linguam compeſcere, ita effren-

lingua infinitum malum dat hominibus, ſicut luctuoſa teſtatur experientia, maledicentiæ vento paruam ſcintillam comburere magnam ſyluam. Et *in manibus linguæ mors & vita conſiſtit*, ait Sapiens.

PH. In mirabili hominis architectura & compoſitione omnium maximè pulchrum & miraculoſum artificium cerni poteſt in capite, vbi omnes ſenſus auditus, guſtus, viſus, olfactus collocantur, vbi lingua conceptus animæ interiores explicans cernitur, & vbi ſedem habent oculi, ſpeculum interioris animi & teſtes eorum quæ in intimis præcordiis quis ſentit, vbi Deus iudicium intellectumque quo à brutis homo diſcernitur, cōſtituit, vbi ornatus eſt pulchritudinis, quæ amorem excitat, omniaque compoſita & ordinata in ſolo capite, pluſquam in toto corpore conſpiciuntur.

Caput hominis.

EQ. Hanc formā ac ſpeciem tribuit creator corpori humano, non quidem cæterorum animalium corporibus prorſus diſcrepantem, cunctis tamen præcellentem, & præſtantiæ hominis atque actionibus mentique congruentem. Ex ipſa enim corporis ſumma in omnibus produxit caput. Ex trunco vero corporis, vel, vt quidam nominarunt, vaſe, quatuor veluti ramos extantes: ex quibus poſteriores in omnibus ſunt pedes, duo autem capiti & collo propinqui, non omnibus eundem vſum præbent. In pecudibus enim & feris ſunt pedes hi quoque, in volucribus ſunt alæ, in homine vero ſunt manus, neque ad ambulandum, neque ad volandum, ſed ad faciendum operandumque natæ, cum bipes incedat homo corpore erecto, neque locū hic Sphyngis ænigma inueniat Sed hæc diſcutienda ſunt paulò diligentius.

PH. In hanc ſententiā egregie admodū ſcribit Cicer. 2. de Nat. Deor. Sunt ex terra homines, nō vt incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarū rerū atq; cæleſtiū, quarum ſpectaculū ad nullum aliud genus animantium pertinet. Senſus autem interpretes ac nuncii rerum, in capite tanquam in arce, mirificè ad vſus neceſſarios, & facti & collocati ſunt. Nam oculi tanquā ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere. Et aures, cum ſonum percipere debeant, qui natura in ſublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemq; nares, eo quod omnis odor ad ſupera fertur, recte ſurſum ſunt: & quod cibi, & potionis iudicium magnum earum eſt, non ſine cauſa vicinitatem oris ſecutæ ſunt.

ſunt. Iam guſtatus, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, quà eſculentis & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fuſus eſt, vt omnes ictus, omneſq; nimios & frigoris & caloris appulſus ſentire poſſimus. Atque vt in ædificiis architecti auertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia neceſſario tetri eſſent aliquid habitura, ſic natura res humiles procul amandauit à ſenſibus. Adde quod ipſa natura primum oculos membranis tenuiſſimis veſtiuit & ſepſit, quas primum pellucidas fecit, vt per eas cerni poſſet: firmas autem, vt cõtinerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, vt declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum quo vellent, facile conuerterent. Naſus ita locatus eſt, vt quaſi murus oculis interiectus eſſe videatur. Auditus autẽ ſemper patet, eius enim ſenſu & iam dormientes egemus: à quo cum ſonus eſt acceptus, etiã à ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet, ne quid intrare poſſit, ſi ſimplex & directum pateret. Prouiſum etiam, vt ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium tanquam in viſco inhæreſceret. Quam vero aptas manus, quamque multarum rerum miniſtras natura homini dedit, &c. Inſuper de cæteris corporis humani aptis diſpoſitionibus identidem ſcribit Cicero in Offic. Principio corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu: quæ autẽ partes corporis ad naturæ neceſſitatem datæ, aſpectũ eſſent deformem habituræ, atq; formam, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis, ipſique neceſſitati dant operam, vt quam occultiſſime pateant: quarumque partium corporis vſus ſunt neceſſarii, eas neque partes, neque earum vſus ſuis nominibus appellant, quodque facere turpe nõ eſt, modo occulte, id dicere obſcœnum eſt.

TH. Imo ipſa hominis genitalia, humana verecundia potius tecta & occulta eſſe voluit, quam natura. Eſtque decorum omnino membrum (vt inquit Aurelius Caſſiodorus) niſi fuiſſet turpitudine fœdatũ; quid enim eo pretioſius aut præſtãtius eſſet, ſi inde humanũ genus ſine culpa deſcẽderet: nam & membra ipſa non ſunt cauſa peccati (vt meminit Cyrillus Hieroſolymitanus) verum malus membrorum vſus.

Sed hæc relegamus aliorſum.

Statura hominis erecta

E Q. Quam vero ob cauſam forma ſeu figura corporis humani erecta eſt, cum tamen cætera omnia animantia ad terram proclinent?

PH. Diuerſimodæ (& quædã etiam ſatis ieiunæ) ſunt de hac q̃ſtione ſentẽtię. Anaxagoras cauſa videndi ſolis & cœli, erectum incedere hominem; Plato Aſtronomiæ cauſa oculos erectos homini eſſe datos, alicubi dixit. Philo quoq; Iudæus doctiſſimus, & in Platonica philoſophia exercitatiſſimus, Deum cæterorum animantium os in terram deflexiſſe, eoq; in terram nutare; hominis autem econuerſo ſublimaſſe, vt cœlum ſuſpiceret. *Cicer. 1. de legib.* Ipſum hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornauit, ſed & ſenſus tãquam ſatellites attribuit ac nuntios, & rerũ plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligẽtias enudauit, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ; figuramque corporis, habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cum cęteras animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli, quaſi cognationis domiciliiq; priſtini cõſpectum excitauit. Tum ſpeciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. Et oculi, quemadmodũ animo affecti ſumus loquuntur; & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem, poteſt, indicat mores. Et in eandem ſententiam quoq; ſcribit Lactan. Firm. *l. de Opificio Dei vel formatione hominis, c. 8.* Cum igitur ſtatuiſſet Deus, ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera vniuerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq; conſtituit, ſcilicet, vt eadem ſpectaret, vnde illi & origo eſt. Illa vero depreſſit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum proiecto, ventri pabuloq; ſeruirent. Hominis itaque ſolius recta ratio, & ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis, ac proximus originẽ ſuã fictoremq; teſtatur. Hucuſq; Lactantius. Alii duas ob cauſas erectum incedere hominẽ ſcribunt, tum quia animantium perfectiſſimus, acceditq; plurimũ ad cœli æqualitatẽ; tum quia ꝓportione corporis calidior eſt aliis omnibus. Calidi enim proprium eſt in arrectum tollere. Sunt qui hominem inde ἄνθρωπον, id eſt, ſurſum erectum, appellari exiſtimant, eo quod ad contemplationem ſui artificis ſpiritus regimine ſubleuatur. Ouidiani vero verſus hac de re ſunt vulgatiſſimi:

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit cœlumq; tueri
Iuſſit,

leſsit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

D. Bernhatd ait: *Quid indecētius, quam curuum in recto corpore animū gerere? Erubeſce anima mea volutari in cœno, quæ in cælo tuum habes πολίτευμα, & ad cæleſtia facta es.*

TH. Et ego itidem hanc erectā corporis noſtri formam, omniū excellentiſſimam ſtatuo, imo & vere diuinam, ac ſymbolū quoddam rectitudinis animæ, imo totius hominis, qua corpus ſubiectum erat animæ, & anima ſpiritui, & ſpiritus Deo. De qua in *Ecclesiaſt. Deus creauit hominem rectū* Rectū ſcil. ad Deum, non curuum ad creaturas. Vide porro ibid. vbi multa elegāter de hominis creatione, excellentia atque ſupra omnia dignitate differit, quæ hic longius eſſet omnia attexe-e.

EQ. At vero Galenus præſtantiſſimus operum naturæ examinator, reprehendit ſua quadam ratione non iniuſta, hæc & ſimilia omnia. Dum enim inueſtigat, cur ſolus homo rectus ſtet, cum cætera animalia quædam magis, alia minus, at tamen omnia prona ſint, & modo gradiantur ſimillimo infantibus: ſtelliones enim & quæcunq; breuium ſunt crurū prorſus ſunt prona, quorum venter attingit terram, & his magis ſerpentes. Equus vero, & canis, & bos, & leo, & omnia quadrupeda medium locum obtinent iter tet prona exacte & plane recta. Sic & aues bipedes. Solus autem homo rectus ſtat, ac ſedet etiam, & ſtatum ſuum rectum recte eſt ſortitus. Nam omnes manuum in operificiis actiones duabus his egent figuris. Nemo autē pronus aut ſupinus molitur aliquid. Neq; cætera animalia ſimiliter recta effinxit natura, quia nihil manibus elaboratura erant. Hoc inquam dum agit Galenus, nō placent homini ſag-ciſſimo ſimiles ſuperioribus ſententiæ: qui &, opinari ob id recte ſtare hominem, vt promte cœlum aſpiciat, & in eo glorietur, Hominum ait eſſe, qui nunq̄ viderunt piſcem, Græce ideo dictum ὐρανόσκοπον, (q. alias eſt ἄγνος, de communi ſententia, & Callionymus quoq;). i. cœli ſpeculatorem. Hic namque ob oculi ſitū vel inuitus cœlum ſemp aſpicit. Homo a. niſi collū reflexerit retrorſum, cœlū nunq̄ recte viderit. Hoc vero tefractū non ſoli homini ineſt, ſed & aſinis & auibus longum collum habentibus, &c. Hæc Galenus.

Pulchritudo & membrorum diſpoſitio in homine.

PH. In tanta opinionum diſcrepantia igitur nos ſuum cuiq; relinquamus iudicium. Nam & de pulchritudine atque externa hominis forma, membrorumque diſpoſitione identidem variant. Nos tamen pulchritudinem aliter quam mangones æſtimabimus. Non enim in albedine, vel

mollicie vel id genus aliis, per quæ non natiua, non germana, ſed fucata & adulterina pulcritudo oſtentatur, eam ponimus. Sed cum Hippocrate & Galeno per actiones eam exploramus & iudicamus, nihilque eſſe aliud quā optimam conſtitutionem quæ εὐφυΐα eſt Græcis, cēſemus. Quod ipſum ſentit apud Xenophontē etiam Socrates: pulchritudinem conſtructionis particularum referens ad actionis bonitatem & virtutem.

E. Q. Multi in quibus eſt & M. Vitruuius in vmbilico ponunt centrum, & per digitorum manuum atque pedum extremitates circulum deſcribunt: proportioneſque partium inter ſe conferentes, faciei longitudinem faciunt eius quæ totius corporis eſt partem decimam. Octo capita corporis proceritatem abſoluere inuenerunt. Manus longitudo, faciei lōgitudini æqualis eſſe debet; quæ ſingula tamen proſequi longum eſt & non neceſſarium.

PH. Imo ſunt qui corpus pro vaſe & receptaculo tantum hominis habeant, animum ſolum, hominē cenſentes. Hinc nata illa παράδοξα: Hominem neq; tangi, neque aſpici, neq; comprehendi poſſe. Hinc Theopompus cum in mortario tunderetur à Tyranno, pellem, aiebat, tundi Theopompi, non Theopompum. Sed his nos relinquamus ſuos, & loquendi modos, & ſingulares ſenſus, ſimulatione & diſſimulatione non carentes. Omnis vero vis noſtra in animo & corpore ſita eſt, vt recte ſenſit, & dixit Salluſtius quoque. Sed animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur.

E. Q. Sunt hæc iudicia, quæ quiſque pro genio ſuo atque ingenio confingit, præſertim ſi ab iniuriis cæteroquin abſtineant, ſuſque deque ferenda. Eſt vero præter hos alius quidam, quem Momum ab antiquo dicunt, atq; is quidem operum omnium cōtemplator rigidiſſimus, & reprehenſor impudētiſſimus, qui cum ipſe nihil faceret, cæterorum tamen opera reprehendit, & in homine illud inprimis carpſit, quod prætermiſſum fuiſſet id, quod maxime erat neceſſarium; quaſi artifex non prouidiſſet, quod doli in pectoribus laterent. Et opus multo laudabilius viſum fuiſſe, ſi feneſtratum pectus fuiſſet, vt sciri poſſet, quid in animo quiſque strueret. 2. Indignum illi viſum fuit, oculos non fuiſſe ita collocatos, vt circumagi plane poſſint; atque interiora, id eſt, ea quæ in homine ſunt, intueantur, non ſolum ea, quę extra hominem ſunt. 3. Non probabat, tibias non eſſe collocatas, vbi ſuræ ſunt, & viciſſim: Nam hæ non ita facile ex offenſione dolorem ſentiūt, vt iſtæ. Præ-

Momus.

Præterea accuſabat iſtud in tauri opificio, quod oculi cornib. præpoſiti non eſſent, vbi maxime opus erat.

TH. O impiam licentiam & nequiſſimam proteruiam! Valeat itaq; cum peruerſo ſuo iudicio σύγιος μῶμος, vt ab antiquis dictus fuit. *Nos ſcimus, Dei opera omnibus plane numeris abſoluta eſſe*, adeo vt

—— Non vllum carpere Liuor
Poſſit opus Domini. καλῶς γὰρ πάντα πεποίηκε.

PH. Ad primũ lepide reſpondet Plutarchus: *Quid obſecro eos cancellos, eas feneſtas requiris, per quas alter alterius animum intueamur? Vinum abunde noſtra pectora recludit, perſonam frontisq. tectoriũ detrahens nobis, vt longiſſime à lege, ceu à padagogi latere recedentibus.* Aſtuti ergo iuxta Horatium,

Reges dicuntur multis vrgere calullis
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus.

Sic alius quidam aſſerit, hominis ingenium *in oculis, loculis & poculis* elucere.

EQ. Queruntur porro & alij diuinorum munerum iniqui æſtimatores, quod mole corporis non æquemus elephantos, velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros; q. ſagacitate narium nos canes vincant; acie luminum aquilæ; ſpatio ætatis corui. Imo vix ſibi quidam temperant, quin eo vſq; impudẽtiæ prouehantur, vt naturam oderint, quod infra Deum ſint conſtituti. Abſit iſta impietas, ab ipſis ethnicis ſanioribus exagitata.

PH. Scitiſſime Plutarchus ipſe Ethnicus illis reſpõdet: *Equi celeritas* ait, *in noſtrum cedit emolumentum: canum pugnacitas hominem tuetur: piſcium, ſuum, & id genus aliorũ alimur corpulentia: Elephas terribilis eſt ille quidẽ, & vaſto corpore, ſed adeo nobis obnoxius, vt tantam molem in ludicra verterimus. Itaq. ſi cui putet ac vilior eſt hominis ſtatus, ſic nos reprimamus: Non ineſt quidem nobis leonis robur, leporũ pernicitas, aquilæ viſus, taurorum impetus, &c. verum ineſt prudentia, diuinior mens ineſt, qua vnicuiq. iſtorum dominamur ad ſocietatem, vertimus ad delicias, & vtcunq. libuerit, verſamus. Adde q. ſocietas innata homini, aduerſus valentiſſima quaq. nos communiit validiſsime, ac dominari etiã mari iuſſit.*

TH. Chryſoſt. ſuper Matth. ſic reſpondet: Omnem creaturã ſenſibilem Deus armatam & munitam creauit, alios veloci pedũ curſu, alios vnguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem ſolum ſic diſpoſuit, ne virtus illius ſit ipſe Deus, & in eo quo inferiorem eum fecit, in ipſo fortiorem eſſe voluit in ſe, vt neceſſitate infirmitatis coactus, ſemp neceſſe habeat dominũ ſuum requirere.

PH. Quod ſi nulla alia in re, prçterquam in Ratione & Oratione brutis eſſemus ſuperiores, eſſet de quo ſummopere gloriaremur. Ratione namq; p̄ſtamus belluis, per q̄ coniectura valemus, argumētamur, refellimus, diſſerimus, cōficimus & cōcludimus: *Sermone* exprimere dicēdo ſenſa animi poſſumus, interq́; nos colloquimur. Solius ſapiētiſſimi architecti opus eſt oratio, multo vero magis ratio, q̄ ſane radius eſt quidã lucis diuinæ, quo ēt ea, quæ longe ſupra ſenſus poſita ſunt, apprehendere, adeoq; ad eũ penetrare poſſunt, à quo vis omnis intelligendi manat.

TH. Non ſermone duntaxat & ratione prævalemus, quibus ipſa bruta omnino ſunt deſtituta; ſed inſuper etiã finem, in quē à Deo in hanc vitã producti ſumus, atq; in quo omnis noſtra ſalus, corporis pariter atque animæ verſatur, feliciter poſſumus aſſequi. Is eſt, nimirum, ſecundum ſanam & rectam philoſophiam, omniũ præcipuus & maximus, cōplectens in ſe cæteros ſubordinatos, & eos de quibus tot cōſcripti ſunt libri, ꝓbatos vniuerſos: vt Deũ æternum omnipotentem, artificē & fabricatorem noſtrum atq; parentem cognoſcamus, cognitũ colamus & veneremur, adorantes & laudantes: Nō q̄ is vel cultu vel laudatione noſtra indigeat, beatiſſimus & pfectiſſimus in ſeipſo, ſed q̄ nobis illius bonitate ſit opus, & q̄ eius benignitate pfruamur, & in eius laudē & gloriã tendant ac finiantur vniuerſa, à quo & initiũ ſumpſerunt. Atq; ex eo ego ſane ita ſentio: non magis differre hominē à cæteris animantibus, brutis & mutis, vel ratione, vel ſermone, vel numerãdi noticia, vel riſu, quibus ſane differt multũ: vel deniq; re vlla, de quib. varia ſunt diſputata & multiplicia: q̄ ratione religioſa, qua & Deũ agnoſcit, & cultum ſe ei debere intelligit, eumq; præſtat. Ex tot n. animaliũ generib. nullũ eſt, vt Cicer. quoq; ait, præter hominē q̄ habeat noticiã aliq̄ Dei, ipſiſq; in hominib. nulla gens eſt, neq; tã immãſueta, neq; tã fera, q̄ non, etiãſi ignoret qualē Deum haberi deceat, tamē habendũ ſciat Et alibi: Nulla gēs vnq̄ tã fera aut immanis fuit, inquit. cuius mentem nō imbuerit Dei opinio. De quo etſi plurimæ more vitioſo praua ſenſerũt, (& adhuc ſentiũt) omnes tñ eſſe vim & naturam diuinã arbitrantur.

PH. Nulla tamen gens eſt, ſed neq; fuit vlla vnquam, q̄ verã erga Deũ religionē cōſtituere, vel inuenire ſaltē potuerit, ſine patefactione diuina. Quæ iam noua eſt doctrina, erudiens ſcholã Philoſophicã de eo q̄ ignorat, de lapſu videl. hominis atq; inſtauratione, in qua poſt hanc vitã caducam &

breui

breui tranſeuntē, ſpem & fiduciā homo vlteriorē collocare poteſt. In omni n. gentilitatis religione ſeu Theologia, quid eſt quæſo in quo fiduciā collocare quis poſſit. Annon multitudo deorum fœda eſt & horribilis? q̄ ipſa diuinā præſtantiā & vnitatē conuellit. In Iudaiſmo vero q̄d eſt, q̄ conſoletur animos poſt hanc vitā? Etſi enim oſtendit ſe Deus benigne illi populo, & p Prophetas notiorem ēt ſe facere voluit: Gens tamē duræ ceruicis gratiā diuinam excuſſit, nec Chriſtū ſeſe exhibentem recepit, & in miſerabili adhuc cæcitate viuit. Sed neq; in Alcorano & furorib. Mahometanis tale q̄d quæras ſaltē ne dicam inuenias.

TH. Sola proinde gens Chriſtiana doctrinā cœlitꝰ & benigne patefactam amplectens, & pura mente colens Chriſtū θεάνθρωπον, q̄ Dei filius eiuſdē cum patre naturæ exiſtens ita ſe adiunxit humanæ naturæ atq; cū ea copulauit, vt eam ex inuiolata virgine à Spiritu S. obumbrata indueritipſe, perq; ſanguinē ſuū atq; carnē (in qua paſſus eſt & mortuus: reſurrexit, rediit ad cœlos, ſedet & regnat in gloria Dei patris) incorporauerit ſibi tanq̄ membra vniuerſos & ſingulos homines, fide apprehendentes ipſum, & manētes in fiducia: Sola inq̄ ea gens ſpē habet & fiduciā vitę æternę, ſolaq; Deū verū trinū & vnū agnoſcit, ſola recto & vero cultu, ab ipſo Deo patefacto, colit, veneratur, laudat & amat in hoc Mundo q̄diu ille conſiſtet in ſuo ſtatu, & poſt hanc vitam ſæculis infinitis. Eius igitur amorē, eius verū cultū & venerationem, nō ſine ratione amplexi, eripi nobis, nec riſu p̄phano, nec contentionibus aut calumniis vllorū hominū patiamur; atq; eadem hæc præualebit contra diabolū ipſum, calumniatorum omniū parentem ac principem, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam.

PH. Hanc itaq; hominis notionem ex iam dictis elicio: *Homo eſt animal a Deo effectū, præſtans cæteris omnibus. nō modo corporis perfectione ac pulchritudine, q̄ gerit erectum, & manib. ſapientiæ ac rationis miniſtris ſingulariter ornatū & auctū: ſed intelligentia quoq; & mente ac rationis lumine lōge cæteris præcellēs, cuius præſidio numerat & ratiocinatur, ſolumque quid pulchrū, quid rectū ſit, agnoſcit: productū in hūc mundum in eum præcipue finē, vt Deū conditorē ſuum agnoſcat, agnitum linguæ ac ſermonis beneficio, q ei propterea vnico obtigit, inſtituto cultu & religione (qua ſola eminet gens Chriſtiana diuinitus inſtituta) recte colat, inuocet, ac celebret, quam diu conceditur in hac vita morti obnoxia, & quod pie credimus, in ſecutura ſæculis infinitis.* Homo quid.

TH. Huic Deo trino, & vni, omnipotenti, iuſto & miſericor-

 di,

di, omnes, gratias agamus, quod homines nati ſumus, ſempiternas, honorantes eum non modo labiis, ſed toto corde, confitentes eum ore, & non negantes operibus, vt impii & iniuſti faciunt, & omnes illi qui religionem atque actiones vniuerſas accommodãt aucupationi gloriæ tantũ, & pręſentis vitæ cõmodis, quorũ Deus venter eſt & culina; quos quidem ego impios viuis & genuinis ſuis colorib. graphice depingerẽ, niſi limites inſtituti noſtri vt tranſgrederer, metuerem.

EQ. In tranſcurſu quædã delibare, non erit abſonũ; quinimo quũ de hominis ortu, ac natiuitate, educatione atq; indole, pro re nata cõmode nobis ſermo habẽdus ſit, ꝓinde eorũ q̃ innuis, omnino mẽtio intermitti nõ poteſt.

PH. Humani certe corporis fabricã & harmoniã multi ſcite deſcripſerunt, & oẽs merito admirati ſunt, tanq̃ præcipuũ & excellens Dei opificiũ. Mitto eos, qui imaginati ſunt quãdã non diſſimilẽ faciẽ in Luna antea impreſſ m fuiſſe, ſicuti diſputat Plut. in ſympoſiacis, & Cicer. horũ lineamentorũ Lunæ meminit *in libris Acad.* de hominis animo q d dicã? Moſes ait, Deũ creaſſe hominem ad imaginẽ ſuam. Lucebat ſane in Sole atq; adeo in vniuerſi mundi mole & cõpage non obſcura Dei imago; ſed in homine, & eius prę-ſertim animo, expreſſa q̃dam fuit melior veriorq; effigies Dei. Itaq; nõ abſq; ratione Iſidorus hominẽ definit, q. ſit animal deforme, mãſuetũ natura, ſecundũ legẽ rationis diſciplinę ſuſceptibil, diuinã habens imaginẽ in potentia cognoſcendi, & ſimilitudinẽ in potentia diligendi. Quid q; ipſe Dauid propheta, quãdo reputat, q bus hominẽ creatũ facultatib. & beneficiis cumularit Deus, attonitus ꝓpe obſtupeſcit: ait, ſeſe in mundi creatione contẽplari q̃ ſit admirabilis Deus; ſed ſe multo magis mirari effuſam Dei bonitatẽ in hominis conditione. *Pſ 8.*

TH. Recte ſane, ſed idẽ in Pſal 48. tãto magis deteſtatur ingrati hominis plusq̃ beluinã vecordiã: & ꝓpterea quem tantopere alias attollit, poſtea tanq̃ animal deiicit. Proinde ipſa intẽtio Dauidis vtrobiuis attendenda atq; diſcernenda eſt. Tantoq; magis ẽt nos meminiſſe oportet, rem nobis fore cũ hominib. non eius cõdi io nis, in qua creatus priu.ũ Adam fuit, ſed eius q̃ peccatũ ipſius eſt cõſecuta. Nã poſteritas ab homine iam corrupto traxit originem atq; exinde cognoſcendũ, qualis ſit hominum natura, quale ingenium, quales affectus. Sane cum à principio creatus eſſet homo ad imaginẽ Dei, potuit non peccare: ſed ab ea pfectione & excellenti ſtatu, in quo conditus erat, ſuperbia

perbia & inobedientia defecit: deiectuſque eſt ſua culpa ab integritate ſuæ originis, ſeque ſimul, ac totam ſuam poſteritatem inuoluit maledictioni, ac damnationi æternæ. Omne genus humanum, quod ab impuro primi hominis ſemine propagatum eſt, perditioni eſt dicatum. Ne tamen in deſperationem præceps rueret, ſtatim conſolationem audiuit clementiſſimi Dei: qui illi liberatorem, & ſeruatorem promiſit: in quem omnium oculos erigi iubet, tanquam in portum noſtræ ſalutis certum, & vnicum. Illi quicunq; firma fide adhæſerit, priori ſtatui, imo excellētiori multo reſtituitur. Adoptantur enim fideles per Ieſum Chriſtum, & filii Dei fiunt, ſanctificati & ſeruati gratia: neque illis reſtat vlla cōdemnatio: Deum habent propitium, & reconciliatum: & ſeruitio diaboli excuſſo liberi redduntur: Reliqui verò, qui iuſto Dei iudicio in ſua cæcitate relinquūtur, ii tota vita peccatis obruti, condemnationem ſibi theſaurizant, ruinam, & mortem æternam: Idq; ſua culpa: Nam Deus author mali non eſt: Quod nos ſeruamur, Dei miſericordia id beneficium conſequimur. Impii & reprobi iudicium Dei ſentiunt, vt illius iuſtitia manifeſtetur in filios iræ ipſius. Conducit legem Domini nobis ante oculos proponere: vt in ea tanquam in ſpeculo contemplemur, non ſolum quales ſimus, ſed quales eſſe debeamus: & quā longè ab illa perfectione abſimus, quæ à Deo requiritur: vt agnitione noſtræ miſeriæ & imperfectionis redemptionem noſtram ęſtimemus: perfectionemque noſtram aliunde, quam ex nobis petamus: nempe ex Chriſto, qui pro nobis fideiuſſor factus apud ęternum Patrem ſuum debita noſtra ſoluit, & iuſtitiæ diuinæ perfecta obedientia ſatiſfecit. Lex igitur pædagogi inſtar, fideles adducit ad Chriſtum: per quem adoptati, & Spiritu eius ſanctificati, ex maſſa illa maledictionis eximimur, & filii Dei ſingulari clemētia & beneficio gratis reddimur. Hinc eſt quod pie admodum ſcribit Bernhard. *de diligendo Deo*: Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus, quam factus. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & mihi ſe dedit, meque mihi reddidit, datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Sed quid Domino pro ſe retribuam? nam et ſi me millies rependere poſſim, quid ſum ad Dominum meum?

PH. Ineffabilis certe hæc Dei bonitas eſt, quæ Ethnicis quantumuis ſanctioribus ac Philoſophis

cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam vt homines turpiter nequiterque viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſ.* Ad alterum vero quod obtendis, nimirum ad educationem hominis plurimum requiri temporis, animantia vero exiguo dierum ſpacio vt plurimum pabulum poſſe quærere; dico ego, animantia, præterquam quod anima ipſorum corpori plane eſt immerſa, inſuper etiam ad hoc maturam ipſorum ſuccretionem Deus impreſſit atque conſtituit vt eo citius hominum vſui poſſint inſeruire, quippe qui opus habet ipſorum ſeruitio; quo ipſo etiam indubitatum hominis in bruta dominium ſatis euidenter aſtruitur.

Animantiū generatio.

PH. Aſtipulor. At enim non eſt vna eademque animantium cum hominibus, quin etiam nec ipſorum inter ſe animantiũ multiplicationis ſpecierum atque indiuiduorum inter ſe inuicem ratio. Vt enim de aquatilium genere primum dicam, conſtat per experientiam longo temporum vſu obſeruatam quędam rore cęleſti concipere, & ex limo & putredine erumpere experientia docuit. Anguillę præterea, quum varietatem ſexus neſciant, ſcopulorum attritu ſtrigmenta quædam poſt ſe relinquunt, quæ tandem cæleſti radiorum influxu in anguillas transformari certum eſt. Et quod ad reliqua attinet animantia, quæ ſexus diſcrimen admittunt, quantumuis eodem modo, hoc eſt, maris & fœminæ congreſſu concipiant, maxima tamen eſt differentia in excludendis atque enutriendis fœtibus. Nam cum piſces & aquatilia omnia vẽtorum attritu coire dicantur, idque ea celeritate, vt viſum ſubterfugiant, non tamen perfectum & elaboratum eſt id quod vtero conceperunt. Neque enim quæ vtero geſtant oua fæmellæ, vitam prius accipiunt, quam matris vtero excluſa, virili ſemine iam iterum aſpergantur. Volatilia vero quod attinet, ea ſane omnia eandem prolificãdi rationem ſeruant, idemque omnibus pullos producendi modus, quanquam id non eodem temporis interuallo, ſola excepta veſpertilione, quæ inter volucres animal parit, atque id lacte nutrit, vbera admouens; amplexa etenim geminos pullos volare dicitur ſecumque deportare. Reptilia autem aut greſſibilia in animantium genere, vti plurimum differunt, ita alia aliis modis catulos ſuos producunt; murium ſiquidem generatio, authore Ariſtotele, lambendo conſtare, non coitu dicitur: eoſdem ſale guſtato nonnulli opinantur fieri

fieri prægnantes. Diodorus Siculus ex limo Nili eoſdem naſci contendit. Vrſus etiam ſicut diuerſum ab aliis coeundi modum habet, (nam amplexibus quibuſdam mutuis velut humanis coniugationibus copulari dicitur, quemadmodum author eſt Solinus) ita quam maxime alienum ab aliis animantib. catulum producit: partus enim tempore carneam quandam maſſam efformē proiicit, quam ſenſim lambendo in animalis formam transfigurat. Leonum catuli in tertium vſque diem exanimes conſpiciuntur, canes etiam cæcos producunt catulos. Præterea quibus ſolidæ ſunt vngulæ ſingulos pariunt, quæ biſulcas habent vngulas, binos vt plurimum producunt, quorum autem in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, numeroſiora in fætu ſunt.

E Q. Hoc ipſum eſt, quod intendo. Cum enim pleraq; , quod ipſe iam dixiſti, leuibus conſtent generationis initiis atq; primordiis, homo vero econtra; proinde vel ex hac ſola ratione hominem multis imo infinitis paraſangis præferri cæteris animantibus in confeſſo eſt, quod vſque adeo verum eſt, vt etiam τὰ χαλεπὰ τὰ καλά, difficilia eſſe, quæ pulchra; in prouerbiū abierit. Quod enim ad hominem attinet, is anima & corpore conſtat; atque illa quidem à Deo, hoc eſt, à diuino ſpiritu originem traxit: ſiquidem poſteaquam Altiſſimus hominem ex limo terræ creaſſet, inflauit ei ſpiritum vitæ, factuſq; eſt Adam in animam viuentem, adeo vt hac parte homo ſupra cælos, hoc eſt, ad Deum ipſum, vtpote cuius diuina planè ſit origo, aſcendat, proindeque in hac totius mundi machina nullum ſit expreſſius Dei veſtigium, quā anima; nam & ſe ipſum, hoc eſt, imaginem ſuam in homine voluit expreſſam; hinc rectè Philo Iudæus hominem veri Dei ſimulacrum & numiſma verbo Dei ſignatum appellauit. Ad corpus hominis quod attinet, quod ex limo terræ creatum ſacræ literæ atteſtantur, conſummatiſſimam huic figuram ipſe rerum opifex in ipſis generationis principiis conceſſit, pannieulis enim inuolutus infantulus in globum atq; orbem in materno vtero excipitur, quæ quidem figura non modo omnium pulcherrima eſt, verum etiam omnibus modis optima; quippe nulla eſt figura quæ difficilius ab omnibus iniuriis lædatur, adeoque in formatione hominis, potentia Dei vel maxime fiat illuſtris, id quod prolixè hactenus dictum fuit.

PH. Miram eſſe hominis certiſq; numeris ac gradibus ſibi vſquequaque inuicem correſpon- *Hominis generatio, numero ſeptenario.*

T denti-

cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam vt homines turpiter nequiterque viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari. *Panor. lib 3. de reb. geſt. Alphonſ.* Ad alterum vero quod obtendis, nimirum ad educationem hominis plurimum requiri temporis, animantia vero exiguo dierum ſpacio vt plurimum pabulum poſſe quærere; dico ego, animantia, prætérquam quod anima ipſorum corpori plane eſt immerſa, inſuper etiam ad hoc maturam ipſorum ſuccretionem Deus impreſſit atque conſtituit vt eo citius hominum vſui poſſint inſeruire, quippe qui opus habet ipſorum ſeruitio; quo ipſo etiam indubitatum hominis in bruta dominium ſatis euidenter aſtruitur.

Animantiū generatio.

PH. Aſtipulor. At enim non eſt vna eademque animantium cum hominibus, quin etiam nec ipſorum inter ſe animantiū multiplicationis ſpecierum atque individuorum inter ſe inuicem ratio. Vt enim de aquatilium genere primum dicam, conſtat per experientiam longo temporum vſu obſeruatam quędam rore cęleſti concipere, & ex limo & putredine erumpere experientia docuit. Anguillę præterea, quum varietatem ſexus neſciant, ſcopulorum attritu ſtrigmenta quædam poſt ſe relinquunt, quæ tandem cæleſti radiorum influxu in anguillas transformari certum eſt. Et quod ad reliqua attinet animantia, quæ ſexus diſcrimen admittunt, quantumuis eodem modo, hoc eſt, maris & fœminæ congreſſu concipiant, maxima tamen eſt differentia in excludendis atque enutriendis fœtibus. Nam cum piſces & aquatilia omnia vētorum attritu coire dicantur, idque ea celeritate, vt viſum ſubterfugiant, non tamen perfectum & elaboratum eſt id quod vtero conceperunt. Neque enim quæ vtero geſtant oua fæmellæ, vitam prius accipiunt, quam matris vtero excluſa, virili ſemine iam iterum aſpergantur. Volatilia vero quod attinet, ea ſane omnia eandem prolificādi rationem ſeruant, idemque omnibus pullos producendi modus, quanquam id non eodem temporis interuallo, ſola excepta veſpertilione, quæ inter volucres animal parit, atque id lacte nutrit, vbera admouens; amplexa etenim geminos pullos volare dicitur ſecumque deportare. Repilia autem aut greſſibilia in animantium genere, vt plurimum differunt, ita alia aliis modis catulos ſuos producunt: murium ſiquidem generatio, authore Ariſtotele, lambendo conſtare, non coitu dicitur: eoſdem ſale guſtato nonnulli opinantur fieri

fieri prægnantes. Diodotus Siculus ex limo Nili eoſdem naſci contendit. Vrſus etiam ſicut diuerſum ab aliis coeundi modum habet, (nam amplexibus quibuſdam mutuis velut humanis coniugationibus copulati dicitur, quemadmodum author eſt Solinus) ita quam maxime alienum ab aliis animantib. catulum producit: partus enim tempore carneam quandam maſſam efformē proiicit, quam ſenſim lambendo in animalis formam transfigurat. Leonum catuli in tertium vſque diem exanimes conſpiciuntur, canes etiam cæcos producunt catulos. Præterea quibus ſolidæ ſunt vngulæ ſingulos pariunt, quæ biſulcas habent vngulas, binos vt plurimum producunt, quorum autem in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, numeroſiora in fætu ſunt.

E. Q. Hoc ipſum eſt, quod intendo. Cum enim pleraq;, quod ipſe iam dixiſti, leuibus conſtent generationis initiis atq; primordiis, homo vero econtra; proinde vel ex hac ſola ratione hominem multis imo infinitis paraſangis præferri cæteris animantibus in confeſſo eſt, quod vſque adeo verum eſt, vt etiam *τὰ χαλεπὰ τὰ καλά*, difficilia eſſe, quæ pulchra; in prouerbiū abierit. Quod enim ad hominem attinet, is anima & corpore conſtat; atque illa quidem à Deo, hoc eſt, à diuino ſpiritu originem traxit: ſiquidem poſteaquam Altiſſimus hominem ex limo terræ creaſſet, inflauit ei ſpiritum vitæ, factuſq; eſt Adam in animam viuentem, adeo vt hac parte homo ſupra cælos, hoc eſt, ad Deum ipſum, vtpote cuius diuina planè ſit origo, aſcendat, proindeque in hac totius mundi machina nullum ſit expreſſius Dei veſtigium, quā anima; nam & ſe ipſum, hoc eſt, imaginem ſuam in homine voluit expreſſam; hinc recte Philo Iudæus hominem veri Dei ſimulacrum & numiſma verbo Dei ſignatum appellauit. Ad corpus hominis quod attinet, quod ex limo terræ creatum ſacræ literæ atteſtantur, conſummatiſſimam huic figuram ipſe rerum opifex in ipſis generationis principiis conceſſit, panniculis enim inuolutus infantulus in globum atq; orbem in materno vtero excipitur, quæ quidem figura non modo omnium pulcherrima eſt, verum etiam omnibus modis optima; quippe nulla eſt figura quæ difficilius ab omnibus iniuriis lædatur, adeoque in formatione hominis, potentia Dei vel maxime fiat illuſtris, id quod prolixè hactenus dictum fuit.

PH. Miram eſſe hominis certiſq; numeris ac gradibus ſibi vſquequaque inuicem correſponden- *Hominis generatio, numero ſeptenario.*

 denti-

cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam vt homines turpiter nequiterque viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſ.* Ad alterum vero quod obtendis, nimirum ad educationem hominis plurimum requiri temporis, animantia vero exiguo dierum ſpacio vt plurimum pabulum poſſe quærere; dico ego, animantia, præterquam quod anima ipſorum corpori plane eſt immerſa, inſuper etiam ad hoc maturam ipſorum ſuccretionem Deus impreſſit atque conſtituit vt eo citius hominum vſui poſſint inſeruire, quippe qui opus habet ipſorum ſeruitio; quo ipſo etiam indubitatum hominis in bruta dominium ſatis euidenter aſtruitur.

Animantium generatio. *PH.* Aſtipulor. At enim non eſt vna eademque animantium cum hominibus, quin etiam nec ipſorum inter ſe animantiũ multiplicationis ſpecierum atque indiuiduorum inter ſe inuicem ratio. Vt enim de aquatilium genere primum dicam, conſtat per experientiam longo temporum vſu obſeruatam quędam rore cęleſti concipere, & ex limo & putredine erumpere experientia docuit. Anguillę præterea, quum varietatem ſexus neſciant, ſcopulorum attritu ſtrigmenta quædam poſt ſe relinquunt, quæ tandem cæleſti radiorum influxu in anguillas transformari certum eſt. Et quod ad reliqua attinet animantia, quæ ſexus diſcrimen admittunt, quantumuis eodem modo, hoc eſt, maris & fœminæ congreſſu concipiant, maxima tamen eſt differentia in excludendis atque enutriendis fœtibus. Nam cum piſces & aquatilia omnia vẽtorum attritu coire dicantur, idque ea celeritate, vt viſum ſubterfugiant, non tamen perfectum & elaboratum eſt id quod vtero conceperunt. Neque enim quæ vtero geſtant oua fæmellæ, vitam prius accipiunt, quam matris vtero excluſa, virili ſemine iam iterum aſpergantur. Volatilia vero quod attinet, ea ſane omnia eandem prolificãdi rationem ſeruant, idemque omnibus pullos producendi modus, quanquam id non eodem temporis interuallo, ſola excepta veſpertilione, quæ inter volucres animal parit, atque id lacte nutrit, vbera admouens, amplexa etenim geminos pullos volare dicitur ſecumque deportare. Reptilia autem aut greſſibilia in animantium genere, vt plurimum differunt, ita alia aliis modis catulos ſuos producunt: murium ſiquidem generatio, au thore Ariſtotele, lambendo conſtare, non coitu dicitur: eoſdem ſale guſtato nonnulli opinantur fieri

fieri prægnantes. Diodorus Siculus ex limo Nili eoſdem naſci contendit. Vrſus etiam ſicut diuerſum ab aliis coeundi modum habet, (nam amplexibus quibuſdam mutuis velut humanis coniugationibus copulari dicitur, quemadmodum author eſt Solinus) ita quam maxime alienum ab aliis animantib. catulum producit: partus enim tempore carneam quandam maſſam efformẽ proiicit, quam ſenſim lambendo in animalis formam transfigurat. Leonum catuli in tertium vſque diem exanimes conſpiciuntur, canes etiam cæcos producunt catulos. Præterea quibus ſolidæ ſunt vngulæ ſingulos pariunt, quæ biſulcas habent vngulas, binos vt plurimum producunt, quorum autem in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, numeroſiora in fætu ſunt.

E.Q. Hocipſum eſt, quod intendo. Cum enim pleraq;, quod ipſe iam dixiſti, leuibus conſtent generationis initiis atq; primordiis, homo vero econtra; proinde vel ex hac ſola ratione hominem multis imo infinitis paraſangis præferri cæteris animantibus in confeſſo eſt, quod vſque adeo verum eſt, vt etiam τὰ χαλεπὰ τὰ καλά, difficilia eſſe, quæ pulchra; in prouerbiũ abierit. Quod enim ad hominem attinet, is anima & corpore conſtat; atque illa quidem à Deo, hoc eſt, à diuino ſpiritu originem traxit: ſiquidem poſteaquam Altiſſimus hominem ex limo terræ creaſſet, inſlauit ei ſpiritum vitæ, factuſq; eſt Adam in animam viuentem, adeo vt hac parte homo ſupra cælos, hoc eſt, ad Deum ipſum, vtpote cuius diuina planè ſit origo, aſcendat, proindeque in hac totius mundi machina nullum ſit expreſſius Dei veſtigium, quã anima; nam & ſe ipſum, hoc eſt, imaginem ſuam in homine voluit expreſſam; hinc recte Philo Iudæus hominem veri Dei ſimulacrum & numiſma verbo Dei ſignatum appellauit. Ad corpus hominis quod attinet, quod ex limo terræ creatum ſacræ literæ atteſtantur, conſummatiſſimam huic figuram ipſe rerum opifex in ipſis generationis principiis conceſſit, pannieulis enim inuolutus infantulus in globum atq; orbem in materno vtero excipitur, quæ quidem figura non modo omnium pulcherrima eſt, verum etiam omnibus modis optima; quippe nulla eſt figura quæ difficilius ab omnibus iniuriis lædatur, adeoque in formatione hominis, potentia Dei vel maxime fiat illuſtris; id quod prolixè hactenus dictum fuit.

PH. Miram eſſe hominis certiſq; numeris ac gradibus ſibi vſquequaque inuicem correſpondenti- *Hominis generatio, numero ſeptenario.*

T denti-

cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam vt homines turpiter nequiterque viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſ.* Ad alterum vero quod obtendis, nimirum ad educationem hominis plurimum requiri temporis, animantia vero exiguo dierum ſpacio vt plurimum pabulum poſſe quærere; dico ego, animantia, præterquam quod anima ipſorum corpori plane eſt immerſa, inſuper etiam ad hoc maturam ipſorum ſuccretionem, Deus impreſſit atque conſtituit vt eo citius hominum vſui poſſint inſeruire, quippe qui opus habet ipſorum ſeruitio; quo ipſo etiam indubitatum hominis in bruta dominium ſatis euidenter aſtruitur.

Animantiũ generatio.

PH. Aſtipulor. At enim non eſt vna eademque animantium cum hominibus, quinetiam nec ipſorum inter ſe animantiũ multiplicationis ſpecierum atque individuorum inter ſe inuicem ratio. Vt enim de aquatilium genere primum dicam, conſtat per experientiam longo temporum vſu obſeruatam quędam rore cęleſti concipere, & ex limo & putredine erumpere experientia docuit. Anguillę præterea, quum varietatem ſexus neſciant, ſcopulorum attritu ſtrigmenta quædam poſt ſe relinquunt, quæ tandem cæleſti radiorum influxu in anguillas transformari certum eſt. Et quod ad reliqua attinet animantia, quæ ſexus diſcrimen admittunt, quantumuis eodem modo, hoc eſt, maris & fœminæ congreſſu concipiant, maxima tamen eſt differentia in excludendis atque enutriendis fœtibus. Nam cum piſces & aquatilia omnia vẽtorum attritu coire dicantur, idque ea celeritate, vt viſum ſubterfugiant, non tamen perfectum & elaboratum eſt id quod vtero conceperunt. Neque enim quæ vtero geſtant oua fœmellæ, vitam prius accipiunt, quam matris vtero excluſa, virili ſemine iam iterum aſpergantur. Volatilia vero quod attinet, ea ſane omnia eandem prolificãdi rationem ſeruant, idemque omnibus pullos producendi modus, quanquam id non eodem temporis interuallo, ſola excepta veſpertilione, quæ inter volucres animal parit, atque id lacte nutrit, vbera admouens; amplexa etenim geminos pullos volare dicitur ſecumque deportare. Reptilia autem aut greſſibilia in animantium genere, vti plurimum differunt, ita alia aliis modis catulos ſuos producunt; murium ſiquidem generatio, authore Ariſtotele, lambendo conſtare, non coitu dicitur: eoſdem ſale guſtato nonnulli opinantur fieri

fieri prægnanres. Diodorus Siculus ex limo Nili eoſdem naſci contendit. Vrſus etiam ſicut diuerſum ab aliis coeundi modum habet, (nam amplexibus quibuſdam mutuis velut humanis coniugationibus copulari dicitur, quemadmodum author eſt Solinus) ita quam maxime alienum ab aliis animantib. catulum producit: partus enim tempore carneam quandam maſſam efformē proiicit, quam ſenſim lambendo in animalis formam transfigurat. Leonum catuli in tertium vſque diem exanimes conſpiciuntur, canes etiam cæcos producunt catulos. Prætetea quibus ſolidæ ſunt vngulæ ſingulos patiunt, quæ biſulcas habent vngulas, binos vt plurimum producunt, quorum autem in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, numeroſiora in fætu ſunt.

E Q. Hoc ipſum eſt, quod intendo. Cum enim plerąq;, quod ipſe iam dixiſti, leuibus conſtent generationis initiis atq; primordiis, homo vero econtra; proinde vel ex hac ſola ratione hominem multis imo infinitis paraſangis præferri cæteris animantibus in confeſſo eſt, quod vſque adeo vetum eſt, vt etiam τὰ χαλεπὰ τὰ καλά, difficilia eſſe, quæ pulchra, in prouerbiū abierit. Quod enim ad hominem attinet, is anima & corpore conſtat; atque illa quidem à Deo, hoc eſt, à diuino ſpiritu originem traxit: ſiquidem poſteaquam Altiſſimus hominem ex limo terræ creaſſet, inflauit ei ſpiritum vitæ, factuſq; eſt Adam in animam viuentem, adeo vt hac parte homo ſupra cælos, hoc eſt, ad Deum ipſum, vtpote cuius diuina planè ſit origo, aſcendat, proindeque in hac totius mundi machina nullum ſit expreſſius Dei veſtigium, quā anima; nam & ſe ipſum hoc eſt, imaginem ſuam in homine voluit expreſſam; hinc rectè Philo Iudæus hominem veri Dei ſimulacrum & numiſma verbo Dei ſignatum appellauit. Ad corpus hominis quod attinet, quod ex limo terræ creatum ſacræ literæ atteſtantur, conſummatiſſimam huic figuram ipſe rerum opifex in ipſis generationis principiis conceſſit, panniculis enim inuolutus infantulus in globum atq; orbem in materno vtero excipitur, quæ quidem figura non modo omnium pulcherrima eſt, verum etiam omnibus modis optima; quippe nulla eſt figura quæ difficilius ab omnibus iniuriis lædatur, adeoque in formatione hominis, potentia Dei vel maxime fiat illuſtris; id quod prolixè hactenus dictum fuit.

PH. Mitam eſſe hominis certiſq; numeris ac gradibus ſibi vſquequaque inuicem correſpondenti-

Hominis generatio, numero ſeptenario.

di, omnes, gratias agamus, quod homines nati ſumus, ſempiternas, honorantes eum non modo labiis, ſed toto corde, confitentes eum ore, & non negantes operibus, vt impii & iniuſti faciunt, & omnes illi qui religionem atque actiones vniuerſas accommodãt aucupationi gloriæ tantũ, & præſentis vitæ cõmodis, quorũ Deus venter eſt & culina; quos quidem ego impios viuis & genuinis ſuis colorib. graphice depingerẽ, niſi limites inſtituti noſtri vt tranſgrederer, metuerem.

E Q. In tranſcurſu quædã delibare, non erit abſonũ; quinimo quũ de hominis ortu, ac natiuitate, educatione atq; indole, pro re nata cõmode nobis ſermo habẽdus ſit, ꝓinde eorũ q̃ innuis, omnino mẽtio intermitti nõ poteſt.

PH. Humani certe corporis fabricã & harmoniã multi ſcite deſcripſerunt, & oẽs merito admirati ſunt, tanq̃ præcipuũ & excellens Dei opificiũ. Mitto eos, qui imaginati ſunt quandã non diſſimilẽ faciẽ in Luna antea impreſſam fuiſſe, ſicuti diſputat Plut. in ſympoſiacis, & Cicer. horũ lineamentorũ Lunæ meminit *in libris Acad.* de hominis animo q̃d dicã? Moſes ait, Deũ creaſſe hominem ad imaginẽ ſuam. Lucebat ſane in Sole atq; adeo in vniuerſi mundi mole & cõpage non obſcura Dei imago; ſed in homine, & eius præſertim animo, expreſſa q̃dam fuit melior veriorq; effigies Dei. Itaq; nõ abſq; ratione Iſidorus hominẽ definit, q̃ ſit animal deforme, mãſuetũ natura, ſecundũ legẽ rationis diſciplinę ſuſceptibile, diuinã habens imaginẽ in potentia cognoſcendi, & ſimilitudinẽ in potentia diligendi. Quid q̃ ipſe Dauid propheta, quãdo reputat, quibus hominẽ creatũ facultatib. & beneficiis cumulatit Deus, attonitus ꝓpe obſtupeſcit: ait, ſeſe in mundi creatione contẽplari q̃ ſit admirabilis Deus; ſed ſe multo magis mirari effuſam Dei bonitatẽ in hominis conditione. *Pſ. 8.*

TH. Recte ſane, ſed idẽ in Pſal 48. tãto magis deteſtatur ingrati hominis plusq̃ beluinã vecordiã: & ꝓpterea quem tantopere alias attollit, poſtea tanq̃ animal deiicit. Proinde ipſa intẽtio Dauidis vtrobiuis attendenda atq; diſcernenda eſt. Tantoq; magis ẽt nos meminiſſe oportet, rem nobis fore cũ hominib. non eius cõditionis, in qua creatus primũ Adamus fuit, ſed eius q̃ peccatũ ipſius eſt cõſecuta. Nã poſteritas ab homine iam corrupto traxit originem; atq; exinde cognoſcendũ, qualis ſit hominum natura, quale ingenium, quales affectus. Sane cum à principio creatus eſſet homo ad imaginẽ Dei, potuit non peccare: ſed ab ea pfectione & excellenti ſtatu, in quo conditus erat, ſuperbia

Digitized by Google

perbia & inobedientia defecit: deiectuſque eſt ſua culpa ab integritate ſuæ originis, ſeque ſimul, ac totam ſuam poſteritatem inuoluit maledictioni, ac damnationi æternæ. Omne genus humanum, quod ab impuro primi hominis ſemine propagatum eſt, perditioni eſt dicatum. Ne tamen in deſperationem præceps rueret, ſtatim conſolationem audiuit clementiſſimi Dei, qui illi liberatorem, & ſeruatorem promiſit: in quem omnium oculos erigi iubet, tanquam in portum noſtræ ſalutis certum, & vnicum. Illi quicunq; firma fide adhæſerit, priori ſtatui, imo excellẽtiori multo reſtituitur. Adoptantur enim fideles per Ieſum Chriſtum, & filii Dei fiunt, ſanctificati & ſeruati gratia: neque illis reſtat vlla cõdemnatio: Deum habent propitium, & reconciliatum: & ſeruitio diaboli excuſſo liberi redduntur: Reliqui verò, qui iuſto Dei iudicio in ſua cæcitate relinquũtur, ii tota vita peccatis obruti, condemnationem ſibi theſaurizant, ruinam, & mortem æternam: Idq; ſua culpa: Nam Deus author mali non eſt: Quod nos ſeruamur, Dei miſericordia id beneficium conſequimur. Impii & reprobi iudicium Dei ſentiunt, vt illius iuſtitia manifeſtetur in filios iræ ipſius. Conducit legem Domini nobis ante oculos proponere: vt in ea tanquam in ſpeculo contemplemur, non ſolum quales ſimus, ſed quales eſſe debeamus: & quã longè ab illa perfectione abſimus, quæ à Deo requiritur: vt agnitione noſtræ miſeriæ & imperfectionis redemptionem noſtram ęſtimemus: perfectionemque noſtram aliunde, quam ex nobis peramus: nempe ex Chriſto, qui pro nobis fideiuſſor factus apud ęternum Patrem ſuum debita noſtra ſoluit, & iuſtitiæ diuinæ perfecta obedientia ſatiſfecit. Lex igitur pædagogi inſtar, fideles adducit ad Chriſtum: per quem adoptati, & Spiritu eius ſanctificati, ex maſſa illa maledictionis eximimur, & filii Dei ſingulari clemẽtia & beneficio gratis reddimur. Hinc eſt quod piè admodum ſcribit Bernhard: *de diligendo Deo*: Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus, quam factus. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & mihi ſe dedit, meque mihi reddidit, datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Sed quid Domino pro ſe retribuam? nam etſi me millies rependere poſſim, quid ſum ad Dominum meum?

PHI. Ineffabilis certe hæc Dei bonitas eſt, quæ Ethnicis quantumuis ſanctioribus ac Philoſophis

omnino ignota fuit, atque hic factū, quod intēperanter haud rarò atq; inſulſe hominis conditionē laudāt & admirantur, atq; è conuerſo etiam eiuſdem imbecillitatem & miſeriam, quaſi in ea primùm fuerit creatꝰ homo, deplorant, audentq; dicere, hominem non tam à Deo Patre, quam abs nouerca natura editum eſſe.

TH. Eſt ergo, quod eo ardentius pro clementiſſima hac patefactione, quam nobis Deus contulit, ipſi agamus gratias; nec eſt, quod more Ethnico Deum naturamve incuſemus, quū nihil vnquam nobis accidere fortuito, ſed ex diuina prouidentia & voluntate, certo nobis conſtet, proinde omnis vitæ curſus quantumuis difficilis & ærumnoſus patienter nobis tolerandus & alacri animo tranſigendus.

EQ. Hæc nimirum eſt hominis conditio, atq; hic vitæ humanæ curſus; vt ſingulis momentis ad mortem propius progrediatur. *Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus, omnibus eſt vitæ.* Itaque ad mortem potius quam ad vitam vt ſe accingat, adeoque ſemper ſibi adeſſe extremum diem vt putet homo operæpretium eſt.

TH. Omnino vero, atque eo magis, quod non tantum in hoc vitæ theatro nihil eſt perpetuum datum, ſed etiam in luctu & miſeriis, ipſa mors ærumnarum requies, non cruciatus eſt. Vetat tamen nihilominus Deus illius iniuſſu nos hinc demigrare. Non recipio, inquit D. Auguſtin. tales animas, quæ me nolente, è corpore exierunt. Piis omnibus eſt animus in cuſtodia corporis retinēdus; nec iniuſſu eius, à quo ille eſt nobis datus, è vita diſcedendum eſt: ne munus aſſignatū à Deo defugiſſe videamur. At ſi quid tale acciderit, vt à Deo denunciatum videatur, vt exeamus è vita, læti & agētes gratias pareamus: emittiq; nos è cuſtodia, & leuari vinculis arbitremur: vt omni moleſtia ac dolore liberati, animo prompto ac ſecuro ſimus volenteſq; in æternum, & planè noſtram domū remigremus. Sin autem nihil denunciabitur, eo tamen animo ſimus, vt horribilem illum diem aliis, nobis fauſtū & felicē putemus: nihilq; in malis ducamus, quod ſit à Deo immortali conſtitutum. Nouit Pater ille cæleſtis quid nobis ſit expediens, quid vtile, quid neceſſarium: nihil quicquam nobis deerit eorum, quæ requirūtur ad noſtram ſalutem, ſi ex illius prouidentia pendeamus, & nos illi vltro ſubmittamus. Siue longa, ſiue breuis nobis vita concedatur, eam totam ita impendamus, ne à Deo noſtra mens deflectatur. In

longo

longo dierum numero nulla felicitas ſtatui poteſt, ſed in meditatione beneficiorum, quæ aſſiduè à cæleſti numine recipimus: & in illius miſericordia, qua nos in Chriſto Ieſu complectitur: noſq; gratuito, & perditione generali exemptos ſibi conciliat, & regni cęleſtis heredes facit. Tum demum erimus beati, cū corporibus relictis, cupiditatū & peccatorum erimus expertes: & pręſentia Dei Altiſſimi fruemur: eaque vita æterna, quam Deus promiſit iis omnib. qui Ieſum Chriſtum ſeruatorem fide amplexi, remiſſionem peccatorum illo mediante & ſatisfactore conſequentur.

E Q. Recte quidem hæc & piè à te dicuntur, atqui vtinam etiam piè ab omnibus crederentur? Ac ſanè D. Bernhardus ineffabilis huiuſce Dei erga nos miſericordiæ conſiderationem deuotam grauiter inculcat, *in tract. de miſericordia Dei*: Admoneo te, inquit, vt ſine intermiſſionib. recorderis, quā dulcis & quam bonus ſit erga te creator tuus, quāta bonitas eius fuit, quod te cum non eſſes, creauit: & quod te non pecus aut creaturam inſenſibilē, ſed eam creaturā fecit, quæ eum poſſ. s intelligere & amare, & cū eo ſuam æternitatem æternaq; & felicia poſſidere.

PH. Tu ſubinde pecorum infers creationem, eamque collatam ad hominis creationem annihilare intendis, cum tamen, quod etiam in ſuperioribus dictum eſt, non tantum multa animantia ratione morum atque affectuum homini præferantur, ſed etiam eadem animantia in vniuerſum multò citius quam homines ad iuſtam exreſcunt magnitudinem, idque ſine vllo, aut certè quamminimo impendio, quum econtra hominis educatio longo admodum ac tędioſo cōſtet labore atq; induſtria.

E Q. Idem tibi in ſupplementum eorum quæ ſuperius à me dicta ſunt, reſpondeo, quod olim in eadem quæſtione ac materia reſpondit Alphonſus Rex Aragonum & doctiſſimus & ſapientiſſimus. Cum enim apud ipſum eſſent, qui cauſam beſtiarum contra homines defenderent, & modo turturis caſtitatem, modo cornicis (quæ mortuo compare nouem hominum ætates vidua perdurat) modo formicarum prouidentiam, modo caņū ſagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo apum in regem obſeruantiam, & id genus multa pro animalib. (è Plinio, Plutarch. Æliano, & aliis petita) afferrent in medium; Alphonſus, ſiue, inquit, id brutis inclinatione naturæ ſiue Dei dono datum ſit, certa non alia de cauſa

cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam vt homines turpiter nequiterque viuentes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſ.* Ad alterum vero quod obtendis, nimirum ad educationem hominis plurimum requiri temporis, animantia vero exiguo dierum ſpacio vt plurimum pabulum poſſe quærere; dico ego, animantia, præterquam quod anima ipſorum corpori plane eſt immerſa, inſuper etiam ad hoc maturam ipſorum ſuccretionem, Deus impreſſit atque conſtituit vt eo citius hominum vſui poſſint inſeruire, quippe qui opus habet ipſorum ſeruitio; quo ipſo etiam indubitatum hominis in bruta dominium ſatis euidenter aſtruitur.

Animantiũ generatio. *PH.* Aſtipulor. At enim non eſt vna eademque animantium cum hominibus, quin etiam nec ipſorum inter ſe animantiũ multiplicationis ſpecierum atque indiuiduorum inter ſe inuicem ratio. Vt enim de aquatilium genere primum dicam, conſtat per experientiam longo temporum vſu obſeruatam quędam rore cęleſti concipere, & ex limo & putredine erumpere experientia docuit. Anguillę præterea, quum varietatem ſexus neſciant, ſcopulorum attritu ſtrigmenta quædam poſt ſe relinquunt, quæ tandem cæleſti radiorum influxu in anguillas transformari certum eſt. Et quod ad reliqua attinet animantia, quæ ſexus diſcrimen admittunt, quantumuis eodem modo, hoc eſt, maris & fœminæ congreſſu concipiant, maxima tamen eſt differentia in excludendis atque enutriendis fœtibus. Nam cum piſces & aquatilia omnia ventorum attritu coire dicantur, idque ea celeritate, vt viſum ſubterfugiant, non tamen perfectum & elaboratum eſt id quod vtero conceperunt. Neque enim quæ vtero geſtant oua fæmellæ, vitam prius accipiunt, quam matris vtero excluſa, virili ſemine iam iterum aſpergantur. Volatilia vero quod attinet, ea ſane omnia eandem prolificãdi rationem ſeruant, idemque omnibus pullos producendi modus, quanquam id non eodem temporis interuallo, ſola excepta veſpertilione, quæ inter volucres animal patit, atque id lacte nutrit, vbera admouens; amplexa etenim geminos pullos volare dicitur ſecumque deportare. Reptilia autem aut greſſibilia in animantium genere, vti plurimum differunt, ita alia aliis modis catulos ſuos producunt; murium ſiquidem generatio, authore Ariſtotele, lambendo conſtare, non coitu dicitur; eoſdem ſale guſtato nonnulli opinantur fieri

fieri prægnantes. Diodorus Siculus ex limo Nili eoſdem naſci contendit. Vrſus etiam ſicut diuerſum ab aliis coeundi modum habet, (nam amplexibus quibuſdam mutuis velut humanis coniugationibus copulari dicitur, quemadmodum author eſt Solinus) ita quam maxime alienum ab aliis animantib. catulum producit: partus enim tempore carneam quandam maſſam efformẽ proiicit, quam ſenſim lambendo in animalis formam transfigurat. Leonum catuli in tertium vſque diem exanimes conſpiciuntur, canes etiam cæcos producunt catulos. Præterea quibus ſolidæ ſunt vngulæ ſingulos pariunt, quæ biſulcas habent vngulas, binos vt plurimum producunt, quorum autem in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, numeroſiora in fætu ſunt.

E.Q. Hoc ipſum eſt, quod intendo. Cum enim pleraq;, quod ipſe iam dixiſti, leuibus conſtent generationis initiis atq; primordiis, homo vero econtra; proinde vel ex hac ſola ratione hominem multis imo infinitis paraſangis præferri cæteris animantibus in confeſſo eſt, quod vſque adeo verum eſt, vt etiam τὰ χαλεπὰ τὰ καλά, difficilia eſſe, quæ pulchra, in prouerbiũ abierit. Quod enim ad hominem attinet, is anima & corpore conſtat; atque illa quidem à Deo, hoc eſt, à diuino ſpiritu originem traxit: ſiquidem poſteaquam Altiſſimus hominem ex limo terræ creaſſet, inflauit ei ſpiritum vitæ, factuſq; eſt Adam in animam viuentem, adeo vt hac parte homo ſupra cælos, hoc eſt, ad Deum ipſum, vtpote cuius diuina planè ſit origo, aſcendat, proindeque in hac totius mundi machina nullum ſit expreſſius Dei veſtigium, quã anima; nam & ſe ipſum, hoc eſt, imaginem ſuam in homine voluit expreſſam; hinc rectè Philo Iudæus hominem veri Dei ſimulacrum & numiſma verbo Dei ſignatum appellauit. Ad corpus hominis quod attinet, quod ex limo terræ creatum ſacræ literæ atteſtantur, conſummatiſſimam huic figuram ipſe rerum opifex in ipſis generationis principiis conceſſit, panniculis enim inuolutus infantulus in globum atq; orbem in materno vtero excipitur, quæ quidem figura non modo omnium pulcherrima eſt, verum etiam omnibus modis optima; quippe nulla eſt figura quæ difficilius ab omnibus iniuriis lædatur, adeoque in formatione hominis, potentia Dei vel maxime fiat illuſtris; id quod prolixè hactenus dictum fuit.

PH. Miram eſſe hominis certiſq; numeris ac gradibus ſibi vſquequaque inuicem correſpondenti- *Hominis generatio, numeri a ſeptenario.*

dentibus, vel ad ſtuporem vſq; à phyſicis obſeruatũ fuit, atq; illud imprimis, quod omnia ac ſingula propemodũ quæ in hominis generatione, educatione atq; ætatum differentiis concurrunt, numero ſeptenario diffiniuntur ac ſecernũtur. Eſtq; adeo vt prolixè Macrobius, cui⁹ verba iam vſurpo, *lib.1.ca.6.* in ſomnium Scipionis ſcribit, numerus ſeptenarius, qui hõiem concipi, formari, edi, viuere, ali, ac per omnes ætatum grad⁹, tradi ſenectæ atq; omnino conſtare facit. Nam illud vt taceã quod vterum nulla vi ſeminis occupatum, hõc dierũ numero natura conſtituit, velut decreto exonerandæ mulieris vectigali mẽſe redeunte purgari: hoc tamen prætereundum non eſt, quia ſemen quod poſt iactum ſui intra horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam pronunciatur. Verum ſemine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primũ artifex natura molitur, vt die ſeptimo folliculum genitiuum circũdet humori ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriore teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem. Hoc cũ à phyſicis deprehenſum ſit, Hippocrat quoque ipſe, qui tam fallere quam falli neſcit, experimenti certus aſſeruit, referens in lib. qui *de natura pueri* inſcribitur, tale ſeminis receptaculum de vtero eius eiectũ, quam ſeptimo poſt conceptũ die grauidam intellexerat. Mulierem enim ſemine nõ effuſo, ne grauida maneret orantem impetauerat ſaltibus concitari, atq; ſeptimo die ſaltu eiectum cũ tali folliculo, qualẽ ſupra retulimus, ſuffeciſſe conceptui. Hoc Hippocrates. Straton vero peripateticus, & Diocles Caryſtius per ſeptenos dies cõcepti corporis fabricã hac obſeruatione diſpẽſant vt hebdomade ſecunda credant guttas ſanguinis in ſuperficie folliculi, de quo diximus, apparere, tertia demergi eas introrſum ad ipſum conceptionis humorem, quarta humorẽ ipſum coagulari vt quiddam velut inter carnem & ſanguinem liquida adhuc ſoliditate conueniat. Quinta vero interdum fingi in ipſa ſubſtantia humoris humanam figuram, magnitudine quidem apis, ſed vt in illa breuitate membra omnia & deſignata toti⁹ corporis lineamenta conſiſtant. Ideo autem dico, interdum, quia conſtat, quoties quinta hebdomade fingitur deſignatio iſta membrorũ, menſe ſeptimo maturari partũ. Cũ autem nono menſe abſolutio futura eſt, ſiquidem fœmina fabricatur, ſexta hebdomade iam membra diuidi: ſi maſcul⁹, ſeptima. Poſt partum vero vtrum victurum ſit quod effuſum eſt, an in vtero

vtero ſit præmortuum, vt tantú modo ſpirans naſcatur, ſeptima hora diſcernit. Vltra hunc n. horarum numerũ, quæ præmortua naſcuntur, aeris halitum ferre nõ poſſũt, quem quiſq; vltra ſeptem horas ſuſtinuerit, intelligitur ad vitã creatus, niſi alter forte, qualis perfectum poteſt, caſus eripiat. Item poſt dies ſeptem iactat reliquias vmbilici & poſt bis ſeptem incipit ad lumen viſus eius moueri, & poſt ſepties ſeptem libere iam & pupulas, & totam faciem vertit ad motus ſingulos videndorũ. Poſt ſeptem vero menſes dentes incipiunt mandibulis emergere. Et poſt bis ſeptem, ſedant ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem, ſonus eius in verba prorũpit. Et poſt quater ſeptem non ſolum ſtat firmiter, ſed & incedit. Poſt quinquies ſeptem, incipit lac nutricis horreſcere, niſi forte ad patientiam longioris vſus continuata cõſuetudine protrahatur. Poſt annos ſeptem, dentes, qui primi emerſerãt, aliis aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt, eodemque anno, id eſt; ſeptimo plene abſoluitur integritas loquendi. Vnde & ſeptẽ vocales literæ à natura dicuntur inuentæ, licet latinitas eaſdem modo longas, modo breues pronunciando, quinque pro ſeptem tenere maluerit. Apud quos tamen, ſi ſonos vocalium, non apices numeraueris, ſimiliter ſeptem ſunt. Poſt autem bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit. Tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Ideo & tutela pueris quaſi virile iam robur abſoluitur, de qua tamen fœminæ propter votorum feſtinationem maturius biennio legibus liberantur.

Poſt ter ſeptenos annos, genas flore veſtit iuuenta, idemque annus finem in longum creſcendi facit. Et quarta annorum hebdomas impleta, in latum quoque creſcere vltra iam prohibet. Quinta omne virium, quantę ineſſe vnicuique poſſunt, complet augmentũ, nulloq; modo iam poteſt quiſquam fortior fieri. Inter pugiles deniq; hæc conſuetudo ſeruatur, vt quos iam coronauere victoriæ, nihil de ſe amplius in incremento virium ſperent. Qui vero expertes gloriæ huius vſq; illo manſerunt, à profeſſione diſcedant. Sexies vero ſepteni anni, ſeruant vires ante collectas, nec diminutionem, n ſi ex accidenti, euenire patiuntur. Sed à ſexta vſq; ad ſeptimã ſeptimanã fit quidem diminutio, ſed occulta, & quæ detrimentũ ſuũ aperta defectione non prodat. Ideo nõnullarum rerumpub is mos eſt vt poſt ſextam ad militiã nemo cogatur. In pluribus datur remiſſio iuſti

iuſta poſt ſeptimam. Norandum vero, quod cum numerus ſeptem ſe multiplicat, facit ætatem quæ proprie perfecta & habetur & dicitur: adeo, vt illius ætaris homo, vtpore qui iam perfectionem & attigerit & nec dũ præterierit, & conſilio aptus ſit, nec ab exercitio virium alienus habeatur.

Cum vero decas, qui & ipſe perfectiſſimus numerus eſt, perfecto numero, id eſt, ἑπτὰ, diiungitur, vt aut decies ſeptem, aut ſepties deni computẽtur anni, hæc à Phyſicis creditur meta viuendi, & hoc vitę humanæ perfectum ſpaciũ terminatur, quod quiſquis exceſſerit, ab omni officio vacuus, ſoli exercitio ſapientiæ vacat & omnem vſum ſui in ſuadendo habet, aliorum munerum vacatione reuerendus. A ſeptima enim vſque ad decimam ſeptimanam pro captu viriũ, quę adhuc ſingulis perſeuerant, variantur officia. Idem numerus totius corporis mẽbra diſponit. Septem n. ſunt intra hominem, quæ à Græcis nigra membra vocitantur, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. Et ſeptem alia cum venis, & meatibus quæ adiacẽt ſingulis; ad cibum & ſpiritum accipiendũ reddendumq; ſũt deputata, guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina principalia tria, quorum vnum diſſipium vocatur, quod ventrem & cætera inteſtina ſecernit. Alterũ medium quod Gręci μεσέντερον dicunt. Tertium quod veteres hiran vocauerũt, habeturq; præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi detrimenta deducit. De ſpiritu autẽ & cibo, quib. accipiẽdis, vt relatum eſt, atq; reddendis membra quæ diximus cum meatibus ſibi adiacentibus obſequũtur, hoc obſeruatum eſt, quod ſine hauſtu ſpiritus vltra horas ſeptẽ ſine cibo vltra totidẽ dies vita non durat. Septem ſunt quoq; gradus in corpore, qui demenſionẽ altitudinis ab imo in ſuperficiem complent, medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. Hæc de interiorib. In aperto quoq; ſeptem ſunt corporis partes, caput, pect⁹, manus, pedeſq; & pudẽdum. Item quæ diuiduntur non niſi ſeptem compagibus iuncta ſunt, vt in manibus eſt humerus, brachium, cubitus, vola, & digitorum nodi terni. In pedibus vero femur, genu, tibia, pes ipſe, ſub quo vola eſt, & digitorum ſimiliter nodi terni. Et quia ſenſus, eorumque miniſteria, natura in capite velut in arce conſtituit, ſeptem foraminib. ſenſuum celebrãtur officia, id eſt, oris, ac deinde oculorum, narium & aurium binis. Vnde nõ immeritò hic numerus totius fabricæ diſpenſator & dominus,

ægris quoque corporibus periculum ſanitatemve denuntiat. Imo ideo & ſeptem motibus omne corpus agitatur, aut enim acceſſio eſt aut receſſio, aut in læuã dexrramve deflexio, aut ſurſum quis ſeu deorſum mouetur, aut in orbem rotatur. Tot virtutibus inſignitus ſeptenarius, quas vel de partibus ſuis mutuatur, vel totus exercet, iure plenus & habetur & dicitur. Hæc Macrobius. Neque vero hæc propterea allego, tanquam magiam aut cabaliſticam artem velim inducere, ſed vt etiam atque etiam conſideremus prouidentiæ Dei ſapientiã, quæ cum ab initio mundi vſa ſit numero ſeptenario in conſtitutione mundi, (benedixit enim Deus diei tunc ſeptimo & quieuit) in reliquis rebus magnis & illuſtribus hunc quoq; numerum ſeruauerit, ibique quieuerit: homo enim vt per ſeptenarium naſcitur, formatur, vegetatur & creſcit: ita per ſeptenarium deſinit, deficit, tumulatur: ſeptem enim pedum ſufficit vrna ſeu ciſta mortuis: ſicut & de ipſo Alexandro Magno legimus:

Cui ſatis heu magnus, dum viueret, haud fuit orbis,
Huic ſeptem ad tumulum ſufficit vrna pedum.

TH. Sunt hæc omnia illuſtria diuinæ prouidentiæ teſtimonia, quæ oſtendunt, hanc naturam non caſu extitiſſe. Statim enim cũ in aluo materna fœtus naſcitur, ne tenello corpuſculo deſit nutrimẽtum, diuino conſilio ita condita eſt natura, vt lac in vberibus coquatur. Miro ordine diuino laxantur oſſium iuncturæ iuſto tempore in partu, ac poſtea rurſus clauduntur, quæ nulla humana arte laxari aut claudi poſſunt. Hæc manifeſta miracula oſtendunt, non caſu naſci homines, ſed ordinis huius & autorem & conſeruatorem Deum eſſe, qui etiam στοργὴν parentum animis indidit, quæ in generatione & nutritione ſobolis mirifice ſeſe exerit.

E Q. Nemo etiam eſt, qui non peroptet, perpetuum & illuſtre apud omnem poſteritatem, nomen habere, atque hæc eſt innata in vnoquoque vehementiſſima cupiditas; hoc autem generationis maxime beneficio conſequuntur homines, vnuſquiſque enim liberos relinquens, in ſuis liberis quodammodo, renaſcitur, prolẽmque ſuam quaſi in poſterum ſerit, atque ita immortalitatem quandam adipiſcitur. In quam ſententiam Calliſtratus Iuriſconſultus *lib. 2. quæſt.*. Etenim idcirco, inquit, filios filiasve concipimus atq; edimus, vt ex prole eorũ earumve diuturnitatis nobis memoriã in æuum relinquamus. Hinc Romani, cum viderent

rent non tantum priuatas familias hac ratione veluti fonte quodam perenni cõſeruari, ſed multo magis obſeruarent, Reipublicæ & imperii ſalutem incolumitatemque in eo cõſiſtere, vt vrbs militari iuuẽtute augeretur, quæ veteranorum mortuorum vices complere poſſet, Romani inquam, cum hæc viderent, priuilegia multa indulſerunt, quibus ciues ad propagandam ſobolem incitarentur, & veluti alacriores ſpe immunitatis & præmiorum redderentur. Teſtis eſt hac de re lex peculiaris Iulia vel Papia de maritandis ordinibus, quam Auguſtus tulit, qua ducere omnes omnino vxores cogebantur liberorum creandorum cauſa.

PH. Fuit aliquando mos genti Tapyrorum, qui adiacent Hircanis, vt ſuſceptis liberis aliquot vxores aliis item habendas, quærendæ prolis gratia transferrent: ſicuti Catonem Portium, Hortenſi indigenti, Martiam vxorem eſſe impertitum veteri orbis more, poſt alios cecinit etiam Lucianus. Verum ille mos non à me refertur, vt probetur, ſed vt indicare poſſim, propagationis quantum fuit aliquãdo multis deſideriũ, vt etiam obliuiſcerentur honeſtatis potioris, & dignitat. matrimonii. Non ſufficit enim procurare prolem reipubl. multiplicem, niſi quoque, & ea talis ſit, quæ vſui & vtilitati ſit: atque honeſta, & non damnoſa. Et proinde additæ ſunt leges, quæ huic parti quoque proſpicerent, fueruntq; vel lege diuina, in populo Dei, & alibi ratione naturali, emendata plura, quæ viſa ſunt interdum hominib. ſocietatem bonam non curantibus, iucunda & probanda, in quæ inciderant vel nimia multiplicandi cupiditate, vel voluptate inordinata.

E.Q. Debet hæc generalis eſſe reipublicæ cura circa liberos procreandos, vt quẽmadmodum ex agricolis, qui arbores rectas, fructuoſas, & diſpoſitas ad cultum habere deſiderant, curam principalem eſſe putant, in ipſa ſatione prima, & pro ea terram conuenientem eligere, ſemina vel plantas eo ordine diſponere, vt & ſe mutuo non impediant, & iucunda quadam poſitione vtilitatem ſimul & commoditatem producant. Qualem enim ordinem, qualemve cultum primitus impenderint, talem in poſterum fructum & vtilitatem maiorem vel minorem conſequentur. Ad eum modum Reipublicæ moderator, qui in ſocietate humana ſibi commiſſa colenda, deſiderat fructum communem ex populo percipere, non minus ſolicitus eſſe debet in eligendis plantandis & dirigendis plurimis plantis humanis. Etenim homo planta inuer-

inuerſa, habens ſurſum radices, in cœlū extollens caput, vt hauriat à cœlo, tanquam à proprio ſolo neceſſaria corpori & animæ: Deus agricola, princeps vicarius eius ſummi agricolæ. Et proinde, ſtatim ab ortu, imo ante conceptionem, & in geſtando vtero & poſt editionem partus, de infantibus, vt nouis plantis, quæ in orbem veniunt, ſolicitus eſſe debet. Siquidem filii non tātum parentibus, ſed etiam reipublicæ naſci dicuntur. Nempe, quod ex illis conſletur, & quotidie deficiens populus reficiatur, & quodammodo remaneat immortalis.

TH. Omnia debent fieri modo legitimo & ordine diuinitus promulgato; marem & fœminam condidit Deus, vt ſit mutua & ardens στοργὴ; vitandæ itaque ſunt omnes prauæ ac vagæ commixtiones, quouis etiam prætextu pallientur. Et cōſtat etiam omnino ex ſacris literis, fœcunditatem & multiplicationem ꝓlis benedictionem diuinā, econtra ſterilitatem maledictionem fuiſſe. Ideoque quemadmodum fœcundæ fœminæ felices habitæ ſunt: ita ſteriles negligebantur & infames erant. Vnde ſæpius, præſertim in veteri Teſtamento fœminarum flagitantium à maritis liberos, & deplorantium infœcunditatem querimonias legimus, quæ tamen ab iis, prolem à benedictione diuina potiſſimum expetendam eſſe, admonentur.

EQ. Sic nimirum legitimo modo atque ordine diuinitus inſtituto, coniunctione maris & fœminę, mediante matrimonio genus humanum propagatur. At Satan, eius hoſtis infenſiſſimus propagationem illā quouis tempore ſub prætextu ſanctioris inſtituti voluit impedire. Vnde, vt de aliis taceam, in Africa, D. Auguſtini ætate hæreſis orta eſt, qui Abeolitæ vel Abeloini vocari voluerunt. Aiebant enim, Abelum à Caino fratre cælibem & abſque prole occiſum eſſe. Hi quidem vxores ducebāt, ſed illis non cōmiſcebantur, neque filios generabant, ſeruabatur nihilominus ea multitudo per adoptionem. Quilibet duo vir & vxor adoptabant ſibi puerum atq; puellā, hac lege, vt ipſi quoq; nō commiſcerentur, illoſq; hæredes inſtituebāt. Et hoc illis facere licebat, cū pauperes homines filiis onuſti ſemper inuenirentur, qui ſuós filios aliis darent libenter adoptādos, vt alienis facultatibus frui poſſent.

PH. Eſt nimirū ſapientia Dei, ſtultitia coram hominibus naſutulis, q̄ tamen tandem redundabit in ipſorū caput atq; pręſentiſſimam perniciem, eo q; humanas

tradi

traditiunculas diuinis præferunt mandatis, quinimo id ipſum omnibus à natura inditum eſt, appetere propagationem ſui, vtque alii ſint, qui faciem ac nomen ſuum repræſentent, modo non ſint ingenia monſtroſa atque miſanthropica.

TH. Recte quidem hæc à te dicuntur. At enim ſi hominibus lætum eſt & glorioſum, filios habere cõſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſucciſiua reſpondeat: Quanto maior in Deo patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritaliter naſcitur, vt actibus eius & laudibus diuina generoſitas prædicetur? *ſer. 2. de zelo & liuore.*

E Q. Vtriuſque vtrobique dulcis atque amæna iucunditas eſt, proinde etiam ad vtrumuis ſummopere adnitendum, & maxime infantulorum ſumma eſt habenda ratio, vt vtrumq; feliciter aſſequantur.

Infantes recens nati, quomodo olim excepti. *TH.* Scribit Auguſtinus *lib. 4. de ciu. Dei*, priſcum Romanis morem fuiſſe, vt infantem ſtatim natum humi deponerent ac continuo leuarẽt, vnde Leuanã deam quandam finxerũt; atq; ad hunc ritum aliqui putant, Plinii verba pertinere. Fuit olim mos infantibus terram attingi, opemque Deam tum rogare, vt naſcẽtibus ppitio ſinu illos exciperet, quod non antea vocem dari putarent, quam terram tetigiſſent. Quinetiam, vti dixi, Leuanam deam vocarunt, quæ pueris de terra leuandis pęſſet, *teſte Varrone.* & talis fœtus exceptus ab obſtetrice, in terram ſtatuebatur, vt eſſe rectus inciperet. Præterea ante partum Proſæ & Poſtuertæ ſacrum fiebat, ne puerſus fœtus præpoſtere exiret, itemque Egetiæ nymphæ & Fluoniæ Iunoni, vt illarũ auxilio infans egereretur, cohiberetur que ſanguinis fluor, *Alex. ab Alex. cap. 25.* Et Papinius:

— tellure cadentem
Excepi fouiq; ſinu.

Tertulliano prima infantiæ conſtitutio Statinæ Deæ ſacra eſt, cuius nomine ſublatus è terra puellus erigebatur, vt rectus eſſe incipiat. *Vide & Turneb. cap. 15. 4. aduerſ.*

E Q. Superſtitioſum & hoc fuit, quod reddito partu, Pilumno & Picumno in ædibus lectulus ſternebatur, vt viralis foret, ac ne Syluanus puerum vexaturus irreperet, viri tres peruigiles, cum ædes circumiuiſſent, ad fores ædium ſtabant, eorumque primus ſecuri limen, alter pilo feriebat, tertius ſcopis verrebat. Cum autem cibo iam & potu veſceretur, Eduſam & Potuſam placabant; deinde dum infans adoleſcebat, Maiam, Statanum, Fabulinum. *Alex. ab Alexand. cap. 25. libr. 2.*

Nono

Nono die inuocata Nundina dea nomẽ imponebatur. Magnũ tamen inter autores certamen eſt, quonam id die ſit fieri ſolitum. Quidam luſtrico die, hoc eſt, puellis quidem octauo, maſculis autem nono impoſitum nomen putant; in quibus eſt Plutarchus *quæſt. Rom. Macrobius Saturn. 1. cap. 16.* Alii maribus non antę virilem togam, fœminis autem non prius quam nuberent, impoſita fuiſſe nomina ſentiunt. Vide Val. Max. aut quiſquis autor ſit *lib. de nominibus.* Sigonius certe rectius ſentit, litemque hanc aut internecinam, aut ſola temporum diuerſitate tollendam iudicat.

PH. Nos huiuſmodi nænias nunc melius edocti, ridemus, at enim ſi iiſdem tenebris ignorantiæ identidem obruti eſſemus, haud ſaniora proferremus. Nam & ipſe Cicero, quantumuis alioqui in rebus & ſententiis grauiſſimus, *lib. 5. de finibus* valde pueriliter de infantulis diſſerit.

Paruuli, inquit, primo ortu ſic iacent, tanquam omnino ſine animo ſint. Cum autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo vtuntur & ſenſibus, cõituntur que vt ſeſe erigant, & manibus vtuntur, & eos cognoſcunt à quibus educantur; deinde æqualibus delectantur, libenterque ſe cum his congregant, dantque ſe ad ludendum, fabellarumq; auditione ducuntur; denique eo quod ipſis ſuperat, aliis gratificari volunt, animaduertuntque ea, quę domi fiunt, curioſius, incipiuntque commentari aliquid & diſcere; & eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina; quibuſque rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt, efferunt ſe lætitia; victi debilitantur, animoſque demittunt. Hactenus Cicero. Nihil vero in hac Ciceronis ſententia audis ſingulare, nihil grauiter dictum; cum vel pueris hæc innoteſcant.

EQ. Atqui ego hanc Ciceronis ſententiam, quippe quæ delicias pueriles, quibus ipſe haud dubie iucunde affectus aliquando fuit, ſapiunt, minime flocci pendo. Illorum vero admodum tædioſa eſt paraſitica iſta garrulitas, qua procerum ac diuitum quorumque paruulos vixdum biduales vſque adeo mirantur, ſuſpiciunt, abblandiuntur, alloquuntur, arrident, quaſi non infantes, ſed fantes ex vtero prodierint, quæ quidem affectata, eoq; magis reprehendẽda vanitas eſt. Recte itaque Athenæus, quũ audiſſet partum matris Timothei regis: Si, inquit, opificem peperiſſet, non Deum, quales emiſiſſet voces? Irridens quorundam fœdam adulationem, qui regum filiis tribuebant diui-

 nitatem,

nitatem, quum vox parientis regem æque miſerabilis ſit, ac parturientis quemlibet plebeium.

PH. Multa ſæpiuſcule dicuntur ex affectu nimio atque amore, cuius vis maxima eſt, quique interdum gaudet quadantenus luxuriari, cui idcirco aliquid cõdonandum, quamuis non idem amor in liberis erga parentes ex omni parte ſeſe exerit. Nam vt inquit Chryſoſt. *in 19. cap. Matth.* quod eſt in herbis aut in arboribus humor, hoc eſt in hominibus amor. Sicut enim herbæ ex humore naſcuntur & creſcunt, ſic homines per amorem incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, ſed ſurſum tranſmittitur in ſemen: ſic & amor de parentibus aſcendit in filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt, ſed non ſic diliguntur à filiis, quia ſicut herba non deorſum ſed ſurſum ad ſemen tranſmittit humorem: ſic & homo nõn ad parentes, ſed ad procreandos filios tranſmittit affectum.

Rigor parẽtum in liberos.

EQ. Extant tamen interim etiam exempla parẽtum, eorundemque etiam generoſorum, qui de rigore, quem erga alios in iiſdem delictorum generibus vſurparũt, erga proprios filios, ſiquidem & hi facinoroſi deprehenſi fuerunt, nil quicquam remiſerunt. Huius rei extat inter cætera exemplum in Iunio Bruto. Is enim filios ſuos tyrannidi fauentes, comprehenſos, ipſemet pro tribunali ſedens interrogauit, dicens: Quid vos ad crimina hęc? Vbi ter interrogati nihil reſponderunt: Iam reliquæ, inquit, veſtræ ſunt partes. Eorum deinde ſupplicia fixis oculis eſt intuitus. Exuit patrem, vt conſulem ageret: orbuſque viuere, quam publicæ vindictæ deeſſe maluit, *Liu. libr. 2. Valer. Max. libr. 1. cap. 8.* Et A. Fuluius filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ caſtra properabat, ex itinere retractum occidit, dicẽs: Ego te non Catilinę aduerſus patriam, ſed patriæ aduerſus Catilinam genui. *Eraſ. lib. 6. apophth.*

TH. Extat certe lex & comminatio grauiſſima in liberos cõtumaces, *Deuter. 21.* Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire cõtempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentque ad eos: Filius noſter proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire cõtemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de

medio

medio veſtri, & vniuerſus populus audiens pertimeſcat.

EQ. Ariſtippus cum degeneres filios adeo negligeret, quaſi ex ipſo nati non eſſent, accuſatus à quodam, qui ſeueritatem eius improbabat. Annon, inquit, & pituitam & pediculos è nobis natos, velut inutiles procul à nobis abiicimus? Senſit philoſophus, eos nequaquam habendos pro filiis, qui à parentum & maiorum ſuorum laude dignis virtutibus degenerarent.

Diuerſa puerorum ingenia.

PH. Phryx quod aiunt, non niſi plagis emendatur. Sic obſtinata quædam ingenia non niſi plagis coërcētur, potiuſque verberibus quam verbis emendari volunt; quæ quidem illiberalis ingenii infauſta ſunt indicia; ſiquidem vt Salomon ait, equo flagellum, aſino frenum, ſtulto virga adhibetur: At generoſus animus, ſecundum Senecam, rectiùs ducitur, quam trahitur. Quos enim tormenta non vincunt: interdum vincit pudor, & ingenia liberaliter educata facilius verecundia ſuperat, quam metus, vt Hieronymus ſcribit ad Pammachium. Quod & P. Terentius in Adelphis confirmat:

Pudore & liberalitate liberos
Retinere ſatius eſſe credo, quam metu:
Et errat longe mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius eſſe aut ſtabilius,
Vi quod ſit, quam illud, quod amicitia adiungitur.
Malo coactus, qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre: præſens abſensque idem erit.
Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium
Sua ſponte rectè facere, quam alieno metu:
Hoc pater ac dominus intereſt.

Enimuero reperies interdum ſtultos quoſdam & ſtolidos vſqueadeo obſtinat s, & incapaces prudentiæ: vt nullæ etiam apud eos plagæ, nulla flagra, nulla virgarum caſtigatio, aut ξυλοκοπία proficiat ad tollendam ſtultitiam: necdum liberalis & ingenua inſtitutio: de quibus verum eſt Salomonis illud *Prouerbior. capit. vigeſimo ſeptimo*: Si contundas ſtultum in mortario, cum mola poſtillo, non recedet tamen ab eo ſtultitia. Sunt præterea quidā inſtar Anthracithis, carbunculorum generis, cui id peculiare eſt, vt coniectus in ignē velut

Digitized by Google

velut intermortuus extinguatur; contra aquis pfuſus, exardeſcat: Ita quoſdam contra mouent; ſi exhorteris, magis langueſcunt: ſi dehorteris, magis accendũtur; ſi bene merearis, redduntur inimici; ſin male pluris te faciunt. *In ſimilibus.*

E Q. Eſt tamen quibuſdam etiam aut à maioribus aut aliunde diuinitus agnata indoles, cuius ductu ad res magnas, atque egregias ſponte feruntur, ſed hæc admodum eſt rara. Extant tamen & quandoque ſe offerunt huius rei documenta admiranda, qualia ſunt quæ ſequuntur: Alexander (qui poſtea Magnus dictus fuit) puer etiamnum, cum vidiſſet, quam feliciter parens bella gereret, nequaquam gaudebat, ſed ad pueros æquales dicebat: Pater nihil mihi relicturus eſt. Illis contradicentibus: Imo ea omnia, quæ bello iam ſubegit. Quid profuerit, inquit Alexander, ſi multa hæreditario iure poſſideo, ego autem nihil habeam, quod agam, & militem patri ſimilem me eſſe oſtendam? Vides indolem in puero ad imperium plane pronã? *Plut. in apoph.*

Scipio ſuper cœnam interrogatus, quem egregium Imperatorẽ habitura eſſet reſpubl. ſi quid ipſi humanitus accidiſſet? Vel hunc, inquit, Mariũ intuens, iam tum in illo perſpiciens ingenium maximis rebus natum. *Eutrop. libr. 5. Plut. in Mario.*

Caſſius, etiamnũ puer, Fauſtum Syllæ filiũ inter æquales de patris monarchia gloriantẽ non tulit, ſed ei colaphos impegit. Eius rei cognitionem cum Pompeius ad ſe recepiſſet, accitis ambobus pueris, Caſſius auſus eſt dicere: Eia, Fauſte aude rurſum coram hoc ea verba ꝓferre, quibus irritatus in te fui, vt rurſus percellam os. Inerat Caſſio natiuum quoddam odium tyrannidis, vt iam tũ appareret, illi non defuturum animum ad interficiendum Cæſarem *Plut.*

Iulius Cæſar, cum Syllam fugeret, etiamnũ adoleſcens, incidit in piratas Cilices: ac primum, vbi pro redemptione ſummã, quam ab eo peterent, pronuntiaſſent, deriſit prædones, velut ignaros quẽ cepiſſent, ſeq; duplũ daturũ pollicitus eſt. Deinde cum aſſeruaretur, donec afferretur pecunia, imperauit illis, vt ſilerẽt, nec ſibi dormienti obſtreperẽt. Eiſdẽ orationes & carmina, q̃ ſcriberet, recitare ſolebat, q̃ cum illi nõ ſatis ꝓbarent, ſtupidos ac barbaros appellabat: cumq; riſu minitabatur, ſe illos actutũ in crucem, q & perfecit. Apportatis enim pecuniis, quas piratæ ꝓ redemptione pacti fuerãt, dimiſſus, cõtractis ex Aſia viris ac nauibus, comprehendit eoſdẽ ꝑdones, ac ſuſpẽdit,

ſed

ſed prius iugulatos, ne ſeueritas careret clementia. An non hic ſtatim agnoſcis indolem Alexandri Magni, cui nihil mediocre ſatis eſſe poſſet? *Eraſm. ex Plut. in Rom. apoph.*

Cato Vticenſis, cum puer adhuc à Druſo auunculo educaretur, Latinique Romam ad Druſum tribunum plebis eo tempore veniſſent, de ciuitate impetranda acturi: Quintus Pompeius Latinorum Princeps, Catonem orauit, vt pro ſociis apud auunculum intercederet, vt id quod peterent, facilius impetrarent. Verum Cato puer ſe facturum hoc negauit, cumque ſemel iterumque interpellatus eadem de re omne denegaſſet officium, demũ Pompeius in excelſam domus partem eleuatum ſe præcipitaturum minatus eſt, niſi precib. & toties efflagitatis obtemperaret; Verum cum ciues intelligerent, nec ſic puerum moueri potuiſſe, egregiam eius indolem laudantes, altiſſima voce clamarunt, Gratulemur Latini, nobis hunc eſſe tam paruum, quo ſenatore, ne ſperare quidem ciuitatem licuiſſet. *Hiſtoriam hanc recitat Plutarchus in Catone.*

TH. De Origene ſcriptore Eccleſiaſtico produnt hiſtorici, quod puer parentem ſuum Leonidem (qui Epiſcopus fuit) ſæpe de abditis ſcripturæ ſenſibus interrogauerit, ita vt pater ab eiuſmodi præcoci ſapientia retrahere illum cogeretur; ſedulo monens, ne ſupra ætatem ſaperet. Verum noctu accedẽs, & pectus intuens quaſi ſancti Spiritus templum deoſculabatur, ſeq; tali filio beatum iudicabat. *Euſeb. lib. 6. cap. 3. & Suidas.*

PH. Extat grauis admodum atque insignis commonefactio Bapt. Mant. *ad Ludouicum Fuſcar.* Eſt profectò (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum, claris ortum eſſe parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videãtur, maiorum ſuorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aſpirare felicitatem: Sic Philippi nomen Alexandrum; ſic maioris Africani gloria minorẽ Scipionem: ſic Cæſaris Iulii fama Octauianum excitauit: ſic denique Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris. Te quoq; Ludouice, quanquam Deo & natura ducente, tuiſque annitentibus ſtudiis, virtutem amas: non parum anteceſſorum tuorũ te iuuare poſſunt imagines, quorũ mores æquare vt arduum & difficile, ſic certè pulchrum & laudabile.

TH. Extant equidem exempla generoſæ indolis, quæ in prima ſtatim pueritia ſeſe feliciter exeruerunt. At enim ſicut corpora ipſorum, decurſu annorum *Ætatum diuerſi mores.* in hu-

in humoribus, ſic ætates in moribus variarunt, imo turpiter haud raro defecerunt. Exẽpla ſunt notiſſima. Abſolon filius Dauidis in pueritia bonæ fuit indolis, vnde etiã hoc nomen Abſolonis, quod principẽ pacificũ deſignat, inditũ illi fuit, atqui is prorſus in adoleſcentię progreſſu degenerauit: ſic Alexand. Magnus in ętatis flore placidiſſimus; at multis potitus victoriis multa egit proterue ac tyrãnice. Nero in ætatis flore vſq; adeo cõmiſeratione afficiebatur ergo facinoroſos, adeoque digna plectẽdos pęna, vt quoties peteretur ab eo ſubſcriptio ſẽtẽtiæ pęnalis executorię, *vah, malim me neſcire literas*, ingemiſceret. Is tamẽ p ętatẽ poſtea à priſtinis vſq; adeo degenerauit morib. vt nõ ſolũ innumeros, eoſq; citra oẽm omnino culpã obtrũcari iuberet, ſed etiã optare ſe vt ſe viuo vniuerſus cõflagaret orbis, palã dixerit. Eſtq; adeo verum ſimile illud, ꝗ nuper me legere memini. Vt arbores quædã belle florent, vetũ nullum adferunt fructum, ita quotũdam puerorum indoles magnam vitæ frugẽ pollicetur, qui ſimulatq; adoleuerint, ad ineptiſſimas conuerſi voluptates, fallunt expectationem omniũ. Et vt Plinius hac ſimilitudine vtitur. Eſt Indiæ gẽs dicta Pãdora, quæ in pueritia cano eſt capillitio, in ſenecta nigreſcunt capilli: ita nonnulli primis annis ſobrii ac modeſti, grandiores iam ad nugas & ineptiſſimas voluptates abiiciunt ſeſe, & quaſi repueraſcunt. *Plin. lib. 7. cap. 2.*

EQ. Hæc itaq; ætatum mutatio ac differentia, etiam morum atq; ingenii mutationem inducit?

TH. Omnino vero, idq; cum maximè, cum indulgentię laxantur habenæ, eſtque omnimoda pro ratione volũtas. Nam dicente Plutarcho, vt terra quo melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: Ita ingenia, niſi recte excolãtur, quo ſunt feliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur. *In Moral.*

PH. Doctiſſimus Varro quinque ætatis gradus ęquabiliter putat eſſe diuiſos, ac vnumquemque, præter extremum, in annos 15. Propterea ſectio prima annum quintum decimũ attingens pueros habet: ex puritatis ratione ita nuncupatos. Secũda ad triceſimum porrecta, adoleſcentes: ab incremẽti ratione nomẽ adeptos. Iuuenes ſectionem faciunt tertiã, ad annos 5. & 40. quib. inde appellatio facta, quod in bellicis vſib. reipub. adiumẽto forent. Et inde huiuſmodi ex catalogo eſſe dicũtur, ſicut vltra catalogũ, qui iam militiæ habentur inepti. Ad annorũ decada ſeptẽ, ſeniores perueniunt. Reliquum vitæ tempus ſectionẽ habet quintã, in qua qui agunt, iam vocantur ſenes.

nes. Ex hac Varroniana ætatum diſtributione cõmoueor ſcite admodum, & congruenter vitæ tẽpora fabulis comparari. Nam & Cicero, qui hiſce, inquit, autoritatis præmiis ſplẽdide vſi fuerint, ii mihi ſunt viſi tabulã ætatis peregiſſe, nec tanquam inexercitati hiſtriones in extremo actu corruiſſe. In fabulis vero actus ſeruari quinq; nõ arbitror eſſe quem fugiat, quã nec perſona quinquies egreſſa vltra exire poteſt. In quo attente a imaduertendum, vbi & quãdo ſcena vacua ab omnib. ſit perſonis, vt in ea chorus, vel tibicen audiri poſſit: id enim cũ viderimus, ibi actũ eſſe finitum debemus agnoſcere. Hippocrat. (ſicuti libro de die natali prodit Cenſorinus) ſeptem ætatis cõſtituiſſe gradus deprehenditur. Ac primũ quidem anno 7. terminaſſe: ſecundũ, quartodecimo: tertium, duodeuiceſimo: quartũ, triceſimo quinto: quintum, duodequadrageſimo: ſextum, ſexageſimoprimo: ſeptimum, ad vitæ coronidem protendit.

TH. Ex ſuperius à nobis dictis nemo opinor ibit inficias, mores hominum, quatenus in ſubiectis indiuiduis conſiderantur, ſecundum gradus differre, illorumque quoſdam eſſe mitiores, quoſdam rigidiores, quoſdam medios; atq; identidem etiã certis ꝓpemodũ ætatis limitibus terminari.

EQ. Ego certe, ſi quiſpiam alius, quanta in ætatum præſertim moribus variis, ſicut in pleriſque aliis rebus, naturæ, rationi minimè obtemperantis vis ſit experimentum idq; continuum propemodum, conſtãs omnino habeo. Eſt namq; mihi vicinus ſenex, qui cum adoleſcente filio, de re neſcio qua, ſubinde litigat, neque id modeſte equidem & mediocriter (vt quandoq; inter domeſticos fieri ſolet) ſed magnis clamorib. res agitur, & conuitiis etiã adeo claris, vt de longinquo facile percipi exaudiriq; poſſint.

PH. Malus fortaſſe coruus, malũ ouum vtrobiq; atq; adeo vterq; peruerſe atque obſtinate improbus, qui vt ſorices ſuo ſe produnt indicio.

EQ. Nihil minus. Prudens enim eſt ſenex ille, & frugi, paterque familias ſine controuerſia bonus. Iuuenis autem hilaris natura eſt & officioſus; & cum ingenio docili, tum literis etiam ſatis expolitus: verum contentiones iſtæ inter illos & rixæ vtroſq; ſanè commaculant, & in omni noſtra vicinia male diffamant.

TH. Magna nimitum in affectibus naturæ vis eſt, excellenſque & efficax illius potentia, quæ coerceri quidem compeſcique aliquando poteſt, interimi vero aboleriq; haudquaquam poteſt. Niſi ſi quis (vt aiunt) Gigantum

gantum mote cum diis bello depugnare contendat.

PH. Quid vero? annon agreſtes illas & cōcitatas animorum motiones vincere poſſunt atque ſuperare? Annon domina in homine eſt ratio, quæ rebelles alioqui & effrenes illarum inſultus iure ſuo inhibere valet & frangere?

E Q. Vera narras, & quid fieri debeat, innuis, & pro dignitate atque officio omnino ageretur, ſi vtrobique rectam rationis viam inirent homines, & non potius in lubricum præcipites haud raro ferrentur. Quotuſquiſque vero eſt, qui ita in præſentia vitam degat, vt omnino ſibi imperare valeat, omniaque conſilio perpendens, nihil temere, nihil perperam agat, & non potius diuerſimodis animi affectionib. conflictetur, & tranſuerſus ſæpenumero ad peiora rapiatur. Paucos prætereo, excipique volo, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus. Senex ille, de quo modo dixi, probus alioqui vir eſt & prudens, reiq; cum priuatæ, tum publicę, ſi quis alius, bene gerens, aſper tamen eſt & immitis adeo, vt nemo ad illum lubēs vnquam accedere cupiat. Cæterum iuuentuti etiam ſic infenſus, vt in minimis quibuſque, & contemnendis etiā iuuenum delictis, contumax ſemper, & inexorabilis ſit animaduerſor: quem cum eo nomine nuper compellatem (mitis enim vir eſt ingenii) mirareque inſuper, in tali præſertim viro, tantam morum acerbitatem, & erga iuuenes præcipue tam auſteram inclementiā, veluti ſi ab initio ſenex natus eſſet, nullamque ætatis nouellæ experientiam habuiſſet vnquam: Nō eſt quod mireris, inquit ille, ætatis enim iſthæc naturalia ſunt vitia ſeu mores, ſiue ꝓprios quoſdā peculiareſq; affect⁹ eos appellare maluerimus. Nō ſolum n. moroſi difficileſque per naturam omnibus ſunt ſenes, ſed multa etiam natura huiuſmodi habent alia, quæ ſibimet non minus quam aliis, illos moleſtos efficiunt. Parique rationis modo atq; econuerſo adoleſcentibus quoq; ſua ſunt ſtudia, peculiareſque animi affectiones, quibus cupide ad pleraque & petulanter illa effertur ætas: Quorum omnium rationes & cauſas præclariſſimè at breuiter & concinne admodum mihi retulit.

PH. Si tibi moleſtum non eſt, quæſo nobis enarra, quidnam vir ille de iis ætatum differentiis coram te diſſeruit.

E Q. Haudquaquam mihi eſt moleſtum, imo gratum admodum, cum & grata vobis fere cognoſcam & mihi quoque relatu ſint

ſint facilia, quippe qui ab illa ſum diſſertatione ſatis recens. Sic autem orationem ſuam atque reſponſionem exorſus eſt ſenex. Quoniam vt tibi, (inquit) ſcrupulum eximam, ætatum mihi omnium, ſed iuuenum præcipue ſenumque mores ſunt explicandi (in iis etenim, quam modo quætimus, diuerſitatis ſpecies, expreſſa habet indicia, cum reliquæ interiacentes ætates, ſicut harum ſunt mediæ, ſic communes vtriſq; & veluti commixtos habere videntur affectus) hoc profecto dicendorum exordio conuenientiſſime vti poſſe nunc videor, quod ſcilicet non ſolum annorum ſpaciis, ætatiſq; ratione iuuenes à ſenibus diſtare cenſentur, ſed multo etiam magis vitæ inſtitutis & moribus. Contrariæ etenim & pugnantes inter ſeſe nimirum eæ videntur eſſe ætates. Iuuenes namque (vt ab iis mea exordiatur oratio) cupidi ſunt maxime, & quæcunque volunt, vehementer ſanè, & nimis volunt, eaque perficere & complere, ætatis laboribus non cedentis præſidio, valenter poſſunt: id autem maxime circa corporeas perſpicitur voluptates, cum alias ſane, tum eas præcipue, quæ ad res ſpectant venereas. Harum enim valde ſunt cupidi, ętatis calidæ & humentis gratia, & ad illas effrænes incontinenteſque

Iuuenilis ætatis affectiones.

ſunt, ſibique ipſis haudquaquam in huiuſmodi re bene imperare poſſunt. Sunt prætcrea circa quæcunque alia deſideria natura inconſtantes iuuenes, & leues, citoque quod valde voluerunt, leui de cauſa negligunt, cupitæq; admodum rei ſatietatem incurrunt, vehementes enim & validæ ſanguinis & ſpirituum in iuuenili corpore motiones agitationeſq; in cauſa nimirum eſſe cenſentur, cur acutæ potius quam ſolidæ, & magnæ quam perdurantes illorum ſint appetentiæ, veluti ægrotantium ſitis & fames eſſe conſpiciuntur. Facile etiam omnes excandeſcunt iuuenes itaque leuibus de cauſis ſuperantur, & quio traxerit illa, nullo reſpectu ſequuntur, furorique & iracundiæ tunc magis impetu, quam conſilii rationiſque ductu omnia faciunt. Honoris enim cupiditate, cui maxime ſtudent, cōtemni negligiq; æquo animo non ferunt, iniuriaque affici feruida ingenio ætas minime patitur.

Cum autem honoris (vt dixi) cupida & appetens ſit iuuentus, non minus etiam contentioſa pugnaxque eſſe percipitur. Siquidem ſupereminere alios, & omnibus maxime excellere ſemper cupit: contentio autem, & peruicacia excellentiæ appetitus eſſe quidam

Digitized by Google

iure cenſetur. Cæterum vt iſtæc hoc ſe habeant modo, ad vtraſque tamen has animi affectiones propenſiores ſunt iuuenes, quam ad vehementem anxiamque pecuniarum appetentiam. Pecuniæ namque minime iuuenes natura ſunt auidi. Huius autem rei cauſa eſſe cenſetur, quoniam ætatis nouellæ gratia adhuc indigentiam non ſunt experti: non curant igitur quorum ſibi futuram indigentiam non verentur. Sunt præterea iuuenes haudquaquam maligni, ſed faciles potius & fatui, id autem icirco, quoniam multas adhuc hominum peruerſitates & verſutias non conſpexerunt, neque notas habent. Credula etiam, & optimæ ſemper ſpei illa eſt ætas, quoniam ſui breuitate exiguitateue in paruo temporis ſpatio neque ſæpius fuit decepta, neq; à ſpe fruſtrata ſua. Quemadmodum enim vino madidi hilares ſunt, & ſpei ſemper bonæ, ſic ætatis gratia iuuenes non immerito ſe habere videntur. Viuere autem bona cum ſpe vt plurimum iuuenes icirco cenſentur, quoniam ſpes quidem futuri eſſe apparet temporis, memoria vero præteriti, iuuenibus autem quod reſtat futurumque eſt, multum certe protenſumque eſt, præteritum vero admodum exiguum & breue: quamobrem primis in annis cum paucorum omnino meminiſſe poſſint, omnia certe ſibi in ſpem ponunt, nihilque tam arduum eſt, quod non ſibi illa polliceatur ætas: idque ipſum in cauſa eſt, cur facile etiam, & nullo negotio falli decipique poſſint iuuenes. Quicunque enim omnia ſibi ex voto ſucceſſura confidunt, ii profecto ſubdolorum peruerſorumque fraudibus ſunt obnoxii. Quamobrem adulatoribus ſcurriſque facile patent iuuenes. Quæ etiam res fortes illos animoſoſque nimirum efficere videtur. Cum enim natura (vt dixi) iracundi ſint iuuenes, haud facile timere ſciunt. Spes autem bona illos ſanè audaces facit, & profecto ita ſe res habet. Iratus enim timet nemo. Qui vero bene ſemper ſperat, præſenti & magno quodcunque aggreditur animo, & ad omnia intrepidus, & audax proculdubio eſſe conſpicitur. Verecundi quin etiam ſunt iuuenes, & natura magnanimi. Et verecundi quidem, quoniam alia adhuc ætatis gratia non norunt bona, neque pulchra, niſi quæ illis patriæ dictant leges, vrbiſque bene inſtitutæ conſuetudines oſtendunt, à quibus diſcedere illos mirifice pudet. Cum igitur quippiam ſibi ſecus agere videntur, illorum memorati

rati facile verecundiam incurrunt. Magnanimi autem non immerito eſſe cenſentur, quoniam tũ nullas offenſiones quibus humiles ſanè, & deiecti fiunt homines, illorum breuis recipit ætas: tum plurimarum, quæ longo proueniunt æuo, neceſſitatum penitus ſunt inexperti: & alioqui bona illos ſpes, qua (vt dictum eſt) viuunt, erectos, & magna quæque ſibi pollicentes plane efficit: quod magnanimi proprium & peculiare eſſe cenſetur. Non immerito præterea pulchre magis quippiam, & decore facere eligunt iuuenes, quam fructuoſe & vtiliter: quoniam more potius & conſuetudine (vt diximus) quam ratiocinationis conſiliiq; opere viuunt iuuenes. Ratiocinatio autem (vt videtur) ipſum ſpectat vtile, cùm mos & virtus quod pulchrum eſt appetant & conſequantur. Eſt præterea inter omnes maxime ætates iuuentus cum amicorum ſemper cupida, tum ſocios ſibi complures facile concilians: hoc autem ideo, quia conuerſatione conuictuque ętas illa apprime gaudet, vnaque cum ſibi gratiſſimis ſemper eſſe cupit. Nec minus etiam quia nihil adhuc vtilitatis ratione iudicat: neque quod conducibilius, aut ex re ſua magis, ſed quod iucundius gratiuſque expetit. Omnia autem quæcunque volunt, vehementer & anxie iuuenes ſemper volũt, eoq; peccare vidẽtur, quod nihil mediocriter expetunt. Plus nimio igitur amant, & magis quam par decenſque ſit odio habent, eoque modo in cæteris animi affectionibus ſe habent, nimiũq; in omnibus ſunt: qui etiam ſcire ſe omnia planè credũt, omniumq; ſibi iudicium præſumptuoſe adſciſcunt & vendicant, de omnibuſq; licentioſe contendũt: quæ res nonnihil cauſæ præbere videtur, cur omnia ætas illa nimis velit. Iuuenum autem delicta, ad contumeliam magis, quam ad malitiam vergere videntur. Excellentes enim eſſe volunt (vt dictum eſt) & magnanimi. Libere autem reprehendunt, & nullo damnant reſpectu: quoniam omnes rectos proboſque eſſe rati homines, & ad ſimplicitatis, integritatiſq; ſuæ regulam illos examinantes, ſi quid ſecus illis acciderit, aut à quopiam contra illos quid perperam patratum fuerit, ceu indigna patiantur, nõ æquo ferunt animo, neq; dictis bene tẽperare poſſunt. Eſt etiam ad irridendum ætas illa propenſior. Vrbanitatis enim, & cauillorum, dicteriorumque multum ſecum ſemper habet, cum contumeliis gaudeat. Vrbanitas autem ipſa moderata quædam, & quadantenus caſtigata contu-

melia eſſe cenſetur. Et iuuenum quidem mores, qui naturæ fontibus ſcaturire videntur, non ab re huiuſmodi eſſe conſpiciuntur: quibus tamen ratio, vitæque inſtitutio, & educationis modus moderari efficaciter poſſunt.

TH. O quam vere itaque Salomon, *Prouerbiorum trigeſimo*, Tria, inquit, ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſupra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. Verum tamen vt Hieronymus ad Nepotianum inquit: Sicut ignis in viridibus lignis ſuffocatur, ita ſapientia in adoleſcentia tentationibus & libidine impedita, non explicat ſuum fulgorem, niſi labore & ſtudio & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur. Vicina namque eſt lapſibus adoleſcentia, quia variarum æſtus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis, inquit Ambroſius *de viduis, libro primo*. Et quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum, effluit, grauiſſimum quodque turbidumque ſubſidit: Sic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt, *Seneca libro ſecundo, Epiſtola centeſima nona*. Sicut autem fructus non inuenitur in arbore in qua flos prius non apparuit, ſic in ſenectute honorem legitimum conſequi non potuit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione non laborarit. *Cyprian. de 12. abuſionibus.* Maximè vero hæc ætas à libidinibus eſt tollenda, in labore & patientia animi & corporis exercenda, vt in bellicis & ciuilibus officiis eorum vigeat induſtria. Vt enim ciconias nemo aduenire ſentit, ſed aduenisse: nemo diſcedere, ſed diſceſſiſſe: quod noctu clanculum faciunt vtrumq;: Ita iuuentutem nemo intelligit diſcedere, ſed diſceſſiſſe: & ſenectutem non ſentimus aduenire, ſed aduenisse. *Plinius libro decimo, hiſtoria natural. capite vigeſimo tertio.* Hæc volui obiter interloqui, vt interea poſſis paulum reſpirare atque recipere ſpiritum. Itaque nunc, ſi placet, vbi deſiiſti pergito.

EQ. Abſoluto de adoleſcentum ingenio ac moribus diſcurſu, ſenex continuabat ſermonem, in hunc qui ſequitur modum: Grandiores autem natu, inquit, & ii qui decurſa iam ætate meliori, in ſenium vergunt, contrario (vt dictum eſt) ſe habere videntur modo. *Senum mores.* Quoniam enim multos vixerunt annos, multotieſq; (vt par eſt) fuere decepti: pluraq; ſemper rerum eſſe mala & perperam euenire vident, neque obſtinate quicquam aſſeuerant, neq; vehementer, nimiſque

Digitized by Google

miſque quippiam expetunt: neq; ſe ſcire omnia contendunt, ambigendoque ſemper dictis addũt ſuis forſitan, contingit. Suſpicioſi prætetea ſunt ſenes, cogitandoq; ad peiorem ſemper vergunt partem: hoc autem icciрco, quia increduli ſunt. Increduli vero non immerito eſſe cẽſentur, propter multarum experientiam rerum, in quibus ſæpenumero eos fuiſſe deceptos, & ſpe fruſtratos veriſimile ſane eſt. Quamobrem hac etiam de cauſa, neque impendio plus amãt ſenes, neq; nimis oderunt: verum ſecundum Biantis præceptum, amant vt oſuri, & oderunt vt aliquando amaturi. Puſillanimes quinetiam ſunt ſenes, quoniam longis annorum ſpatiis humiles ſunt effecti, viuuntq; deiecti, & quaſi deſpectui habiti: quamobrem magnum & excellens nihil eorum, quę in communi verſantur vita, amplius deſiderare videntur. Ad hæc illiberales etiam ſunt ſenes, tum quia ex neceſſariarum numero rerũ facultates diuitiaſque exiſtimant, tum etiam quia longa docti experientia, probe ſciunt, facultates ſibi vendicare, & acquirere, rem ſane eſſe perdifficilem: eaſdem vero amittere & deperdere, perquam facilem. Timidi præterea ſunt, & ad omnia formidoloſi. Cõtrario enim iuuenibus ſe habẽt modo: calentes namq; ſunt illi & feruidi, ii vero algentes natura, & frigidi. Timor autẽ frigiditas quædam nõ immerito eſſe cenſetur. Cupida quinetiã vitæ huiuſmodi eſt ætas, in extremo præcipue cõſtituta ſenio: quoniam abſentis maxime rei cupiditas deſideriumque eſſe perhibetur, & cuius quiſpiam rei indiget maxime: maior autem illis ætatis decurſa eſt pars, qua certe indigere videtur, inde illius deſiderio flagrant. Queruli etiam ſemper ſunt ſenes puſillanimitatis gratia, & ad vtile magis quam ad pulchrum reſpiciunt. Hoc autem ideo, quoniam ſeipſos amantes ſunt ſenes: vtile vero ad ſe pertinens reputãt bonum: pulchrum autem ſimpliciter communeq; exiſtimant bonum. Impudentes præterea magis, quam verecundi ſunt ſenes, quoniam non æque pulchrum ſicut vtile curantes, negligunt ſane, & pro nihilo ducũt cuiuſmodi eſſe videantur, aliiſque appareant. Deſperant autem vt plurimum de omnibus ſenes, propter longum vitæ vſum, rerumq; experientiam. Cum enim hominũ res omnes fere malas vſu pertractationeque animaduerterint, & eſſe cognouerint, malos etiam non immerito timent euentus. Cui certe opinioni non nihil illorum innata ſuffragari videtur timiditas: cum enim timeant omnia, non ab re de omnib. etiam

deſperāt. Viuere quinetiam memoria magis cenſentur, q̄ ſpe: illorum namq; quod vitæ reſtat exiguum eſt, præteritum vero longum: ſpes autem (vt retro dictum eſt) temporis eſt futuri, cum præteriti ſola reſtet memoria. Quæ etiam res illorum nugacitatis vera cenſetur eſſe cauſa. Garruli ēnim fere, nugaceſq; omnes ſunt ſenes: reminiſcentes namq; non ſine quadā voluptatis titillatione, & loquēdi pruritu, q̄ pręterita ſunt nullo dicēdi fine cōmemorant & inculcant. Illorū pręterea indignationes, excandeſcentiæque acutę quidē eſſe animaduertuntur, verū imbecilles, & mancæ. Ex deſideriis autem alia quidem longo penitus æuo diſceſſerunt, & euanuerunt, alia vero imbecillia ſunt, & inania. Quamobrem neque appetentes valde natura ſunt ſenes, neque actuoſi admodum, & prompti, niſi lucelli quippiam arriſerit, & hanc ob cauſam temperati apparent ſenes eſſe: vehementes enim & concitæ ab illis abſceſſerunt appetentiæ, neglectiſque aliis, ſolis inſeruiunt lucri compendiis, vt cum alia ætatis vitio ſibi deſint, commoda hac ſe ſaltē via ſuſtentate valeant. Magiſq; ratiocinatione conſiliove (vt diximus) viuunt ſenes, quam conſuetudine, & more, cum ad vtile magis, quā ad pulchrum honorabileq; conſpiciant. Peccāt autem in iis quæ ſecus admittunt, & perperam agūt ſenes iniuſtitia potius, quam contumelia: non enim arroganter inſultant vt iuuenes, ſed peruerſe & maligne agunt. Queruli etiam eſſe percipiuntur, quoniam ætatis vitio & pati dura ſe omnia, & tantum non paſſuros exiſtimant: quamobrem tanquā in duris & aduerſis conſtituti, & mala mox expectantes, alia conqueruntur, ſortemque damnant ſuam. Et ea etiam de cauſa neque vrbani ſunt, neque riſus facetiarumque amici. Et ii quidem naturales ſenectutis ſunt mores. Ex quibus etiam manifeſto perpendere, recteque cognoſcere licet, quæ nam aliarum etiam ætatum peculiaria ſint ſtudia. Hæc cum dixiſſet ſenex & illis addere quædam (vt mihi tum viſum eſt) vellet, quominus id facere poſſet, quorundam interuentu, qui illi à ſenatu mandata cum literis attulerunt, prohibitus eſt: eoq; modo diſſertatio tūc illa finem habuit, quam omnibus (ni fallor) expreſſam verbis, & vt eam tunc literis mandaui, in præſentia retuli.

PH. Ita omnino ſe habet, vti ſenex eleganter ac concinne admodum tibi expoſuit. Neq; ſecus me hercule fieri poſſe apparet. Has enim in naturæ viſceribus congenitas, coalitaſque animorū affectiones, illarum vtraq; partu-

rit

rit ſemper, & in lucem producit ætas. Quamobrem poſthac viciniis iis tuis æquior ſane eris, admirariq; deſines, cur ſemper litigẽt, cum ætatum vitio potius, quam ſuo, naturaliter vterque ægrotare videatur. Cæterum vnum eſt, quod à te ſcire nunc cupio, quod etiam dum loquereris, animi me dubium habuit: an ſcilicet ſenex iſte verborenus (vt pleriq; ſolent) dum vixit ſit philoſophatus, & iſthæc ceu dictata retulerit: an potius philoſophorum placitis initiatus, illorum ſacraria legitime riteq; ſit ingreſſus, neq; extremis (quod aiunt) labris guſtauerit, ſed toto pectore illas hauſerit diſciplinas: mihi enim hucuſque perſuaſum creditumq; eſt, illum quidem in reipublicæ negotiis, & ad ſe pertinentibus adminiſtrationibus, ſine controuerſia inter alios omnes excelluiſſe, ex literarum autem ſtudiis humaniora ſemper calluiſſe, in illisq; etiam quadantenus ꝓgreſſum, omnes ordinis ſui homines facile ſuperaſſe, verum à maioribus diſciplinis cum vitæ inſtituto, tũ ingentibus occupationibus, à quibus nunq̃ fere (vt audio) vacabat, abductum ſeiugatumq; fuiſſe?

EQ. Qua tempeſtate vir ille floruit, ego per ætatem huiuſmodi de te haudquaquam iudicare poteram. Verum de illo ſæpenumero audiui, magnum illius ingenium, nunquam per occupationes à literis ceſſaſſe, ſed bonarum ſemper artium ſtudiis fuiſſe addictũ. Et niſi diuerſa illum vitæ ratio ab humaniorib. ſtudiis auocatum & abductũ in ciuilia negotia publicasq; conieciſſet curas, ſine controuerſia omnes ſui temporis literatos ſuperare potuiſſet.

PH. Honeſte nimirum tranſacta adoleſcentia iucundam efficit ſenectutem; ſtudium namque & diligentia in iuuene certa eſt honoratę iuuentutis ſponſio, honoratumque eſſe in ſenectute, argumentum eſt, eundem ante ſenectutem fuiſſe induſtrium. Niticurque adeo ſenectus laudabilis duobus hiſce quaſi ſcipionibus: *Recordatione vita honeſte anteacta, & ſpe vita melioris.* Subtrahe hos duos ſcipiones, & cõtra impone geminam ſarcinam, puta, vitæ p̃peram actæ memoriam, & futurę felicitatis deſperationem, animal afflictius miſeriuſq; eſt nullũ. Sapiunt igitur, qui mature colligunt viaticum venturę ſenectuti, ne extrema gaudii luct⁹ occupet.

EQ. Haud inconcinna itaque cuiuſdam adoleſcentis fuit ad ſenes quoſdam dicacitas. Cũ enim is aliquando præteriret per loca frequentiſſima ſepulchris; aliquot ſibi notos ſenes illic confabulantes comperit; qui vt iocandi petitum irritarent, iocari ſimul omnes, (vt eſt ætas illa loquacior) & manibus etiam plaudere cœperunt: ille ſe

proripiens, hoc vnum omnibus reſpondit: *Iniquum hoc loco certamen. Vos ante domos veſtras animoſiores eſtis.* Senio ſcilicet eorum, & vicinæ morti alludens. Nec prius intellectus, quã eo ab oculis ablato, cœmeteriũ circumſpicientes, quas ille domos loqueretur, perpenderunt.

TH. Plurima ſane eaq; grauia de ſenectute dicta atq; commonefactiones vbiuis apud autores extant. Verum his omnibus præponderat graphica illa eademq; ænigmatica ſenectutis ipſiuſque adeo mortis ὑποτύπωσις, quæ extat in Eccleſiaſte Salomonis *cap. 12.* quæ quia vobis minime ignota, quinetiã aliquantum prolixa eſt, nolo hic eam pluribus recitare. Vt tamen inde paucula enotem, & enodem, hæc rei ſumma eſt: Homini ad ſenium vergenti *obtenebreſcit ſol*, id eſt, viſus facultas diminuitur: *reuertũtur nubes poſt pluuiam*, id eſt, morbi indies ingraueſcũt, qui futuræ in morte tempeſtatis ſunt prænuntii: commouentur *cuſtodes domus*, id eſt, manus tremunt, nec faciunt officiũ: *incuruabũt ſe homini, robuſti*, id eſt, renes, in quibus robur maxime habitat, deficiunt: *molitrices*, id eſt, dentes ceſſant: *obtenebrantur videntes per feneſtras*, id eſt, oculi hebetantur: *clauduntur oſtia*, id eſt, labra: *ſonus molæ*, id eſt, dentium ſtrepitus edendique appetitus elangueſcit: *conſurgit ad vocem volucris*, id eſt, excitatur tuſſi, pituita, & cæteris morbis: propter crebram enim quaſſationem, interruptum ſenes habent ſomnũ: *humiliantur filiæ cantici*, id eſt, vox obtũditur & rauceſcit: *floret amygdalus*, i. e. ſenilis teſſera, canicies nimirũ, ſe oſtendit: *locuſta eſt oneri*, i. e. deferueſcit Veneris vſus: *redit ad domũ ſeculi*, id eſt, mortẽ: *circumeunt, &c.* complorantur mortui à præficis: *prolongatur funis*, id eſt, in morte laxiora fiunt membra: *confringitur vrceus aureus*, id eſt, cerebrum, arx vitæ, ſeu cor, ſcaturigo primogenii caloris, deficit: *conteritur hydria*, ſignificatur caua vena, ſedes ſanguinis, quem ſpiritus vitales hauriunt ex hepate, & toti corpori diſpertiuntur: *diſſipatur rota*, id eſt, caput marcet. Ita nimirum vſuuenit:

Singula de nobis anni prædantur euntes,
Eripuere focos, Venerem, conuiuia, luſus.

Ecquem vero mihi dabitis rhetorem, tam magnifice & exquiſite, vti dictante ſpiritu S. Salomon diſſerentẽ, & in non obſcura ſententia tot lumina, imo flumina orationis exſerentem?

EQ. Atque hinc etiam forte eſt q̃ vulgato dicterio bis pueri ſenes dicuntur, idque nõ ea duntaxat ratione, quod ætatis culpa ferme deſipiant, verum etiam, q̃ omni-

omnibus modis in ſenibus iam velut exacta vita initium recurrere videatur. Primum enim redit albor ſimul & raritas capillitii, quorum vtrumque pueris familiare; deinde balbuties, velut altera infantia; præterea gingiua exarmata détibus, aut certe paucis, iiſque vacillantibus inſtructa, quod & ipſum cum infantibus commune. Quinetiam ſenibus omne corpus ad puerilem decreſcit modum, cõſimilis virium imbecillitas. Iam quoque cibi conſimiles vtrique congruunt ætati: poſtremo morum ineptia, leuitas animi. Et hoc ipſum, nihil ſapere, in ſenibus infantiam quandam referre videtur. Poſt annos enim duodequinquaginta euaneſcit vt plurimum vigor ingenii: vnde fit, vt ſenes pueris mire delectentur, quaſi ſimiles iã ad ſimilium amorem propenſi. Quę omnia magnus ille Eraſmus *in Chiliad.* docte explicat.

TH. Sancti patres hanc ſenum repueraſcẽtiam magis ſobrie interpretati fuerũt. Hinc eſt, quod D. Ambroſius: Bonus tranſitus eſt, inquit, de peccato tranſire ad iuſtitiam, de vitiis ad virtutes, de ſenectute ad infantiam; infantiã autem dico, non ætatis, ſed ſimplicitatis. Nam & ſenectus motũ inuenitur in pueris, & innocentia infantium inuenitur in ſenibus. Et Auguſtinus in *Pſal. 113.* Sit ſenectus noſtra puerilis, & pueritia ſenilis, id eſt, vt nec ſapiẽtia noſtra ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia. Et idem Auguſtinus in *ſermonibus*: Infantia noſtra innocentia ſit, pueritia ſit reuerentia, adoleſcentia ſit patientia, iuuentus virtus, ſenium meritũ, ſenectus nihil aliud quam canus ſapienſque intellectus. In antiq̃s enim inquit Iobus *cap. 12.* eſt ſapientia; & in multo tempore prudentia. Et: Quã ſpecioſum enim caniciei iudiciũ? Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus & conſilium. Corona ſenum multa peritia & gloria illorum timor Dei, inquit *Eccleſiaſt. cap. 25.* Mens enim & ratio, inquit Macrobius, & conſilium in ſenibus eſt, qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino eſſent ciuitates. Proinde illorũ ẽt monitis eſt obtemperãdum. Eſtque eximium domus ac familiæ, quod grauiter Ben Syra, nepos Ieremiæ Prophetæ, infert, decus caput canum. Senex namque prouidẽdo nunquã ſeipſum ſine mẽtis cuſtodia relinquit, ſed quid agat, aut quid egerit, conſiderat: vt futura præſentium, præſentia autem præteritorum collatione trutinans, ipſe ſeſe recte dirigere poſſit, ad præteritũ tempus memoriam accommodans: ad præſens ſenſum: ad futurum vero prouidentiam. Hinc maſcula illa Auguſti ſenis vox: qua

gantum more cum diis bello depugnare contendat.

PH. Quid vero? annon agreſtes illas & cõcitatas animorum motiones vincere poſſunt atque ſuperare? Annon domina in homine eſt ratio, quæ rebelles alioqui & effrenes illarum inſultus iure ſuo inhibere valet & frangere?

EQ. Vera narras, & quid fieri debeat, innuis, & pro dignitate atque officio omnino ageretur, ſi vtrobique rectam rationis viam inirent homines, & non potius in lubricum præcipites haud raro ferrentur. Quotuſquiſque vero eſt, qui ita in præſentia vitam degat, vt omnino ſibi imperare valeat, omniaque conſilio perpendens, nihil temere, nihil perperam agat, & non potius diuerſimodis animi affectionib. confli&etur, & tranſuerſus ſæpenumero ad peiora rapiatur. Paucos prætereo, excipique volo, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus. Senex ille, de quo modo dixi, probus alioqui vir eſt & prudens, reiq; cum priuatæ, tum publicę, ſiquis alius, bene gerens, aſper tamen eſt & immitis adeo, vt nemo ad illum lubẽs vnquam accedere cupiat. Cæterum iuuentuti etiam ſic infenſus, vt in minimis quibuſque, & contemnendis etiã iuuenum delictis, contumax ſemper, & inexorabilis ſit animaduerſor: quem cum eo nomine nuper compellarem (mitis enim vir eſt ingenii) mirarerque inſuper, in tali præſertim viro, tantam morum acerbitatem, & erga iuuenes præcipue tam auſteram inclementiã, veluti ſi ab initio ſenex natus eſſet, nullamque ætatis nouellæ experientiam habuiſſet vnquam: Nõ eſt quod mireris, inquit ille, ætatis enim iſthæc naturalia ſunt vitia ſeu mores, ſiue ꝓprios quoſdã peculiareſq; affect⁹ eos appellare maluerimus. Nõ ſolum n. moroſi difficileſque per naturam omnibus ſunt ſenes, ſed multa etiam natura huiuſmodi habent alia, quæ ſibimet non minus quam aliis, illos moleſtos efficiunt. Parique rationis modo atq; econuerſo adoleſcentibus quoq; ſua ſunt ſtudia, peculiareſque animi affectiones, quibus cupide ad pleraque & petulanter illa effertur ætas? Quorum omnium rationes & cauſas præclariſſimè at breuiter & concinne admodum mihi retulit.

PH. Si tibi moleſtum non eſt, quæſo nobis enarra, quidnam vir ille de iis ætatum differentiis coram te diſſertauit.

EQ. Haudquaquam mihi eſt moleſtum, imo gratum admodum, cum & grata vobis fere cognoſcam & mihi quoque relatu ſint

ſint facilia, quippe qui ab illa ſum diſſertatione ſatis recens. Sic autem orationem ſuam atque reſponſionem exorſus eſt ſenex. Quoniam vt tibi, (inquit) ſcrupulum eximam, ætatum mihi omnium, ſed iuuenum præcipue ſenumque mores ſunt explicandi (in iis etenim, quam modo quærimus, diuerſitatis ſpecies, expreſſa habet indicia, cum reliquæ interiacentes ætates, ſicut harum ſunt mediæ, ſic communes vtriſq;, & veluti commixtos habere videntur affectus) hoc profecto dicendorum exordio conuenientiſſime vti poſſe nunc videor, quod ſcilicet non ſolum annorum ſpaciis, ætatiſq; ratione iuuenes à ſenibus diſtare cenſentur, ſed multo etiam magis vitæ inſtitutis & moribus. Contrariæ etenim & pugnantes inter ſeſe nimirum eæ videntur eſſe ætates. Iuuenes namque (vt ab iis mea exordiatur oratio) cupidi ſunt maxime, & quæcunque volunt, vehementer ſanè, & nimis volunt, eaque perficere & complere, ætatis laboribus non cedentis præſidio, valenter poſſunt: id autem maxime circa corporeas perſpicitur voluptates, cum alias ſane, tum eas præcipue, quæ ad res ſpectant venereas. Harum enim valde ſunt cupidi, ætatis calidæ & humentis gratia, & ad illas effrænes incontinenteſque

Iuuenilis ætatis affectiones.

ſunt, ſibique ipſis haudquaquam in huiuſmodi re bene imperare poſſunt. Sunt præterea circa quæcunque alia deſideria natura inconſtantes iuuenes, & leues, citoque quod valde voluerunt, leui de cauſa negligunt, cupiræq; admodum rei ſatietatem incurrunt, vehementes enim & validæ ſanguinis & ſpirituum in iuuenili corpore motiones agitationeſq; in cauſa nimirum eſſe cenſentur, cur acutæ potius quam ſolidæ, & magnæ quam perdurantes illorum ſint appetentiæ, veluti ægrotantium ſitis & fames eſſe conſpiciuntur. Facile etiam omnes excandeſcunt iuuenes itaque leuibus de cauſis ſuperantur, & quo traxerit illa, nullo reſpectu ſequuntur, furorique & iracundiæ tunc magis impetu, quam conſilii rationiſque ductu omnia faciunt. Honoris enim cupiditate, cui maxime ſtudent, cõtemni negligiq; æquo animo non ferunt, iniuriaque affici feruida ingenio ætas minime patitur.

Cum autem honoris (vt dixi) cupida & appetens ſit iuuentus, non minus etiam contentioſa pugnaxque eſſe percipitur. Siquidem ſupereminere alios, & omnibus maxime excellere ſemper cupit: contentio autem, & peruicacia excellentiæ appetitus eſſe quidam

iure

iure cenſetur. Cæterum vt iſthæc hoc ſe habeant modo, ad vtraſque tamen has animi affectiones propenſiores ſunt iuuenes, quam ad vehementem anxiamque pecuniarum appetentiam. Pecuniæ namque minime iuuenes natura ſunt auidi. Huius autem rei cauſa eſſe cenſetur, quoniam ætatis nouellæ gratia adhuc indigentiam non ſunt experti: non curant igitur quorum ſibi futuram indigentiam non verentur. Sunt præterea iuuenes haudquaquam maligni, ſed faciles potius & fatui, id autem icirco, quoniam multas adhuc hominum peruerſitates & verſutias non conſpexerunt, neque notas habent. Credula etiam, & optimæ ſemper ſpei illa eſt ætas, quoniam ſui breuitate exiguitateue in paruo temporis ſpatio neque ſæpius fuit decepta, neq; à ſpe fruſtrata ſua. Quemadmodum enim vino madidi hilares ſunt, & ſpei ſemper bonæ, ſic ætatis gratia iuuenes non immerito ſe habere videntur. Viuere autem bona cum ſpe vt plurimum iuuenes icirco cenſentur, quoniam ſpes quidem futuri eſſe apparet temporis, memoria vero præteriti, iuuenibus autem quod reſtat futurumque eſt, multum certe protenſumque eſt, præteritum vero admodum exiguum & breue: quamobrem primis in annis cum paucorum omnino meminiſſe poſſint, omnia certe ſibi in ſpem ponunt, nihilque tam arduum eſt, quod non ſibi illa polliceatur ætas: idque ipſum in cauſa eſt, cur facile etiam, & nullo negotio falli decipique poſſint iuuenes. Quicunque enim omnia ſibi ex voto ſucceſſura confidunt, ii profecto ſubdolorum peruerſorumque fraudibus ſunt obnoxii. Quamobrem adulatoribus ſcurriſque facile patent iuuenes. Quæ etiam res fortes illos animoſoſque nimirum efficere videtur. Cum enim natura (vt dixi) iracundi ſint iuuenes, haud facile timere ſciunt. Spes autem bona illos ſane audaces facit, & profecto ita ſe res habet. Iratus enim timet nemo. Qui vero bene ſemper ſperat, præſenti & magno quodcunque aggreditur animo, & ad omnia intrepidus, & audax proculdubio eſſe conſpicitur. Verecundi quin etiam ſunt iuuenes, & natura magnanimi. Et verecundi quidem, quoniam alia adhuc ætatis gratia non norunt bona, neque pulchra, niſi quæ illis patriæ dictant leges, vrbiſque bene inſtitutæ conſuetudines oſtendunt, à quibus diſcedere illos mirifice pudet. Cum igitur quippiam ſibi ſecus agere videntur, illorum memorati

rati facile verecundiam incurrunt. Magnanimi autem non immerito eſſe cenſentur, quoniam tũ nullas offenſiones quibus humiles ſanè, & deiecti fiunt homines, illorum breuis recipit ætas: tum plurimarum, quæ longo proueniunt æuo, neceſſitatum penitus ſunt inexperti: & alioqui bona illos ſpes, qua (vt dictum eſt) viuunt, erectos, & magna quæque ſibi pollicentes plane efficit: quod magnanimi proprium & peculiare eſſe cenſetur. Non immerito præterea pulchre magis quippiam, & decore facere eligunt iuuenes, quam fructuoſe & vtiliter: quoniam more potius & conſuetudine (vt diximus) quam ratiocinationis conſiliiq; opere viuunt iuuenes. Ratiocinatio autem (vt videtur) ipſum ſpectat vtile, cùm mos & virtus quod pulchrum eſt appetant & conſequantur. Eſt præterea inter omnes maximè ætates iuuentus cum amicorum ſemper cupida, tum ſocios ſibi complures facile concilians: hoc autem ideo, quia conuerſatione conuictuque ętas illa apprime gaudet, vnáque cum ſibi gratiſſimis ſemper eſſe cupit. Nec minus etiam quia nihil adhuc vtilitatis ratione iudicat: neque quod conducibilius, aut ex re ſua magis, ſed quod iucundius gratiuſque expetit. Omnia autem quæcunque volunt, vehementer & anxie iuuenes ſemper volũt, eoq; peccare videtur, quod nihil mediocriter expetunt. Plus nimio igitur amant, & magis quam par decenſque ſit odio habent, eoque modo in cæteris animi affectionibus ſe habent, nimiiq; in omnibus ſunt: qui etiam ſcire ſe omnia plane credũt, omniumq; ſibi iudicium præſumptuoſe adſciſcunt & vendicant, de omnibuſq; licentioſe contendũt: quæ res nonnihil cauſæ præbere videtur, cur omnia ætas illa nimis velit. Iuuenum autem delicta, ad contumeliam magis, quam ad malitiam vergere videntur. Excellentes enim eſſe volunt (vt dictum eſt) & magnanimi. Libere autem reprehendunt, & nullo damnant reſpectu; quoniam omnes rectos proboſque eſſe rati homines, & ad ſimplicitatis, integritatiſq; ſuæ regulam illos examinantes, ſi quid ſecus illis acciderit, aut à quopiam contra illos quid perperam patratum fuerit, ceu indigna patiantur, nõ æquo ferunt animo, neq; dictis bene tẽperare poſſunt. Eſt etiam ad irridendum ætas illa propenſior. Vrbanitatis enim, & cauillorum, dicteriorumque multum ſecum ſemper habet, cum contumeliis gaudeat. Vrbanitas autem ipſa moderata quædam, & quadantenus caſtigata contu-

melia eſſe cenſetur. Et iuuenum quidem mores, qui naturæ fontibus ſcaturire videntur, non ab re huiuſmodi eſſe conſpiciuntur: quibus tamen ratio, vitæque inſtitutio, & educationis modus moderari efficaciter poſſunt.

TH. O quam vere itaque Salomon, *Prouerbiorum trigeſimo*, Tria, inquit, ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſupra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. Verumtamen vt Hieronymus ad Nepotianum inquit: Sicut ignis in viridibus lignis ſuffocatur, ita ſapientia in adoleſcentia tentationibus & libidine impedita, non explicat ſuum fulgorem, niſi labore & ſtudio & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur. Vicina namque eſt lapſibus adoleſcentia, quia variarum æſtus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis, inquit Ambroſius *de viduis, libro primo.* Et quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum, effluit, grauiſſimum quodque turbidumque ſubſidit: Sic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt, *Seneca libro ſecundo, Epiſtola centeſima nona.* Sicut autem fructus non inuenitur in arbore in qua flos prius non apparuit, ſic in ſenectute honorem legitimum conſequi non potuit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione non laborarit. *Cyprian. de 12. abuſionibus.* Maximè vero hæc ætas à libidinibus eſt tollenda, in labore & patientia animi & corporis exercenda, vt in bellicis & ciuilibus officiis eorum vigeat induſtria. Vt enim ciconias nemo aduenire ſentit, ſed aduenisse: nemo diſcedere, ſed diſceſſiſſe: quod noctu clanculum faciunt vtrumq;: Ita iuuentutem nemo intelligit diſcedere, ſed diſceſſiſſe: & ſenectutem non ſentimus aduenire, ſed aduenisse. *Plinius libro decimo, hiſtoria natural. capite vigeſimo tertio.* Hæc volui obiter interloqui, vt interea poſſis paulum reſpirare atque recipere ſpiritum. Itaque nunc, ſi placet, vbi deſiiſti pergito.

EQ. Abſoluto de adoleſcentum ingenio ac moribus diſcurſu, ſenex continuabat ſermonem, in hunc qui ſequitur modum: Grandiores autem natu, inquit, & ii qui decurſa iam ætate meliori, in ſenium vergunt, contrario (vt dictum eſt) ſe habere videntur modo. Quoniam enim multos vixerunt annos, multotieſq; (vt par eſt) fuere decepti: pluraq; ſemper rerum eſſe mala & perperam euenire viderunt, neque obſtinate quicquam aſſeuerant, neq; vehementer, nimiſque *Senum mores.*

miſque quippiam expetunt: neq; ſe ſcire omnia contendunt, ambigendoque ſemper dictis addũt ſuis forſitan, contingit. Suſpicioſi præterea ſunt ſenes, cogitandoq; ad peiorem ſemper vergunt partem: hoc autem iccirco, quia increduli ſunt. Increduli vero non immerito eſſe cẽſentur, propter multarum experientiam rerum, in quibus ſæpenumero eos fuiſſe deceptos, & ſpe fruſtratos veriſimile ſane eſt. Quamobrem hac etiam de cauſa, neque impendio plus amãt ſenes, neq; nimis oderunt: verum ſecundum Biantis præceptum, amant vt oſuri, & oderunt vt aliquando amaturi. Puſillanimes quinetiam ſunt ſenes, quoniam longis annorum ſpatiis humiles ſunt effecti, viuuntq; deiecti, & quaſi deſpectui habiti: quamobrem magnum & excellens nihil eorum, quę in communi verſantur vita, amplius deſiderare videntur. Ad hæc illiberales etiam ſunt ſenes, tum quia ex neceſſariarum numero rerũ facultates diuitiaſque exiſtimant, tum etiam quia longa docti experientia, probe ſciunt, facultates ſibi vendicare, & acquirere, rem ſane eſſe perdifficilem: eaſdem vero amittere & deperdere, perquam facilem. Timidi præterea ſunt, & ad omnia formidoloſi. Cõtrario enim iuuenibus ſe habet modo: calentes namq; ſunt illi & feruidi, ii vero algentes natura, & frigidi. Timor autẽ frigiditas quædam nõ immerito eſſe cenſetur. Cupida quinetiã vitæ huiuſmodi eſt ætas, in extremo præcipue cõſtituta ſenio: quoniam abſentis maxime rei cupiditas deſideriumque eſſe perhibetur, & cuius quiſpiam rei indiget maxime: maior autem illis ætatis decurſa eſt pars, qua certe indigere vidẽtur, inde illius deſiderio flagrant. Queruli etiam ſemper ſunt ſenes puſillanimitatis gratia, & ad vtile magis quam ad pulchrum reſpiciunt. Hoc autem ideo, quoniam ſeipſos amantes ſunt ſenes: vtile vero ad ſe pertinens reputãt bonum: pulchrum autem ſimpliciter communeq; exiſtimant bonum. Impudentes præterea magis, quam verecundi ſunt ſenes, quoniam non æque pulchrum ſicut vtile curantes, negligunt ſane, & pro nihilo ducũt cuiuſmodi eſſe videantur, aliiſque appareant. Deſperant autem vt plurimum de omnibus ſenes, propter longum vitæ vſum, rerumq; experientiam. Cum enim hominũ res omnes fere malas vſu pertractationeque animaduerterint, & eſſe cognouerint, malos etiam non immerito timent euentus. Cui certe opinioni non nihil illorum innata ſuffragari videtur timiditas: cum enim timeant omnia, non ab re de omnib. etiam de-

Digitized by Google

deſperãt. Viuere quinetiam memoria magis cenſentur, q̃ ſpe: illorum namq; quod vitæ reſtat exiguum eſt, præteritum vero longum: ſpes autem (vt tetro dictum eſt) temporis eſt futuri, cum præteriti ſola reſtet memoria. Quæ etiam res illorum nugacitatis vera cenſetur eſſe cauſa. Garruli enim fere, nugaceſq; omnes ſunt ſenes: reminiſcentes namq; non ſine quadã voluptatis titillatione, & loquẽdi pruritu, q̃ pręterita ſunt nullo dicẽdi fine cõmemorant & inculcant. Illorũ prętereà indignationes, excandeſcentiæque acutę quidẽ eſſe animaduertuntur, verũ imbecilles, & mancæ. Ex deſideriis autem alia quidem longo penitus æuo diſceſſerunt, & euanuerunt, alia vero imbecillia ſunt, & inania. Quamobrem neque appetentes valde natura ſunt ſenes; neque actuoſi admodum, & prompti, niſi lucelli quippiam arriſerit, & hanc ob cauſam temperati apparent ſenes eſſe: vehementes enim & concitæ ab illis abſceſſerunt appetentiæ, neglectiſque aliis, ſolis inſeruiunt lucri compendiis, vt cum alia ætatis vitio ſibi deſint, commoda hac ſe ſaltẽ via ſuſtentare valeant. Magisq; ratiocinatione conſiliove (vt diximus) viuunt ſenes, quam conſuetudine, & more, cum ad vtile magis, quã ad pulchrum honorabileq; conſpiciant. Peccãt autem in iis quæ ſecus admittunt, & perperam agũt ſenes iniuſtitia potius, quam contumelia: non enim arroganter inſultant vt iuuenes, ſed peruerſe & maligne agunt. Queruli etiam eſſe percipiuntur, quoniam ætatis vitio & pati dura ſe omnia, & tantum non paſſuros exiſtimant: quamobrem tanquã in duris & aduerſis conſtituti, & mala mox expectantes, alia conqueruntur, ſortemque damnant ſuam. Et ea etiam de cauſa neque vrbani ſunt, neque riſus facetiarumque amici. Et ii quidem naturales ſenectutis ſunt mores. Ex quibus etiam manifeſto perpendere, recteque cognoſcere licet, quæ nam aliarum etiam ætatum peculiaria ſint ſtudia. Hæc cum dixiſſet ſenex & illis addere quædam (vt mihi tum viſum eſt) vellet, quominus id facere poſſet, quorundam interuentu, qui illi à ſenatu mandata cum literis attulerunt, prohibitus eſt: eoq; modo diſſertatio tũc illa finem habuit, quam omnibus (ni fallor) expreſſam verbis, & vt eam tunc literis mandaui, in præſentia retuli.

PH. Ita omnino ſe habet, vti ſenex eleganter ac concinne admodum tibi expoſuit. Neq; ſecus me hercule fieri poſſe apparet. Has enim in naturæ viſceribus congenitas, coalitaſque animorũ affectiones, illarum vtraq; partu-

rit

rit ſemper, & in lucem producit ætas. Quamobrem poſthac viciniis iis tuis æquior ſane eris, admirariq; deſines, cur ſemper litigēt, cùm ætatum vitio potius, quam ſuo, naturaliter vterque ægrotare videatur. Cæterum vnum eſt, quod à te ſcire nunc cupio, quod etiam dum loquereris, animi me dubium habuit: an ſcilicet ſenex iſte verbotenus (vt pleriq; ſolent) dum vixit ſit philoſophatus, & iſthæc ceu dictata retulerit: an potius philoſophorum placitis initiatus, illorum ſacraria legitimeriteq; ſit ingreſſus, neq; extremis (quod aiunt) labris guſtauerit, ſed toto pectore illas hauſerit diſciplinas: mihi enim hucuſquè perſuaſum creditumq; eſt, illum quidem in reipublicæ negotiis, & ad ſe pertinentibus adminiſtrationibus, ſine controuerſiâ inter alios omnes excelluiſſe, ex literarum autem ſtudiis humaniora ſemper calluiſſe, in illisq; etiam quadantenus ꝑgreſſum, omnes ordinis ſui homines facile ſuperaſſe, verum à maioribus diſciplinis cum vitæ inſtituto, tū ingentibus occupationibus, à quibus nunq̃ fere (vt audio) vacabat, abductum ſeiugatumq; fuiſſe?

EQ. Qua tempeſtate vir ille floruit, ego per ætatem huiuſmodi de re haudquaquam iudicare poteram. Verum de illo ſæpenumero audiui, magnum illius ingenium, nunquam per occupationes à literis ceſſaſſe, ſed bonarum ſemper artium ſtudiis fuiſſe addictū. Et niſi diuerſa illum vitæ ratio ab humaniorib. ſtudiis auocatum & abductū in ciuilia negotia publicasq; coniecìſſet curas, ſine controuerſia omnes ſui temporis literatos ſuperare potuiſſet.

PH. Honeſte nimirum tranſacta adoleſcentia iucundam efficit ſenectutem; ſtudium namque & diligentia in iuuene certa eſt honorataç iuuentutis ſponſio, honoratarumque eſſe in ſenectute, argumentum eſt, eundem ante ſenectutem fuiſſe induſtrium. Nititurque adeo ſenectus laudabilis duobus hiſce quaſi ſcipionibus; *Recordatione vitæ honeſte anteactæ, & ſpe vitæ melioris.* Subtrahe hos duos ſcipiones, & cōtra impone geminam ſarcinam, puta, vitæ peractæ memoriam, & futuræ felicitatis deſperationem, animal afflictius miſeriuſq; eſt nullū. Sapiunt igitur, qui mature colligunt viaticum venturę ſenectuti, ne extrema gaudii luct⁹ occupet.

EQ. Haud inconcinna itaque cuiuſdam adoleſcentis fuit ad ſenes quoſdam dicacitas. Cū enim is aliquando prætetiret per loca frequentiſſima ſepulchris; aliquot ſibi notos ſenes illic confabulantes comperit, qui vt iocandi peritum irritarent, iocari ſimul omnes (vt eſt ætas illa loquacior) & manibus etiam plaudere cœperunt: ille ſe

proti-

proripiens, hoc vnum omnibus reſpondit: *Iniquum hoc loco certamen. Vos ante domos veſtras animoſiores eſtis.* Senio ſcilicet eorum, & vicinæ morti alludens. Nec prius intellectus, quã eo ab oculis ablato, cæmeteriũ circumſpicientes, quas ille domos loqueretur, perpenderunt.

TH. Plurima ſane eaq; grauia de ſenectute dicta atq; commonefactiones vbiuis apud autores extant. Verum his omnibus præponderat graphica illa eademq; ænigmatica ſenectutis ipſiuſque adeo mortis ὑποτύπωσις, quæ extat in Eccleſiaſte Salomonis *cap. 12.* quæ quia vobis minime ignota, quinetiã aliquantum prolixa eſt, nolo hic eam pluribus recitare. Vt tamen inde paucula enotem, & enodem, hæc rei ſumma eſt: Homini ad ſenium vergenti *obtenebreſcit ſol*, id eſt, viſus facultas diminuitur: *reuertũtur nubes poſt pluuiam,* id eſt, morbi indies ingraueſcũt, qui futuræ in morte tempeſtatis ſunt prænuntii: *commouentur cuſtodes domus*, id eſt, manus tremunt, nec faciunt officiũ: *incuruabũt ſe homini, robuſti*, id eſt, renes, in quibus robur maxime habitat, deficiunt: *molitrices*, id eſt, dentes ceſſant: *obtenebrantur videntes per feneſtras*, id eſt, oculi hebetantur: *claudunturoſtia*, id eſt, labra: *ſonus molæ*, id eſt, dentium ſtrepitus edendique appetitus elangueſcit: *conſurgit ad vocem volucris*, id eſt, excitatur tuſſi, pituita, & cæteris morbis: propter crebram enim quaſſationem, interruptum ſenes habent ſomnũ: *humiliantur filiæ cantici*, id eſt, vox obtũditur & rauceſcit: *floret amygdalus*, i. e. ſenilis teſſera, canicies nimirũ, ſe oſtendit: *locuſta eſt oneri*, i. e. deferueſcit Veneris vſus: *redit ad domũ ſeculi*, id eſt, mortẽ: *circumeunt, &c.* complorantur mortui à præficis: *prolongatur funis*, id eſt, in morte laxiora fiunt membra: *confringitur vrceus aureus*, id eſt, cerebrum, arx vitæ, ſeu cor, ſcaturigo primogenii caloris, deficit: *conteritur hydria*, ſignificatur caua venæ, ſedes ſanguinis, quem ſpiritus vitales hauriunt ex hepate, & toti corpori diſpertiuntur: *diſſipatur rota*, id eſt, caput marcet. Ita nimirum vſuuenit:

Singula de nobis anni prædantur euntes,
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, luſus.

Ecquem vero mihi dabitis rhetorem, tam magnifice & exquiſite, vti dictante ſpiritu S. Salomon differentẽ, & in non obſcura ſententia tot lumina, imo flumina orationis exſerentem?

E Q. Atque hinc etiam forte eſt ꝙ vulgato dicterio bis pueri ſenes dicuntur, idque nõ ea duntaxat ratione, quod ætatis culpa ferme deſipiant, verum etiam, ꝙ omni-

omnibus modis in ſenibus iam velut exacta vita initium recurrere videatur. Primum enim redit albor ſimul & raritas capillitii, quorum vtrumque pueris familiare; deinde balbuties, velut altera infantia; præterea gingiua exarmata dẽtibus, aut certe paucis, iiſque vacillantibus inſtructa; quod & ipſum cum infantibus commune. Quinetiam ſenibus omne corpus ad puerilem decreſcit modum, cõſimilis virium imbecillitas. Iam quoque cibi conſimiles vtrique congruunt ætati: poſtremo morum ineptia, leuitas animi. Et hoc ipſum, nihil ſapere, in ſenibus infantiam quandam referre videtur. Poſt annos enim duodequinquaginta euaneſcit vt plurimum vigor ingenii: vnde fit, vt ſenes pueris mire delectentur, quaſi ſimiles iã ad ſimilium amorem propenſi. Quę omnia magnus ille Eraſmus *in Chiliad.* docte explicat.

TH. Sancti patres hanc ſenum repueraſcẽtiam magis ſobrie interpretati fuerũt. Hinc eſt, quod D. Ambroſius: Bonus tranſitus eſt, inquit, de peccato tranſire ad iuſtitiam, de vitiis ad virtutes, de ſenectute ad infantiam; infantiã autem dico, non ætatis, ſed ſimplicitatis. Nam & ſenectus morũ inuenitur in pueris, & innocentia infantium inuenitur in ſenibus. Et Auguſtinus in *Pſal. 112.* Sit ſenectus noſtra puerilis, & pueritia ſenilis, id eſt, vt nec ſapiẽtia noſtra ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia. Et idem Auguſtinus in *ſermonibus*: Infantia noſtra innocentia ſit, pueritia ſit reuerentia, adoleſcentia ſit patientia, iuuentus virtus, ſenium meritũ, ſenectus nihil aliud quam canus ſapienſque intellectus. In antiq; enim inquit Iobus *cap. 12.* eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Et: Quã ſpecioſum enim caniciei iudiciũ? Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus & conſilium. Corona ſenum multa peritia & gloria illorum timor Dei, inquit *Eccleſiaſt. cap. 25.* Mens enim & ratio, inquit Macrobius, & conſilium in ſenibus eſt, qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino eſſent ciuitates. Proinde illorũ ẽt monitis eſt obtemperãdum. Eſtque eximium domus ac familiæ, quod grauiter Ben Syra, nepos Ieremiæ Prophetæ, infert, decus caput canum. Senex namque prouidẽdo nunquã ſeipſum ſine mẽtis cuſtodia relinquit, ſed quid agat, aut quid egerit, conſiderat: vt futura præſentium, præſentia autem præteritorum collatione trutinans, ipſe ſeſe recte dirigere poſſit, ad præteritũ tempus memoriam accommodans: ad præſens ſenſum: ad futurum vero prouidentiam. Hinc maſcula illa Auguſti ſenis vox: qua

vnica exercitum compeſcuit tumultuantem: *Vos, inquit, iuuenes audite me ſenem, qui iunior ſenes audiui*, vel, vt alii habent, *quem ſenes iuuenem audiuerũt*. Auguſtus enim adoleſcens ad Remp. admotus eſt, ſummaq; fuit authoritate. Atque hac ſola voce illos coërcuit. Omnino iuxta illud Vergilianũ:

Tum pietate (ſeu ætate) *grauem ac meritis ſi forte virum quem*
Conſpexere, ſilent arrectiq; auribus aſtant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet:

Vt enim vrbium diuerſus in contraria niſus motum omniũ temperat, ita ſenum cunctatio iuuenum in republica feruorem ac præcipitantiã moderatur. Etſi namque, vt inquit Plutarchus *in moral. lib.* vitis nouella copioſius gignit vinum, vitis tamen vetuſtior, vinum gignit melius. Pari omnino ratione in iuuenibus eſt feruor, at in ſenibus eſt prudentia.

PH. Atq; hic ipſe feruor atq; inſolentia, vt grauiter Eraſmus *in ſimilibus*, inquit, longo rerum vſu atq; ætate mitigatur, pari omnino modo, quemadmodum vina & poma ſubacerba miteſcunt. Hinc ſenectuti iuuentus olim ita cumulatum & circumſpectum honorem reddebat; tanquã maiores natu adoleſcẽtium cõmunes eſſent patres, inqt Saluſtius *in Iugurtha*. Quinetiam eodem teſte inuitati olim ad cœnam diligenter quærebant, quinã ei conuiuio eſſent interfuturi: ne ſenioris aduentum diſcubitu præcurrerent: ſublataq; menſa priores conſurgere & abire patiebantur. Et Archelaus rex cum opiparum lautumque cõuiuium amicis ſuis paraſſet, haberetq; in eo conuiuio proxime ſibi aſſidẽtem Agathonem poëtã tragicum iam ſenem, ſe plurimum amare ipſum dicebat, Ageſilao autem interrogante, cur amandus eſſet homo ſenex? Per Iouem, inquit, ver non ſolum eſt bonorũ optimum, verum etiam autumnus. Cõparat autem florentem iuuentutem tẽpori verno, quo omnia ſunt in herbis: ſenectutem autẽ autumno fœcundiſſimo, *Aelianus libr. 13. de var. hiſt.* Et refert Plutarchus *in Laconicis*, quod quidã profectus Lacedæmonem, cum vidiſſet honorem, quam iuniores præſtãt ſenioribus: In ſola, inquit, Sparta expedit ſeneſcere. Et refert Eraſmus ex Plutarcho *in Lacon.* quod cum ſenex quiſpiam in Olympiis cupidus eſſet ſpectandi certaminis quod agebatur, nullaq; vacaret ſedes, ad varia ſeſe loca conferens, ludibrio erat ac ſcommatis petebatur, quod nullus eum exciperet. Vt vero peruenit ad Lacedæmonios, ibi nõ ſolum pueri omnes aſſurrexerunt, verum etiam viri multi ceſſerunt illi locũ.

Id factũ cum cæteri Græci, quotquot aderãt, plauſu comprobaſſent, patriumq; morẽ ſupra modum collaudaſſent: ſenex

Concutiens canaſq, genas & tempora cana,
Ac fuſis lacrymis,

Heu miſeriam, inquit, vt omnes Græci norũt, quid ſit honeſtum, ſed eo ſoli vtuntur Lacedęmonii. Hinc ſcite Iuuenalis Satyra 13.

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunq, puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaq, par adeo ſacra lanugo ſenectæ.

EQ. Hæc reuerentia minime certe ex opinione cuiuſdam repueraſcẽtiæ, ſed potius ex admiratione ſenilis prudentiæ enata fuit, quã etiam ſapientiores quiq; magis quam repueraſcentiam obſeruarunt atq; imitati ſunt, neque id ſolum, verum etiam proteruos repueraſcentiæ obſeruatores ac ſenimaſtiges omnib. diris deuouerũt. Hoc exemplo Sophocles iam extremæ ſenectutis cum à filiis accuſaretur dementię, is pro apologia recitauit iudicibus tragœdiam, quam proxime ſcripſerat, rogans, num ea videretur delirantis, ſentiens in eruditis & ſobriis animi vim non elangueſcere, ſed reuigeſcere potius vſu & exercitatione. Proinde ſenectus apud omnes ſit venerabilis, illorũ præſertim, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, quippe eorum ſenectus in bonis moribus dulcior, in conſiliis ſubtilior, ad conſtantiam potior, ad reprimendas libidines fortior, corporiſque infirmitas, mentis ſobrietas eſt. Horum itaq; præceptiones ad educandam boniſque moribus atq; omni virtutum genere informandam iuuentutem ſacroſanctæ ſunto.

COLLOQVIVM III.

DE HOMINVM EDVCATIONE, ATQVE INFORMATIONE, DEQVE VIRTVTVM COMMENDATIONE AC vitiorum vituperio.

PHILOSOPHVS. EQVES. THEOLOGVS.

CVm repueraſcētiam ſenilē heſterno noſtro colloquio ,. iucundo ſermone dignaque laude ac commendatione proſecuti ſimus, non abs re facturos nos arbitror, ſi eandem etiam tenerioribus ingeniis inſtillemus, & non tam voce quam etiam exemplis, quid ad imitationem ſenilem facere conueniat, commonſtremus, idque exemplo magni illius herois Æneæ Virgiliani, cuius

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

qui etiam gnauiter & grauiter eundem Aſcanium chariſſimum admonuit:

Diſce puer virtutē ex me verumq; laborem.

E Q. Iuuenalis *Satyr. 14.* eleganter admodū, q̃ cauta ſit puerorū habenda ratio, monet, dum inq̃t:

Nil dictu fœdum, viſuq; hac limina tangat,
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum; & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri cōtempſeris annos.

Cumprimis vero, quod monet Horatius *de arte poet.*

Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit & ponit temere, & mutatur in horas.

In quam ſententiam etiam Cornelius Gallus eleganter canit:

Diuerſos diuerſa iuuant: non omnibus annis
Omnia conueniunt: res prius apta, nocet,

Ex-

Exſultat leuitate puer, grauitate ſenectus:
Inter vtrunque manens ſtat iuuenile decus,
Hunc tacitum, triſtemq; decet, ſit clarior ille
Lætitia, & lingua garrulitate ſua.

PH. Non morum duntaxat, ſed & corporum tenellorum habenda eſt diligens ratio, vt corpus & valetudo liberorum recte curetur & conſeruetur. Hinc Ficin. *in Plat. de legibus, dialogo 7.* Infantibus, inquit, curandis motu perpetuo vti iubet Plato. Primò, quia motu geniti ſeruantur. Secundò, quia eiuſmodi motione vitæ moderata immoderatæ agitationi tum intrinſecus à natura, tum extrinſecus ab aere factæ reſiſtimus. Tertiò, quoniam motus calorem excitat naturalem, corpuſque totum æque viuificat. Quartò, nutrimentum cõcoquit & digerit per membra. Quintò, ſupuacanea excremẽta ſecernit. Sextò abſtruſa aperit & adæquat humores. Septimò, conducit ad augmentũ. Octauò, mẽbra apta ſimul reddit & ſolida, non ſolum moderatione quadã æqualitatis, verum etiam numeri cuiuſdam proportione, motum nobis oportet congruere.

Liberorum educatio.

EQ. Cum primis tamen curandum eſt, vt animus ab ineunte ætate honeſtis artibus & diſciplinis imbuatur. Etenim qui non recte inſtituunt atque erudiunt liberos, teſte Cicerone, non ſolum liberis, verum etiam reipublicæ faciunt iniuriam. Suſcipiũtur n. liberi non ſolum nobis, ſed etiam patriæ, qui non modo nobis voluptati, ſed etiam aliquando vſui reipublicæ eſſe poſſint. Quo reſpexit ſapientiſſimus rex Salomon, vbi dicit: *Qui parcè vtitur virga, odit filium. Qui vero diligit filium, tempeſtiuè eum caſtigat.* Ideoq; non fruſtra Fabius Quintilianus (*de Oratoribus*) veterum Romanorum ſeueritatem ac diſciplinam circa educandos formandoſque liberos celebrat; deque ſui temporis vitiis quæ natos ſtatim excipiunt, & per ſingulos ætatis gradus cumulantur, conqueritur, ac veterum Romanorum ſeueritatem ac diſciplinam circa educandos formandoſque liberos celebrat; Iamprimum inquit, cuiuſq; filius ex caſta parente natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum & inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis ſpectatiſque moribus, omnis cuiuſpiam familiæ ſoboles committeretur, corã qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſ-

remiſſiones etiam luſuſque pue-rorum ſanctitate quadam ac verecũdia temperbant. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Quæ diſciplina & ſeueritas eo pertinebat, vt ſineera & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuſcuiuſque natura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas, & ſiue ad rem militarem, ſiue ad iuris ſententiam, ſiue ad eloquentiæ ſtudium inclinaſſet, id ſolum ageret, & vniuerſum hauriret. At nũc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus ſeruis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. Nec quiſquam in tota domo penſi habet, quid coram infante aut dicat, aut faciat, quando ipſi parentes nec probitati, neque modeſtiæ paruulos aſſefaciunt, ſed laſciuiæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemtus. Iam vero propria & peculiaria huius vrbis vitia pene in vtero matris concipi mihi videntur. Et quæ ſequuntur.

PH. Extant certe grauiſſimæ grauiſſimorum Authorum commonefactiones de parentũ cura erga liberos, ex quibus, quantam liberorum ſuperioribus, imò antiquioribus ſeculis atque ætatibus habuerint rationem, cuiuis promptum eſt colligere: Itaque operæ pretium facturi ſumus, ſi illarum quaſdam, eaſque præcipuas, ad aliorum informationem in medium afferamus. Eſtque cum primis in hoc negotio ingenioſus Plutarchus qui etiam peculiarem de liberis educandis tractatum conſcripſit. Is igitur in tractatu iſto *titulo primo.* Si quis, inquit, illuſtrium eſſe filiorum pater optat, id ei proponendũ arbitror, ne vilibus aut abiectis ſeſe deuinciat mulieribus, quales meretrices ſunt aut pellices. Quibus enim vlla ex patre vel matre innata eſt macula, eos quoad vita ſuperſit, indelenda quædam ignobilitatis conuitia comitantur, quæ increpare carpereque volentibus in promptu magnopere ſunt. Pulchræ igitur libertatis ac licentiæ theſaurus eſt, bonis procreatum eſſe parentibus. Quæ res his plurimi fieri debet, qui legitimam exoptant ſobolem. Qui ſe mulieribus generandæ gratia ſobolis admouent, omnino ſobrii, aut vino ſaltem modeſtiſſime delibato congreſſum faciant, quibus enim ex initio, vt

Veterum ſententia de educatione liberorum.

Liberorum generatio ſiue conceptio.

tio, vt à genitoribus per ebrietatem ſeminarentur, accidit, hi vini auidi ac temulenti nimirum eſſe ſolent. Ea propter cum Diogenes quendam ex temulentia alienatæ mentis adoleſcentulum deſipere cerneret; *Adoleſcentule*, inquit, *ebrius te ſeminauit pater*. In eandem planè ſententiam etiam Plato *libro 5. de legibus*. Maximè vero, inquit, connubio coniuncti ſponſus & ſponſa tunc mentis compotes eſſe debent, quoniam non prauam ineunt vitæ mutationem, præſertim vt ex quam maximè moderatis ſemper generatio fiat. Quare vt ſolidus, ſtabilis, & quietus conceptus fiat, non oportet corporib. ebrietate diffuſis dare operam liberis. Qui autem vino refertus eſt, tam animæ quam corporis rabie concitatus, quouis & trahit & trahitur. Idcirco ebrius tanquam mente captus ad ſerẽdum eſt inutilis. Oportetq; ibi nuptias celebrare, vbi ſit cum liberis ſuis habitaturus.

Infantis in lucem editi cura.

TH. Non generationis ſiue conceptionis duntaxat vtrinque habenda eſt ratio, ſed cum primis fœtus ſiue infantuli quamprimum in lucem eſt editus, cura habenda eſt, non à matre duntaxat, ſed vel maximè ab ipſo parente atque genitore. Habetque homo præ cæteris animantibus hoc fere peculiare, quod cum plerique inter bruta mates, fœtus ſuos in lucem editos deſerant, ſolis matribus nutritionis relicta cura, homo tamen vterque, tam mas quam fœmina, prolis ſuæ educationi, quamuis non vna eademq; opera atq; vno modo, incumbunt.

EQ. Prima atque præcipua cura, prole in lucem edita, vtriuſque parentis eſt de infantuli nutrimento, ad quod ſubminiſtrandum deligitur à quibuſdam delicatioribus muliercula, cuius fidei infantulus committitur, vt illi & vbera admoueat, & cibos infantuli ætati conuenientes ſubminiſtret, omninoque ad ea intenta ſit, quæ ad infantuli educationem promouẽdam requiri videantur. Et hunc eſſe morem antiquiſſimum plurimis retrò ſeculis vſurpatum, ex hiſtoriarum monumentis abunde conſtat.

Nutrices.

TH. D. Hieron. muliercularũ iſtarum, quas vulgo nutrices dicunt, etiam facit mentionem, & quia laſciuiam ac ſalacitatem in pleriſq; obſeruauit, non admodũ probaſſe videtur, vicariam illam nutriendi rationem, at quia culpare quidem, ſed mutare tamen non potuit, pro ratione officii, quibus indutæ debeant eſſe moribus, præſcripſit: Nutrix ipſa, inquit, non ſit temulenta, non laſciua, non garrula.

EQ. Nu-

E Q. Nutricum mentionem etiam facit Quintilianus, & quibus præditas eſſe moribus illas conueniat, non præſcribit tantum, ſed etiam ipſi infantuli patri, vt nutricis mores atque ingenium gnauiter obſeruet, demandat: Nato filio, inquit, pater ſpem de illo primum quam optimam capiat, ita diligentior à principiis fiet. Ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus, curam impendat, quas (ſi fieri poſſet) ſapientes Chriſippus optauit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in iis haud dubie prior ratio eſt. Recte tamen etiam loquantur, has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus, vt ſapor, quo noua imbuas, durat. Nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.

PH. Plutarchus certe vicariam illam muliercularum operam omnimodo, idque haud leuibus inductus rationibus, improbat: Danda eſt, inquit, præſertim opera, vt matres filios educent, eiſque vbera porrigant, maiori enim cum charitate, & impenſa magis diligentia nutrient. Nutrices vero ſuppoſitam quandam, & aſcriptitiam beneuolentiam habent: vtpote mercedis gratia, diligentes. Quod autem matres ipſæ quos genuerint, nutrire, alereq; conueniat, ipſa etiam natura demonſtrat, nam iccirco lactis alimenta ſuppeditauit. Duplices autem mulieribus mammas addidit, vt ſi gemellos pepeiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberent. Si vero id facere nequierint matres, nutrices, non viles, verum quam maxime idoneas, probaſque ſuſcipiendas eſſe cenſeo. Primum quidem moribus inſtructas patriis. Sicut enim infantium membra ſimul ac nati ſunt, formari, componique debent, vt recta, minime obliqua fiant. Ita puerorum mores principio, apte concinneque fingere conueniet. Illa namque nouella ætas ad fingendum facilis & tenera eſt, & ipſorum animis cum molles adhuc ſunt, diſciplinæ in melius inſtillantur. Difficilius autem quæ dura ſunt molliuntur, ita & doctrinæ dum puerilis adhuc animus eſt, inſculpuntur. Pulchre igitur Phocilides poeta monuit.

Dum tener eſt gnatus, generoſos inſtrue mores.

TH. Extat apud Gellium in conſimili argumento atque in eandem ſententiam elegans Epiſtola, quam præmiſſa facti ſpecie reique geſtæ hiſtoriola Gellius *lib. 11. cap. 1.* recitat his verbis:

Phauori-

Phauorinus Philoſophus nato filio auditori, ſectatorique eius, nihil (inquit) dubito, quin filium lacte ſuo puella nutritura ſit, ſed cum mater puellæ parcendum eſſe ei diceret, adhibendaſque puero nutrices, ne ad dolores quos in enitendo tuliſſet, munus quoque nutricationis graue ac difficile accederet. Oro te, (inquit) mulier, ſine eam totam integram eſſe matrem filii ſui.

Quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus? peperiſſe, ac ſtatim à ſeſe abiecisſe? Aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret, non alere ſuo lacte, quod videat iam viuentem iam hominem? iam matris officia implorantem? An tu quoque (inquit) putas, naturam fœminis mammarum hubera, quaſi quoſdam næuulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? ſed nihil intereſt (hoc enim dicitur) dum alatur & viuat, cuius id lacte fiat. Non fruſtra quidem creditum eſt, ſicuti valeat ad fingendas animi corporiſque ſimilitudines, vis & natura ſeminis, non ſexus, ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolum, ſed in pecudibus quoque animaduerſum. Nam ſi ouium lacte, hœdi, aut caprarum, agni alerentur, conſtat fermè in iis lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem, in arboribus etiam & frugibus maior plerumque vis & poteſtas eſt ad earum indolem vel detrectandam, vel augendam, aquarum atque terrarum quę aluut, quam ipſius quod iacitur ſeminis, ac ſæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium tranſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperiſſe. Quænam igitur ratio eſt nobilitatem iſtam nati modo hominis corpuſque & animum, bene ingeniatis primordiis inchoatum inſitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere, præſertim ſi iſta (quam ad præbendum lac tunc adhibebitis) aut ſerua, aut ſeruilis, & vt plerumque ſolet, externæ & Barbaræ nationis, ſi improba, ſi informis, ſi impudica, ſi temulenta eſt. Patiemurne igitur infantem hunc noſtrum pernicioſo contagio inſici? Et ſpiritum ducere in animum atque in corpus ſuum ex corpore & animo deterrimo? In moribus enim inoleſcendis magnam fere partem ingenium altricis & natura lactis tenet, quæ iam à principio imbuta paterni ſeminis concretione, ex matris etiam cor-

pore

pore & animo recentem indolem configurat. Hæc Gellius.

PH. Mamillas certe Deus fœminæ in prima creatione, prope cor appoſuit, vel hoc potiſſimum fine, vt quum cætera animantia procul à corde diſſita habeant vbera, atque hac ratione fœtus ſui facile obliuiſcantur, ſolus homo fœtus ſui, quippe qui lac maternum quaſi ex corde exſugit, memoriam à ſe abiicere minime debeat. At vero quia plurimæ matres non à corde & gremio tantum, ſed plane ex oculis prolem ſuam amandant, hinc adeo fit, vt poſtquã adoleſcunt, vera procurandæ ſobolis ratio apud pleroſq; non cõſtet adeoq; non tam in defectu quam etiam in exceſſu vtrobiq; ſæpenumero peccetur.

EQ. Extat apud Iuuenalem inſigne carmen in quo in illorum inuehitur peruerſitatem, qui ad amicorum hoſpitumque aduentum omnia expurgant ac tergunt, neglecta interim omni liberorum à vitiis expurgatione aut dehortatione his verbis:

Hoſpite venturo, ceſſabit nemo tuorum,
Verre pauimentum, nitidas oſtende columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea tela.
Hic lauet argentum, vaſa aſpera tergeat alter.
Vox Domini fremit inſtantis, virgamq; tenentis.
Illud non agitas, vt ſanctam filius omni
Aſpiciat ſine labe domum vitioque carentem.

TH. Plerique etiam vſq; adeo ad coaceruãdas liberis ſuis opes atq; pecunias intenti iiſq; cupiditatibus immerſi ſunt, vt nihil honeſtate, omnia vero vtilitate & priuatis commodis metiantur. Hinc non abſq; ratione Crates ille antiquus, quem allegat Plutarchus, cum in altiſſimã turrim conſcendiſſet (ſi liceret) vociferaturum ſe aiebat: Quorſum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis ſtudium facitis, filiorũ vero quib. eas relinquetis, nullam ſane curam ſuſcipitis.

Parentes plus p. cunis quam di[illegible] plus [illegible] unt.

PH. Grauiſſima extat Platonis hac de re commonefactio, his verbis: Nemo liberorum gratia pecuniis cumulandis incumbat, vt ditiſſimos eos relinquat, neque enim ipſis, neque ciuitati id conducit. Sed cenſus tum adulatione vacuus, tum rerum neceſſariarum non indigens, omnium decentiſſimus & optimus eſt. Nam hic nobis ad omnia conſonans accommodatuſque vitam à doloribus remouet. Liberis ergo non auri, ſed pudoris multum oportet relinquere. Quibus congruit, quod Socrates apud Xenophontem: Qui filiis, inquit,

multis

multis opibus proſpiciunt, vt autem boni & egregii euadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed rerum, quas præſtare oportebat, imperitos. Eodem modo peccãt, qui filiis agros multos comparant, ipſoſmet vero negligunt. Poſſeſſiones enim magni pretii æſtimationem habebunt, ipſi autem viles erunt, cum contra oporteret cuſtodientem re poſſeſſa pretioſiorẽ eſſe. Itaq; ſi quis filium magni pretii hominem effecerit, quamuis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus eſt. Animus enim facit, vt res multæ aut paucæ appareãt: quippe bono quicquid poſſidet, moderatum eſt: rudi autem & inepto modicum.

TH. Hoc nimirum probe intellexit olim Gobryas, de quo Xenophon *in Cyripædia lib. 2.* Vbi autem (inquit) Gobryas ſurrexit domum abiturus fertur dixiſſe: Nõ amplius miror Cyre, ſi pocula & amictus & aurum nos poſſidemus, quam vos maiori copia. Nos ſumus minoris faciendi quã vos. Nos enim operam damus, vt ſint nobis quam plurima. At vobis ea diligentia eſt, vti mihi videtur, vt futuri ſitis quam optimi. Nitendum igitur, vt filii optimi potius quam ditiſſimi a vobis parentibus reddantur.

PH. Eſt hæc memorabilis mehercle vox, quæ ſi ꝓbe ab omnibus attẽderetur, iamdudum cæca illa atq; inexhauſta opum cupido, qua tamen apud pleroſque deprauati ingenii parentes nihil habetur potius, labaſceret; ſed neque ipſi liberi a parentibus acquiſita tã proterue abligurirent, ſi aliquid temporis ac ſumptuum ad ipſorum educationem impẽſum fuiſſet. Quale enim cuiuſque educationis, inquit Socrates *lib. 2. de republ.* fuerit initium, talia futura etiam ſunt quæ ſequuntur. Atque vt idem Socrates *libro 5. de republica*, ait, vbi licentia, ibi quiſque arbitratu ſuo vitam inſtituet.

E Q. Quid praua educatio efficiat, declarat memorabilis hiſtoria Dionis, cui Dionyſius Syracuſorum tyrannus male volebat, & cum aliter nocere nõ poſſet, Areten eius vxorem alii nuptum dedit, filiumq; eius ſic educari iuſſit, vt indulgendo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priuſquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur: vino epuliſque obruebatur, neque vllum tempus ſobrio relinquebatur. Is vſque eo vitæ ſtatum commutatum ferre non potuit, vt poſtquam in patriam rediit pater (namq; appoſiti erant cuſtodes

Praua educatio.

qui eum à priſtino victu deducerent) ſe ſuperiore parte ædium deiecerit, atque ita interierit. Cui germana eſt illa hiſtoria, quæ refertur à Suida. Zeno, inquit, Romanorum Imperator, filium ſuum, admodum adoleſcentem; imperii ſucceſſorē relinquere cupiens, & dignitatibus ornabat, & corpus exercere iubebat, ad ſtaturæ incrementū. At Imperatoris proceres poteſtatem nacti fiſci affatim exhauriendi, curabant, vt adoleſcens Sybaritico luxu corrumperetur, & lenocinio ſuo, ad inſanos eum amores æqualium incitabant. Itaque vitæ ratione ad ſuperbiam & voluptatem comparata, ab omni honeſtate remotus, & iam tum arrogantiam ob expectationem Imperii, è vultu elucentem, præ ſe ferens, ſublimis incedere, & erigere ceruices cœpit, ac, vt paucis dicam, erga omnes, non alium ſe præbere, quàm aduerſus ſeruos. Verum inſpector omniū rerum, & natiua, & edocta eius improbitate perſpecta, ita illum mulctauit, vt alui profluuio, multos dies, ſine ſenſu, lectum inquinans, immatura ætate, rebus humanis eximeretur.

TH. Merito itaque laude dignus eſt Theodoſius, quem refert Nicephorus, quum filios ſuos, Arcadium & Honorium, præceptori, in timore, virtute & honeſtis diſciplinis, inſtituendos commiteret, ita dixiſſe: Mei filii, delegi vobis præceptorem eum, qui optimus, & ſapientiſſimus noſtrorum hominum, cenſetur, cui ego, vobis audientibus, iniunxi, vt vos ea maximè doceret, quæ principi fingendo, & omnib. virtutis officiis inſtruendo, neceſſaria ſunt, vt vos, ſi in poſterum iis imbutos præceptis, virtuti conuenienter vitam agere videam, meorum bonorum, & Imperii, relinquere hæredes poſſim. Alioquin nec iure poſſum, nec debeo, tū noſtri, tum ſubditorum commodi cauſa, vos mihi Imperatores ſubſtituere. Idipſum rectius declaratur ex Epiſtola quadam Amalaſuntę quā ad Atalaricum filium Gothorum regem ſcripſiſſe perhibetur: quam vt integram ex Caſſiodoro recenſebo. Nihil vnquam, inquit, mihi antiquius fuit, quàm te, doctrinis & moribus optimis, inſtituere. Sed, procerum ducūque tuorum improbitate, id nunquam licuit, ex ſententia, mihi efficere. Exiſtimarunt enim rudes homines, regem ſuum ſub præceptore minimè eſſe debere, arma tibi magis, quam omnes diſciplinas, vſui futuras prædicant. Hæc ſatis iniquo animo tuli. Nam ſcientiarum optimarum cognitionē tanti, quanti ampliſſi-

ampliſſimos theſauros, ſemper feci. Veruntamē cū animaduerterem ætatē, ſimplex ingenium tuum, ac vtriuſq; fortunam, perditorum hominum audaciæ obnoxiam eſſe, iniuriæ quamprimū obuiam eundum duxi, perditiſſimaq; quorundā hominum conſilia anteuerti, qui odia & ſimultates, inter nos, inſigni pietate coniunctos, diſſeminabant, quæ, quaſi præſentiſſimum venenum, nos, vna cum Imperio, facile perderent, ac euerterent. Rauennā igitur, maximis itineribus contendi, captisq; aliquot noxiis, de iis ſupplicium ſumpſi: nihilque prius duxi, quam de iis omnibus te certiorem facere, monereque, vt ab huiuſmodi viris, & inſidiis, quantum per ætatem poſſes, caueres. Lubrica eſt ætas, amplitudo Imperii ea eſt, vt ſapientiſſimū virum, multis etiam ſeptum conſiliis, præcipitem agere poſſit. Tu autem, fili, caue, exiſtimes, te vlli, quam mihi, chariorem eſſe, Vale.

PH. Multo cultior Gothorum gens illa tempeſtate fuit, quam olim cum vaſtaret Græciam. Ex qua, quum vnus, vel eruditior, vel callidior, captis Athenis, librorū ingentem vim coaceruaſſet, deq; his comburendis iam conſilium eius cōmilitones cepiſſent, abſtineamus, inquit, hanc iniuriam, ab his Codicibus, quibus Graii homines, dum ſtudioſius incumbunt, minus ad bella idonei ſiunt, &c.

EQ. Quantam etiam Carolus Magnus filiorum filiarumq; in educando curam habuerit, teſtatur his verbis Zinhardus ipſius Cancellarius & (vt nonnulli ſcribunt) gener: Liberos ſuos, inqt, ita cenſuit inſtituendos, vt tam filii quam nepotes primo liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Tum filios, quam primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias vero lanificio aſſueſcere, coloq; ac fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atq; ad omnem honeſtatem erudiri iuſſit.

TH. Chryſoſtomus certe ſua etiam ætate de incuria parētum in educandis atq; ad honeſtatis ſtudium informandis valde conqueritur. Magnum, inquit, depoſitum habent parentes, filios, ſi ingenti illos ſeruent cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat. At vero nunc contra facimus. Nam vt fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur, eumq; fideli viro, magno cum ſtudio tradimus, & agaſonē atq; mulionem, procuratoremq; ac diſpenſatorem, qui nobis magna beneuolentia afficiatur, inquitimus: cæterum quod nobis omnium chariſſimū eſt, omnino negli-

negligimus, neque curamus quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro cõmittamus, qui ipſius tueri ac ſeruare pudicitiã poſſit. Et certe nullus fundus, nulla poſſeſſio, æque nobis gratus atq; charus eſſe debet: quippe hęc omnia filiis q̄runtur. Igitur maior nobis poſſeſſionũ cura eſt q̃ eorũ, quorum illæ gratia cõparantur: quod profecto abſurdiſſimũ eſt. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatẽ molles filiorum animos: cætera omnia ſecundo loco quęramus. Nam ſiquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ prodeſunt: ſin autem probi, nihil ex paupertate læduntur. *Homil. 9. ad Hebræos, & c. 10. ad Hebr.* Rectiſſime itaq; apud Ariſteam, (licet eius authoritas à Ioſepho Scaligero & aliis in dubiũ vocetur) Ptolomæo Philadelpho, Ægyptiorum regi, quadrageſimus prim⁹, ex ſeptuaginta interpretibus, interroganti, q̃ eſſet maxima negligentia? reſpondit? Si quis nõ curat liberos, nec eos educãdo q̃ diligentiſſime informat. Nam oramus, inquit, Deũ ſemper, nõ tam pro nobis, q̃ pro liberis noſtris, vt illis aſſint omnia bona.

PH. Platonis hac de re grauiſſima extat ſententia: Videtur, inquit, nobis, quam diligentiſſima filiorum cura ſuſcipienda, neque agẽdum putamus, q̧ multi ſolẽt, q filios ſuos quum primũ adoleuerint, ad propriam ſinunt libidinem viuere. Immo vero tunc ſtudium diligẽtius adhibendum, quare patrum negligentiam ſæpe culpamus, quod nos poſtquã adoleuimus in mollicie quadam & delitiis viuere permiſerunt, neque res aliorũ geſſere. Et Quintil. exclamat: Vtinam liberorum noſtrorum mores nõ ipſi perderemus: infantiam ſtatim delitiis ſoluimus, mollis illa educatio, q̃ indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frãgit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, iam Coccum intelligit. Ante palatum eorum quam mores inſtituimus. Gaudemus ſi quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis, riſu & oſculo excipimus, nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt noſtras amicitias, noſtros concubinos vident, omne conuiuium obſcænis canticis ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur, fit ex iis conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri antequam ſciant vitia eſſe, inde ſoluti ac fluentes non accipiunt in ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas efferunt.

TH. Inconſultæ itaque parentum indulgentiæ prauæque educationi remiſſo nuncio honeſta ac ſeria vbinis ſuccedat li- *Honeſta educatio.*

bero-

berorum diſciplina atque educatio. Exiſtimandum namque eſt, quod Plato *libr. 6. de legib.* aſſerit, rectã educationem poſſe & corpus & animum quam pulcherrima & optima reddere. Ineuntis itaque ætatis inſcitia, quod Cicero *libr. 1. Offic.* monet, eſt ſenum cuſtodienda & regenda prudentia.

E.Q. Sunt ingeniis noſtris, inquit Cicero ſemina innata virtutum, q̃ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perducerent. Nunc ſimul atq; editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni cõtinuò prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt planè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Poſtea magiſtris traditi, tam variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas & opinionibus natura vel præoccupata cedat. Sed enim, vt inquit Thriuerus *apophth.* 7. vt ad literas ita ad virtutem pueritia promptiſſima eſt: & raro in ea promouet adoleſcentia, niſi fundamentum iecerit pueritia. Et Socrates idem in optime natis ingenuiſque vſuvenire dicebat, quòd in equis, in quibus, qui feroces ſunt ac generoſæ indolis, ſi ſtatim à primis annis recte inſtituantur, egregii & ad omnem vſum accõmodi euadunt, ſin minus, efferati, intractabiles & ad nihil vtiles. Eoq; fit, vt feliciſſima quæq; ingenia corrumpantur inſcitia inſtitutionũ, q̃ mox equos vertunt in aſinos, quod eiectis ac liberis imperare neſciant. Hinc Themiſtocli pædagogus dicere ſolebat, nihil mediocre futurus es ô puer; nam aut magnum bonum eris reipublicæ, aut magnũ malum. Generoſa namque indoles, ſi accedat recta inſtitutio, magno bono eſt patriæ: ſin ad vitia degeneret, ingens affert malum.

PH. Docet idipſum Iuuenalis *Sat.14.* exemplo ciconiæ & aquilæ, quæ quia mox, quamprimum pullos ouis excluſerũt, eos ranis, ſerpentibus ac lacertis, itemque leporibus, caprejs &c. paſcunt, atq; hinc adeo fieri dicit, vt deinceps enati pulli eaſdem ſectetur eſcas, iiſq; veſcantur; atq; eandem eſſe hominis cõditionem ait, qui ſi honeſtis artibus probiſq; moribus imbuitur, ad eorũ dictamen vitam degat, ſin vero improbis imbuatur moribus, improbe etiã eundem viuere compertum ſit. Verſus Iuuenalis ſunt q̃ ſequuntur:

Moribus inſtituas, ſerpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pennis.
Sed leporẽ, aut capream famulæ Iouis, & generoſæ

In ſaltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur, inde autem quum ſe matura leuabit
Progenies, ſtimulante fame, feſtinat ad illam
Qui primum prædam rupto guſtauerit ouo.

TH. Non filiorum, ſed filiarũ quoq; habendam eſſe rationem D. Hieronymus hortatur. Sic namq; in tractatu ad Athletam, de inſtitutione filiæ inquit. Poſtquam filia grandiuſcula eſſe cœperit, pergat ad templum veri patris cum parentibus ſuis. Nunquam exeat foras, ne inueniant eam qui circumeunt ciuitatem, & auferant ſpiritum pudicitiæ. Nuſquam abſq; matre procedat in publicum. Baſilicas martyrũ, & Eccleſias ſine matre nõ adeat. Nullus ei iuuenis, nullus cincinnatus arrideat. Diſcat lanam facere, tenere colũ, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere. Spernat bõbycum telas, ſericum, vellera & aurum in fila lateſcens. Talia veſtimenta portet, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. Cibus eius boluſcula ſit, & ſimilia, caroq; & piſciculi. Sic comedat vt ſtatim eſuriat, vt ſtatim poſt cibum poſſit legere, orare & pſallere. Domi filiam nõ relinquas, neſciat ſine te poſſe viuere; & cũ ſola fuerit pertimeſcat. Non habeat virorum colloquia & malarum virginum contubernia. Iurare non diſcat. Mentiri ſacrilegium putet. Sed hoc volui allegare obiter.

Filiarum mores quales eſſe debeant.

PH. Extat apud Plinium *lib. 9. nat. hiſt.* de delphinorum erga ſobolem miro affectu atq; ſolicitudine inſignis hiſtoria, quæ haud incongrue huc accõmodari poteſt. Delphini, inquit, iuncti agũt vera coniugia, pariunt catulos decimo menſe, æſtiuo tempore, interdum & binos nutriunt vberibus, ſicut Balena, atque etiam geſtant fœtus infantia infirmos. Quin & adultos diu comitantur magna erga partum charitate. Quin & paruos ſemper aliquis grandior comitatur, vt cuſtos. Hæc Plinius. Si hoc faciunt delphini, multo magis hominibus incumbit, vt liberos obſeruent, nec eos ſine fido virtutũ omniſq; pietatis comite vagari permittant, & filias præſertim, quippe quæ ex connata quadam mobilitate facile exorbitant.

EQ. Rigoroſum eſt, quod Q. Curtius *lib. 8. hiſt.* de Sophitis refert his verbis. In regno Sophitis indigens ſapientia excellit boniſq; moribus regitur. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntq;, ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitũ cura mandata eſt. Si quos ſegnes, aut aliqua membrorum parte inutiles

utiles notauerunt, necari iubent. Nuptiis coëunt non genere ac nobilitate coniunctis, ſed electa corporum ſpecie, quia eadem æſtimatur in liberis. Hæc Curtius. Quod ſi vero iuxta hũc Sophitarum morē omnia inutilia terræ pōdera eſſent auertuncāda, magno equidē onere atq; incōmodo ipſa tellus ſubleuaretur, at quotuſquiſq; ab hac auetruncatione foret tutus, quum vniuerſo orbe ſingulorumq; conſcientiis, nemo ſine crimine viuat. Sed & iſthæc obiter dicta ſunto. Cæterum, de cura ac ſolicitudine parentũ erga liberos elegãter ēt ſcribit Paulus Vergerius his verbis: Tria ſunt, in quibus bene cōſulere ſuis liberis parentes tenentur. Primum, vti honeſtis illos nominib. appellēt. Alterum, vt in egregiis vrbibus eos ſtatuant. Nam amplitudo ſplendorq; patriæ plurimum valet. Tertium autem vt bonis artibus liberos erudiāt. Quibus præditi rebus & obſcura ſuæ genris, nomina & humiles patrias attollere atque illuſtrare conſueuerũt. Iacienda ſunt igitur in tenella ætate fundamēta bene viuendi, & formandus ad virtutem animus, dum tener eſt, & facilis quamlibet impreſſionem admittere. Nam opes, gloria, voluptas, fluxæ res ſunt, caducæ. Habitus autem fructusque virtutum perſtat integer, atque æternus manet. Hucuſque Vergerius.

TH. In id quidem ſummopere, quod iam ex Vergerio allegaſti, eſt incumbendum, at interim tamen etiam dabunt operam ipſi parentes, ſedulo, vt viuum ſeſe exhibeant virturum exemplar liberis ſuis, quod intuentes liberi ad illorum exemplum atq; mores omnem ſuam vitam atque actiones conforment. Optima namque hęreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio prȩſtantior gloria virtutis rerumque geſtarum, vitaque innocenter acta, inquit Cicero *lib. 1. Offic.* Atque in hanc plane ſententiam Plutarchus ſub finem libri *de inſtit. liberorum.* Ante omnia debent, inquit, parētes, nihil peccando, omniaq; pro officii rationibus agendo, euidens ſeſe liberis exemplum præbere, vt in iſtorum ii vitam tanquam in ſpeculũ intuentes, à turpibus dictis factiſque auertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes ipſi in eadem prolabuntur vitia, ii ſe nō ſentiunt ſub illorum nomine ſemetipſos accuſare. Quorum vero tota vita turpis eſt, ii ne ſeruos quidem obiurgandi libertatem relinquunt, nedum filios. Quo accedit, ꝙ tales patres ſcelerum cōnſultores ac doctores ſuis ſunt filiis. Vbi enim ſenes ſunt impudentes, neceſſe eſt, ibi adoleſcentes quoq; inuerecundiſſimos eſſe.

Parentes virtutum ſint exemplar.

Et Plato *libr. 5. de legib.* Seniores ſint coram iunioribus verecundi, ac ſummopere caueant, nequis iuuenum eos aut videat, aut audiat agentes turpe aliquid, vel loquentes. Nam vbi ſenes minus pudici ſunt, neceſſe eſt ibi iuuenes impudentiſſimos eſſe. Hoc ipſum quoq; Iuuenalis innuit his verſibus:

Nil dictu fœdum, viſuq́; hac limina
tangat
Intra quæ puer eſt, procul hinc, procul
inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia,
ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris
annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius in-
fans.
Nam ſi quid dignum cenſoris fecerit
ira,
Quandoquidem & ſimilem tibi ſe non
corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque fi-
lius, & cum
Omnia deterius tua per veſtigia pec-
cet,
Corripies nimirum, & caſtigabis a-
cerbo
Clamore, aut poſt hæc tabulas mutare
parabis.
Vnde tibi frontem, libertatemque pa-
rentis,
Cum facias peiora ſenex, vacuumque
cerebro
Iampridem caput hoc ventoſa cucur-
bita quærat?

PH. Huc etiam optime quadrat, quod Xenophon de Cyri *pædia lib. 1.* Perſarum, inquit, leges anticipantes maxime curant, ne initio tales ſint ciues, vt cuiuſque vel improbitatis vel turpitudinis deſiderio capiantur. Tu autem pater, Perſarum more cures, ne filius improbus, ne etiam turpis euadat. Hæc Xenophon. Atque hoc eſt, quod Alexis antiquus Comicus ait, ideo oportere laudari Athenienſes, quod omnium Græcorum leges cogunt parentes ali ab liberis. Athenienſium vero non omnes, niſi eos, qui liberis artibus erudiſſent. Omnia enim munera fortunæ quũ dantur, ab ea facilime adimuntur. Diſciplinæ vero coniunctæ cum animis, nullo tempore deficiunt, ſed permanent ſtabiliter ad ſummum exitum vitæ. Itaque ego, inquit, maximas infinitaſque parentibus habeo atque ago gratias, quod Athenienſium legem probantes me arte erudiendum curauerunt, & ea quæ non poteſt eſſe probata ſine literatura. Cum ergo & parentum cura, & præceptorum doctrinis auctas haberem copias diſciplinarum philologis & philotechnis rebus, commentariorumque ſcripturis me delectans eas poſſeſſiones animo paraui, è quib. hæc eſt fructuum ſumma,

ſumma, nullam plus habendi neceſſitatem, eamque eſſe proprietatem diuitiarum maxime, nihil deſiderare. Hæc Vitruuius *libro ſexto.*

TH. Quinimo liberorum peccata in parentibus haud raro puniuntur, id quod exemplo Heli Prophetę & aliorum manifeſtum eſt. Proinde parẽtes non tam ſui q̃ liberorum cauſa in educatione honeſta ac pia debẽt eſſe impendio ſeduli. Ac tametſi quandoq; ingenia quorundã videantur prima fronte ad capeſſendam diſciplinam omnino incompoſita, nõ tamẽ protinus deſperandum, q̃n potius eo acrius inſiſtendũ. Sicut enim (qua ſimilitudine vtitur Lactantius *li. 6. c. 15. de vero cultu*) ſicut in ſentes ager, qui eſt natura fœcundus, exuberat: Sic animus incultus vitiis ſua ſponte inualeſcentibus velut ſpinis obducitur. Sed cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis fruges virtutis oriuntur. Adhibenda igitur eſt prudens diſcretio, ne quid inconſulto aut importune ſuſcipiatur. Eſt n. fere, vt, quemadmodum, ſi qua terra referta ſit ſaltubus, feris & herbis ſylueſtribus, multoq; limo, ꝑtinus diſplicet imperito colono; at peritus agricola ex ipſis cõiectat ſoli molitiem ac feracitatem tantoq; impenſius dat operã, vt eam repurget; ſic magnis ingeniis magna vitia ſolent innaſci, quæ nõ conuenit ſtatim tollere, ſed potius mederi: expectanda ætas, donec ad frugem bonam reducatur, qua ſimilitudine vſus eſt Plutarchus in Moralibus; vt & alia quadam, q̃ ſcite huic accõmodari poteſt. Vt multa agreſtia ſubnaſcentia in agro, mala quidem ipſa ſunt, ſed tamen ſigna felicis atq; vberis ſoli, ſi quis excolat: ſic animi affectus per ſe mali arguunt ingeniũ nõ malum, ſi accedat recta inſtitutio. *In Moral.*

E. Q. Seneca epiſt. 97. Poteſt, inqt, ingenium fortiſſimũ ac beatiſſimũ ſub qualibet cute latere, poteſt ex deformi humiliq; corpuſculo formoſus animus ac magnꝰ exire. Nõ n. deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur.

TH. Maxime poteſt. Sentes tamen ac ſpinæ eiuſmodi, per quas facile teneri iuuenũ animi poſſunt compungi atq; ſauciari, ſedulo ſunt auerruncandi. Cumprimis vero curandũ eſt, vt quod ſerio ac ſedulo Paulus Vergerius his verbis formalibus monet, vt iuuenes quam maxime diu integri ſeruentur, immatura namque venus, & animi & corporis vires eneruat, quod erit, ſi à choreis, cæteriſque huiuſmodi ludis; & item ab omni muliebri frequentia arceantur, aut ſi nihil de his rebus loquantur,

Venus immatura.

aut audiant, nec niſi his committendi, quorum mores & vita omnis perfecta ſit. Adhibendi ergo ſunt comites, quorum monitis diſcant, & imitatione proficiant. Hęc Vergerius.

PH. Atq; vt hæ illecebrarum ſcintillæ eo citius ac tutius reſtinguantur, prudens eſt Platonis conſilium *lib. 7. de legib.* vt poſt annorum ſex ætatem, fœminæ à maribus diſcernantur puerique deinceps cum æqualibus maribus, & puellæ cũ fœminis æqualibus conuerſentur, & ad ſcientias vtriq; ſe vertant. Mares quidem ad magiſtros equorum, arcuum, telorum, & fundæ. fœminę quoque ad eadem ſi concedatur vſq; ad ſcientiam tantum, & maxime ad armorum vſum. Hæc Plato.

Somnus.

EQ. Ad vigilantiam etiam omnino aſſueſaciẽdi ſunt iuuenes iuxta atque ſenes. Ac de ſenibus quidẽ ſiue patribusfamilias Plato *lib. 7. de legibus.* ſic inquit. Certe omnibus turpe illud, & illiberale videri debet, vt ciuium aliquis per totam dormiat noctem, nec primus excitetur, & ſurgat, ita vt hoc toti familiæ pateat. Quinetiam vt domina ab ancillis, non ancillæ ab ipſa, primũ excitetur, turpe ducendum. Nocte igitur exurgant, & magiſtratus publicũ aliquid. Patres vero matreſque familiæ in domibus propriis rem ſuam curent. Somnus enim multus nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis natura conducit. Hæc Plato. De iuuenibus vero idem Plato eodẽ lib. ſic ait. Nemo quidem dum dormit, alicuius pretii eſt, non magis quam ſi non viueret. Quare quicumq; viuere & ſapere cupit maxime, quam longiſſimo tempore vigilet, ſola ſanitatis commoditate ſeruata. Sole vero ſurgente pueri ad magiſtros proficiſcantur. Quemadmodũ vero nec pecudes, nec alia prorſus vlla, ſine paſtore viuere debent, nec pueri etiam ſine pædagogis ſint, neq; abſque dominis ſerui. Eſt autẽ puer omni beſtia intractabilior. Nam cum prudẽtiæ fontẽ nondum pfectũ habeat, inſidioſiſſimus eſt, acerrimuſq;, & petulantiſſimus omniũ beſtiarũ. Ideo multis quaſi frenis vinciẽdus eſt. Et quũ primum à matribus, nutricibuſq; ſeiungitur, pędagogis eũ ad puerilẽ laſciuiã regendam commendare oportet. Deinde vt liberum quidem doctrinarũ potiſſimũ gratia pręceptorib Plato *lib. 7. de legib.*

Cibus ac potus.

PH. Iã & in cibo ac potu moderatio eſt adhibenda. Nã vt inquit Aulus Gellius *li. 5. ca. 19.* Pueros impuberes cõpertũ eſt, ſi plurimo cibo nimioq; ſomno vterẽtur, hebetiores fieri. Animaduertimuſq; hinc elici tarditatẽ. corporaq; eorũ improcera fieri, minuſque

Digitized by Google

nuſque adoleſcere. Recte igitur Cicero *in libro de ſenectute*, inquit, Tantum cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, nõ opprimantur. Nec vero corpori ſolum ſubueniendum eſt, ſed etiam menti atque animo multo magis. Et *lib. 5. Tuſ.* Quid quod ne mente quidem recte vti poſſumus multo cibo & potione completi.

E. Q. Xenophon in Cyri pædia, *lib. 1.* Perſæ, inquit, docent pueros temperantiam, ad quam diſcendam eis plurimum conducit, quod vident ſenes ipſos quotidie temperanter vitam agere. Tradunt præterea iis præcepta parendi Magiſtratibus. Multum quoque huic rei conducit, quod ſeniores intuentur parere Magiſtratibus magno ſtudio. Eoſdem inſuper docent, vt & cibi & potus continentiam ſeruent. Nec apud matrem veſcuntur pueri, ſed apud Magiſtratum. Feruntque domo pro cibo panem, pro obſonio naſturtium. Ad potum vero capedinem, vt ex flumine aquam hauriant. Ad hæc etiam diſcunt ſagittam, & iaculum. Ad ſextum igitur vſq; aut ſeptimum decimum ætatis annum hæc agunt pueri. Quo loco etiam Cyrus inquit, primum equidem operam do, ne vnquam ſaturet, id enim difficile eſt, & graue. Deinde vero per laborem immiſſa conſumo, ita n. mihi videor, & perſeuerantius bene valere & robuſtior effici. Aiunt etiam eundem puerum Aſtyagi auo Medorum regi, dixiſſe: O aue, quot negotia habes in cœna, ſi tibi neceſſarium ſit, in omnia hæc fercula manus extendere, & deguſtare haſce tam varias, multaſque epulas, longe ſimplicior apud nos Perſas; ac rectior eſt ad explendum via quam apud vos. Apud nos enim panis & carnes ad hoc deducunt. At ego aue, video etiam tibi has epulas eſſe faſtidio quod te video quum panem tetigeris, nihilo manum detergere, ſed vbi horum quicquam attigeris, continuo manum purgas ad mantilia veluti moleſte admodum feras iſtorum ſacietatem. Hæc Xenophon.

TH. Quin etiam à mentiendi vanitate deterrendi ſunt iuuenes, niſi enim ſtatim ab incunabulis mentiendi prauitas in illis retundatur, tunc progreſſu temporis conſuetudo in naturam abit. Proinde, quod Plutarchus hiſce formalibus monet: Pueri vera proferre conſueſiant. Mentiri enim ſeruile eſt vitium, & à cunctis mortalibus odio inſectãdum. Iuuenum quidem peccata immenſa plerumque ſunt, & miſeriarum plena. Ventris immodeſtia, paternorum bonorum expilatio, alea, ſaltandi proteruia, *Mendacia.*

ebrietas, amores virginũ, mulierum corruptiones, adulteria. Horum impetus omni cura & diligentia coercendi, reprimendique fuerant. Petulantem enim vigorem ætatis non facile ab voluptatũ obſeruabis incurſu. Prudentes itaque patres hoc potiſſimum tempore ſumma cuſtodire vigilãtia oportebit, vt adoleſcentulos ad modeſtiam inducãt, inſtruant, moneantur, rogent, conſulant, polliceantur. Hactenus Plutarchus.

Pœna puerorum inobedientium.

PH. Imo duro nodo quandoque durus quærendus eſt cuneus. Nulla belua ſpõte agit, neque pueri, inquit Ariſtot. *lib. 3. Ethic.* Sunt ergo cogendi bene agere. Eſt enim caſtigãdum & temperandum id omne, quod turpia concupiſcit atq; luxuriat. Et ibidem Ariſtot. Et pueri, inquit, & feræ ipſas voluptates ſequuntur. Sunt ergo corripiendi à licẽtiaque retrahendi pueri omnes. At prauitati non eſt venia dãda, nec aliorum cuiquã quæ vituperabilia ſunt. Et idem *lib. 10. Ethic.* Modeſtè viuere continẽter, pleriſq; hominum, præſertim iuuenibus non eſt iucundum. Sunt igitur cohibendi modeſte viuere homines. In eandem ſententiam quoq; Quintil. Frãgas, inquit, citius, quam corrigas, quę in prauũ indurueruut, protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus eſt puer, habendumque animo ſemper illud Virgilianum: *Adeo in teneris conſueſcere multũ eſt.* Incutiendus igitur eſt pueris metus, adhibenda eſt pœna, vt timore ducti praua relinquant. Improbum enim voluptatem affectantem, dolore afficiendum, perinde atq; iumentum legumlatores inſtituere. Ariſtot. *lib. 10. Ethic.* Et qui adoleſcentum peccatis ignoſci putant oportere, falluntur propterea, quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcẽtes maximè caſtigãt, vt quib. virtutib. oẽm vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare. *Cic. lib. 3. ad Heren.* Nam vt inquit Lanctant. Iræ affectus nobis datus eſt ad coercenda peccata eorũ, quæ ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, vt arctiore diſciplina minor ætas ad probitatẽ, iuſtitiamq; formetur, quæ niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus euadet. Manus autẽ noſtras ſupra minores ſemper habeamus, hoc eſt, vt peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili & indulgentia nimia educentur ad malum, & ad vitia nutriantur. Hæc Lactantius *6. cap. 19. diuin. inſtitut.* Et idem in lib. de ira Dei, *c. 16.* Pèccata non coercere pecca-

peccatum eſt, euadent enim ad maius malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, ſed etiam ſi iacet, excitanda eſt. Et: Tum demum recte agitur, cum nulli proſus peccanti, quiſquis ille ſit, parcitur. *Socrat. in Euthyph.* Nã vt idem Socrat. in Gorgia, inquit. Qui luit pęnas, à grauitate & turpitudine animi liberatur, quæ tamẽ quandoq; tantas egit radices vt quum alioquin nobilis equus vmbra quoq; virgæ regitur, ignauus nè calcaribus quidem concitari poteſt. Curtius *lib 6.* Filius ergo monitis minime obſequens verberibus acriter eſt cædendus etiam atq; e iã, donec emendetur. Nam vt Chremes ait Terentian. in Heau. Deteriores omnes ſumus licentia. Curtius *lib. 6.*

TH. O quam compoſitũ ergo reddit oẽm corporis ſtatũ, necnon & mẽtis habitum diſciplina. Ceruicẽ ſubmittit; ponit ſupercilia, componit vultũ ligat, oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, ſedat iram, format inceſſum, inquit Bernhardus Epiſtol. 113. Et extat hac de re, Epiſt. Auguſtin. his verbis: Dilecto filio in Chriſto Fabiano, Auguſtin. Epiſcop. ſalutem. Cõgratulor vna tecum, quoniã te prolem nuper habere cognoui. Sed deprecor, vt dum tempus affuerit, caſtigare prolẽ non differas. Nam ſicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit, ſic & in ſene viro, qui niſi à patre tempore adoleſcentiæ in bono nutritus fuerit, tempore ſenectutis fructus bonorum operum non apparebunt. Caſtiga igitur quem debes dum iuueneſcit. Vale.

E Q. Adhibenda tamen eſt etiam iuſta pœnarum moderatio, ne ira excedat modum, & tranſeat in furorem. Quid enim, inquit Auguſtinus, *de ciuitate Dei, libro vltimo, capit. vigeſimo ſecundo.* ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur. Quid Pædagogi? quid Magiſtri? quid ferulæ? quid lora? quid virgæ? quid diſciplina illa, qua ſcriptura ſancta dicit, dilecti filii latera eſſe tundenda, ne creſcat indomitus. Domari iam durus aut vix poſſit, aut fortaſſe nec poſſit. Quid ergo agitur iis pœnis omnibus, niſi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc ſeculo viuimus. *Auguſtinus de ciuit. Dei, libro vltimo, capite vigeſimo ſecundo.* Huc ſpectat grauis admonitio Platonis *lib. 5. de legib.* Miſereri autẽ decet eorũ, qui ſanabiles ſunt, & cohibere irã. Ne aduerſus eos muliebris iracũdiæ feruore animus efferatur diutiuſque inſiſtat. Qui autem ita ſunt flagitioſi, vt incurabiles ſint

eis

eis ira vehementius immitenda.

Inſtitutio paterna.

PH. Satius itaque foret, ipſos potius parentes, quam quemuis alium liberorum educationem ſuſcipere, præterquã enim quod multò fidelius ac promptius natura paterni affectus ductrice, liberos inſtruunt ac ſalutaria illis inculcant, etiam facilius iræ atq; indignationis furorem remittunt. Quin etiam vbi ingenioſos ac dociles liberos ſuos animaduertunt, ſummopere ac magis quam quiſquam alius ex eo ſibi gratulantur, eoque etiam impenſius operam educationi nauant. Quemadmodum enim agricola vehementer exultat, generoſos fœtus ex arbore ipſa legens, quam ſuis quondam manibus conſeuerat, ac diu multa cura produxerat. Ita parentes potiſſimum cùm illorum fructus, induſtriam, morumque honeſtatem intuentur eorum, quorum ingenia atque mores ipſi à prima iuuentute fęliciter formauerunt. Atque hac ſimilitudine vſus eſt Politianus *lib. 6. Epiſtolar. Epiſt. ad Franciſcum Puccium.*

EQ. Extant certe alicubi aupd authores illuſtria paternæ inſtitutionis exempla. E quorum numero eſt illud Æneæ ad Aſcanium filium, *lib. 12. Æneid.*

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis, nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito mox cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas & auunculus excitet Hector.

PH. Demodocus apud Platonem *in Theage de Sapientia*: Etenim, inquit, hæc mihi mei filii ſiue plãtatio ſeu filii generatio appellanda ſit, omnium facilima extitit. Educatio autem difficilis, & ſemper in timore maximum motum ſui cauſa ſubeunti. Non enim eſt diuinius aliquid, de quo homo conſulere queat, quam de eruditione ſui atque ſuorum. Et quod Socrates *in Theage*: Non, inquit, noui, cui rei maiorem diligentiam, quiſquis mentem habet, adhibere debeat, quam vt filium optimum reddat. Audiſtin' inquit ibidem Socrates, Themiſtoclem filium ſuum Cleophantum in equeſtri facultate ſtrenuum effeciſſe, adeo vt equis rectus inſiſteret? rectuſq; ex equo iacularetur, cæteraque permulta ſtupenda perficeret, in quibus ille diligenter erudiri curauit, ſapientemq; in ſingulis; quæ præceptores eruditè callebant, effecit. Et Socrates in Menone, de virtute: Annon, inquit, Ariſtides Lyſima-

Lyſimachi filius, filium ſuum Lyſimachum in omnibus quæ præceptores vlli profiterētur optime Athenienſiū omnium eruditum euadere voluit. Sic Pericles vir magnopere ſapiēs, duos filios educauit, Paralū, Xantippū & hos tū in equeſtri petitia, tum in muſica, tum etiam in carminibus præ cæteris Athenienſibus inſtruxit. At denique in nullo eorum quæ in arte percipiuntur, inferiores aliis eſſe voluit. Identidē & Thucydides duos filios educauit, Meliſiam atque Stephanum, quos & cætera diligenter edocuit, & Palæſtram in primis, vt in ea Athenienſes reliquos ſuperarint. Vnum quidem Xanthiæ, Euodoro alterum commendauit, hi vero in Palæſtræ ludo cæteris omnibus illis temporibus præcellere putabantur. Hæc Plato ex Socrate.

PH. Idem de M. Catone refert Plutarchus: M. Cato, inquit, filium, quum primum per ætatem intelligere potuit, literis erudiuit, tametſi Chilonem gratioſum ſeruum Grammaticum haberet, qui compluribus pueris ludum aperuerat, indignum (vt ipſe perhibet) ratus filium, ſi diſcendo tardiuſculus eſſet, ab eo qui ſeruiret, reprehendi, ac aurem diſtorqueri. Doctrinæ huius quoque cauſa mancipio debere gratias noluit. Ideoque ipſe literatum præceptor fuit, ipſe leges edocuit, ipſe exercendi corporis magiſter non modo iaculandi, tractandi arma, & equitandi, ſed etiam pugno dimicandi, & calorem, & frigus tolerandi, ac rapidos gurgites & aſperrimos fluuios intrandi artes inſtruxit. Ab verborum turpitudine præſente puero ſic temperauit, quaſi veſtalibus virginibus arbitris locuturus eſſet. Nec cum eo vnquam lauit, id quod à Romanis factitatum eſt. Generos enim cum ſoceris balneum ingredi vitio dabant, quoniam membrorum nudationem inſpectantibus illis cum decore fieri non poſſe iudicarent. Omnia igitur quæ ad ingenium & ſolertiam filii pertinerent, Cato ex ſententia perfecit. Hæc Plutarchus.

Fœminæ literis imbutæ.

E Q. Non filios tantum ſed & filias olim bonis literis imbuerunt patres, ex quo factum, vt fœminæ non minus quam mares in iiſdem egregie profecerint, imo etiam haud raro ſuperiores viris in hoc genere euaſerint. Cuius rei documentum extat apud Quintilianum his verbis: In parentibus, inquit, quamplurimum eſſe eruditionis optauerim, verùm nec de Patribus tantum loquor, nam Gracchorum eloquentiæ multum contuliſſe accepimus

Digitized by Google

Corneliam matrem, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt. Epiſtolis traditus, & Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur, & Quinti Hortenſii filiæ oratio apud triumuiros habita legitur, non tantum in ſexus honorem. Nec tamen hi quibus diſcere ipſis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant, ſed ſint propter hoc ipſum ad cętera magis diligentes.

Et de Augusto Cæſare Suetonius: Octauius Auguſtus, inquit, Iuliam filiam, & neptes duas Iuliam & Agrippinam, ita inſtituit, vt etiam lanificio aſſuefaceret, vetaretque loqui, aut agere quicquam niſi palam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cætu adeo prohibuit, vt Lucio Tucinio claro decoroque iuueni ſcripſerit, quondam parum modeſte feciſſe eum, quod filiam ſuam Baias ſalutatum veniſſet. Nepotes Daium, & Lucium, & Agrippam, & literas, & natare aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit, ac nihil æque elaborauit, quam vt imitarentur chirographum ſuum. Neque cœnauit vna, niſi vt in vno lecto aſſiderent, neque iter fecit, niſi vt vehiculo anteirent, aut circa adequitarent. Hæc Suetonius. En quanta aui materni (Auguſti) erga nepotes cura!

PH. Quid longinquis temporum interuallis diſſita miramur, cum recentia paſſim extent. Et edita eſt inter cætera ante pluſculos annos elegans *pro libertate literarum* declamatio eademque Mediolani publice habita, anno 1604. ab Helena Cribellia, virgine modeſtiſſima, Suadæ & Gratiarum puella, quæ vt doctiſſimus Erycius Puteanus in præfatione, declamationi iſti præfixa, ait, caſte feliciterque ingenio vſa, publice dixit, & laudabili pro libertate literarum declamatione ſibi literas vindicauit, adeoque in rempublicam literariam fœminas quoque aſcribi, optimarum artium cultu exerceri, à fama & æternitate non ſecerni, iuſque faſque eſſe, elegantiſſima oratione proſecuta eſt; atque eadem etiam mox ab initio iſtius declamationis meminit cuiuſdam Amaſiæ Sentiæ fœminæ clariſſimæ, quæ cauſam olim publico in iudicio facundè feliciterq; egerit.

E Q. Iucundum omnino eſt, erudite linguas mulicbres latinum ſermonem ſuauiantes; & non ſine ſtupore atque admiratione audientium, illorum præſertim quibus de illarum in latina lingua facundia atque peritia

ritia prius non conſtitit, fœminæ latina loquuntur. Et memini ego iam inopinati cuiuſdam puellæ, literis egregie imbutæ reſponſi ad procacis cuiuſdam literarum ſtudioſi, de ipſius puellæ forma ac venuſtate iudicium, cum enim is, procedente per viam publicam puella iſta, fixis in puellam oculis ad cæteros ſuos comilitones: En quàm ſpecioſa vbera; diceret, illa è veſtigio: Atqui bone adoleſcens vbera iſta tibi non præbebunt lac, belle reſpondit. Inopinatum hoc erat, atq; omnino præter expectationem reſponſum, quippe illorum nemo ne per ſomnium quidem, puellam iſtam literis eſſe imbutam cogitarat, ſed enim, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

TH. Quæ de paterna liberorum inſtitutione à vobis hactenus dicta ſunt, etiam ſacrarum literarum authoritate ac mandatis conſtant. Noli, inquit Salomon, ſubtrahere à puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percutis eum, & animam eius de inferno liberabis. Nam virga atque correptio tribuit ſapientiam: ſtultitia enim colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam. At vero dolor patris, & mœſtitia matris eſt filius ſtultus. Et ſeruus ſapiens dominabitur ſtultis filiis. Corripe igitur filiū ſi peccauerit. Qui enim parcit virgæ, odit filium, qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Hæ admonitiones ſparſim extāt apud Salomonem in prouerbiis. In eandem etiam ſententiam Syracides: Filii tibi ſunt, inquit, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum. Nec oſtendas hilarem faciem tuam illis. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. Vtilius eſt mori ſine filiis, quam relinquere filios impios. Curua filii ceruicem in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt. Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & ſi quæ ſunt aliæ commonefactiones.

Inſtitutio paterna nō ſit nimis aſpera.

PH. Hæc tamen liberos coercendi poteſtas non eſt indefinita, ſed certis limitibus circumſcripta. Namque identidem Syracides cuique patrifamilias, ne leo ſit in domo ſua, grauiter inhibet, & diuus Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios: Vos patres, inquit, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina & correptione domini

domini. Et niſi iuſta moderatio à parentibus adhibeatur, inſtitutiones iſtæ paternæ rigoroſæ nimirum, nihil aliud pariunt quam ſtupiditatem ac timorem, qui duo defectus, tanta ſæpenumero in liberis agunt, vt etiam per omnem ipſorum vitam illis non poſſint eximi. Hinc eſt quod grauiter Plutarchus monet his verbis: Parentes omnino aſperos, & natura eſſe duriſſimos, nolo, at præteritorium nonnullis peccatorum concedendam interdum eſſe veniam ducant, ſeque iuuenes aliquando fuiſſe meminerint. Quemadmodum medici amara quædam venena dulcibus miſcentes humoribus, comitem vtilitatis amœnitatem inuenerunt, ita & patres increpationum rigorem manſuetudine temperent eſt neceſſe, puerorum namque deſideriis remittendæ interdum habenæ, nonnihilque laxandæ, quandoque rurſus intendendæ. Leuia præſertim delicta molli ferant animo. Sin aduerſus ipſos excanduerint, ilico tumorem animi deponant, parentem enim celeres quam graues ſuſcipere iras præſtat. Et extat hac de re elegans Epiſtola Plinii *libro octauo Epiſtol.* his verbis: Caius Plinius iuniori ſuo ſalutem dicit. Caſtigabat quidam filium ſuum, quod paulo ſumptuoſius, equos & canes emerit, huic ego iuuene digreſſo: Heus tu nunquam ne feciſti, quod à patre corripi poſſet? Feciſti dico, num aut interdum facis, quod filius tuus? Si repente pater ille, tu filius, pari grauitate reprehendatis. Nonne omnes homines aliquo errore ducuntur. Nonne hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi, admonitus immodicæ ſeueritatis exemplo, amore mutuo ſcripſi, ne quando tu quoque filium tuum durius, acerbiuſque tractares. Cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe. Atque ita hoc quod es pater, vtere, vt memineris te hominem eſſe, & hominis patrem. Hactenus Plinius. Et Cicero *libro tertio Tuſcul.* Tu autem filium intemperantem verbis dũtaxat caſtigas, non etiam verberibus. Idcirco prauus eſt & proteruus, & indies peior euadet. Sume ergo bacillum, vbi verba non proſunt, ſic in dexteram virtutis viam, relicta vitiorum ſiniſtra redibit. Et Plato inquit: Qui ratione punire aggreditur, non præteriti ſceleris cauſa punit, neque enim aſſequi poteſt, vt quod eſt factum, ſit infectum, ſed ad futurum reſpicit, ne iterum aut ipſe delinquat, aut alius quilibet exemplo eius adductus. Puniendi ergo ſunt praui filii, ne

iterum delinquere auſint. Hæc Plato. His etiam congruunt, quę Ariſt. *lib. 10. Ethic.* inculcat: Si negligitur inquit publice, ad vnumquemque attinere videtur, filios ſuos atq; amicos ad virtutem dirigere, vel ſaltē velle dirigere. Singula autem magis exacte fieri videtur adhibita cura diligentiaq; priuata. Quocirca parentes priuatam curam in filios gerant. Nō enim ſunt tales, vt ob pudorem obtemperēt, ſed ob metum. Nec vt à prauis ob turpitudinem abſtineant rebus, ſed ob pœnam. Idem ibidem.

TH. Optime hæc à vobis dicuntur, quippe quæ & ratione & ipſa adeo conſtant experientia. Verum enim vero hæc minime ſufficiunt, fieri namque poteſt, vt etiam ſapientiſſime extructa, per aliorū proteruiā diruantur, idq; ſæpenumero vel leuiſſimo temporis interuallo; atq; hinc communis illa vox ſententioſa exorta eſt:

Perditur in puncto quod non reparatur in anno.

Conqueſtus eſt hac de re ſapientiſſimus rex Salomon, cum enim ingenium ac mores filii ſui Rehabeam, & quo potiſſimum cōſortio delectaretur, animaduerteret, facile illi animus pręſagiebat, futurum aliquando, vt leuitatis illius pœnas lueret, id quod etiā euenit. Etſi namq; omnem opum ſuarū magnificentiā, regnumq; illud ſuum amplum filio ſuo Rehabeamo relinqueret, is tamen adeo ſtolidus ac infelicis Mineruæ erat, vt decem tribuū populi Iſraelitici mox in ipſo portu nondum nauta, naufragium cōmitteret, ita vt tantum duæ tribus ex omni Iſrael non deficientes ſe regem agnoſcerent. Bene moratorum itaq; conuerſatio, nō minus quam ipſa corporis nutritio atq; ad honeſtos mores educatio eſt attendēda. Corrumpunt namq; q; etiam Apoſtolus cōmonefacit, bonos mores colloquia praua. Hinc *Seneca ad Lucil. epiſt. 6.* Nulla res magis animos induit honeſtos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum conuerſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aſpici, frequenter audiri. Cæterum diſciplina honeſtæ conuerſationis, vt inquit Hugo *de diſcipl. men.* ex quatuor perpendi poteſt, ex geſtu, motu, affatu & conuictu. Geſtus autem reprehenſibilis eſt, ſi eſt aut mollis, aut diſſolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis ſignificat laſciuiā, diſſolutus negligentiam, tardus pigritiā, citatus ſiue impetuoſus inconſtantiā. Temperanda etiam eſt facies & modificāda in geſtu ſuo, ita vt nec proterue exaſperetur, nec molliter

Bene moratorum conuerſatio.

Digitized by Google

diſſoluatur: ſed ſemper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Eſtq; in motu corporis cauendum, ne in tardationibus adeo molli greſſu vtamur, vt põparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus non ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fuerint, anhelitus mouentur, ora torquẽtur, quæ ſigna ſunt incõſtantis animi. Vide Hugonem *de diſcipl. mon.*

PH. In eandem ſententiam etiã loquitur Plutarchus in tract. *de inſtit. liberorum.* Illud etiam, inquit, ne omittatur, dignum eſt, vt adoleſcentulos, qui alumnis conuictuti miniſtraturique ſint, tales in primis inquiramus, vt bonis veniãt inſtituti moribus. Dehinc vt patrium ſermonem, ac expedita pronunciare verba ſciant, ne barbaris vocibus, aut deprauatis moribus intincti, aliquod ex iis vitium reportent. Haud eſt ab re illud vſitatum ſermone prouerbium. *Si claudo vicinus habitaueris, & ipſe claudus ambulare diſces.* Et memorat idẽ Plutarchus *in Lac. apophth.* Cum aliquando Hippocratidi obuius fuiſſet adoleſcens, quem amator ſequebatur, erubeſcenti adoleſcentulo: Cum his, inquit, oportet ambulare, cum quibus conſpectus nõ mutes colorem. Docuit, ex improbis conuictoribus nihil capi fructus, niſi probrum & ignominiam. *Plutarchus in Laconic. apophthegmat.*

E Q. Pueri per naturam fere omnes prauis potius ac diſſolutis quam moderatis gaudent cõſortiis, proinde cum ſponte ad moderata conſortia nõ ferantur, ſed neq; parentes delphinorũ inſtar aſſidue illos cõcomitari poſſunt, proinde alieno demum præſidio illis opus eſt. *Pædagogi quomodo deligendi.*

PH. Alienum iſtud præſidium fidi ac ſedati præceptores atque pædagogi pſtare poſſunt. Quintilianus amicum grauem virum aut fidelem libertum lateri filii adiungendum, inquit, cuius aſſiduus comitatus etiã illos meliores faciat q̃ timẽtur. Xenophon *de Cyri pædia lib. 1.* In duodecim inquit, tribus Perſæ diſtributi ſunt. Hi vero pueris præſunt, qui ſelecti è ſenioribus, eos videãtur redditurí q̃ optimos. Adoleſcẽtibus quoq; hi, qui ex abſolutæ ætatis viris perquã optimos eos exiſtimentur effecturi. Viris autẽ ipſis hi ſunt pręfecti, quorũ illi inſtitutione cenſeãtur, q̃ cõſtituta ſunt, & à magiſtratu maximo imperata, maxime pſtituri. Quapropter & tu filio cuſtodẽ adhibeas à quo reddi quam optimus valeat. Hæc Xenophon. Plutarchus pædagogorum expreſſe meminit. Quærendi, inquit, ſunt liberis magiſtri, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtę reprehenſioni non obnoxii, & qui peritiæ ſint mini-me

me vulgaris. Fons enim & radix virtutis, atque honeſtatis vitę, eſt inſtitutio proba. Vtque agricolæ ſtirpibus pedamenta apponunt: ſic probi magiſtri, accuratis præceptis, admonitionibuſq; adoleſcentes ſuffulciũt, vt mores recti inde germinent. Nunc vero etiã deſpuas in contumeliã quotundam parentũ, q priusq̃ futuri magiſtri vllũ fecerint periculũ, ignoratione aliquando, aut ẽt imperitia decepti, non ſpectatis, adeoq; etiã malæ notæ hominibus filios ſuos committunt, &c.

EQ. Imo ipſi pædagogi ſuo ſe metiri pede prius debent, num etiam quã ineũt Spartam ornare adeoq; fidei ſuæ commiſſam iuventutem inſtituere probe norint. Omnino. namq; verum eſt vulgatum iſtud dicterium:

Quodq; parum nouit, nemo docere poteſt.

Id præter alios etiam Quintilianus commonefacere voluit, dum ait: pædagogi aut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim, aut ſe non eſſe eruditos ſciãt. Nihil enim peius eſt his qui paulum aliquid vltra primas literas progreſſi falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionẽ induerunt. Nã & cedere præcipiendi peritis indignantur, & imperioſi, atq; interim ſęuientes, ſtultitiam ſuam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Alexandri pædagogus (vt à Babylonio Diogene traditur) quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, & maximum regem ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta. Hæc Quintilian.

PH. Prudens itaq; eſt illa Plinii ad Corneliam Hiſpullam admonitio, quæ extat apud Pliniũ nepotem, *lib. 3. Epiſt.* his verbis: Plinius Corneliæ Hiſpullæ ſuæ ſalutem. Cupiam neceſſe eſt, vt filius tuus auo ſimilis exiſtat, iam circumſpiciẽdus eſt rhetor Latinus, cuius ſcholæ ſeueritas, pudor, inprimis caſtitas conſtet. Adeſt n. adoleſcenti noſtro cum cæteris naturæ, fortunæq; dotib⁹ eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis nõ præceptor modo, ſed cuſtos etiã, rectorq; quærendus eſt, proinde fauentibus diis, trade eum præceptori, à quo mores primũ, mox eloquentiam diſcat, q̃ male ſine moribus diſcitur. Hæc Plinius. Huc referri poteſt, q, extat apud Hieronymum de probi præceptoris cõditione his verbis: Magiſter probę ætatis, & vitę, cõditioniſq; eſt deligẽdus, ipſe n. elementorũ ordo, & inſtitutio præceptorũ aliter de erudito, aliter de ruſtico ore pfertur. Nec diſcat in tenero, q, ei poſtea dediſcẽdũ ſit. Difficulter raditur, q rudes animi imbiberũt. Lanarũ cõchilia qs in priſtinũ colorẽ reuocet? Rudis teſta diu & ſaporẽ retinet, & odorẽ, quo primũ imbuta eſt.

eſt. Græca narrat hiſtoria Alexãdrum potentiſſimum regem, orbis dominatorem, & in motibus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus, procliuis eſt enim malorũ æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imitaris vitia.

TH. Extat apud Gellium *lib. 8. cap. 3.* Epiſtola Philippi, regis Macedoniæ, in qua Ariſtoteli philoſopho natum ſibi eſſe Alexandrũ nunciauit, quæ quia Laconica breuitate, multa complectitur, verbis formalibus, vti deſcripta extat, recitabo: Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit: Filiũ mihi genitum ſcito, quod equidem diis habeo gratiam, non perinde quia natus eſt quam ꝓ eo quod naſci contingit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt educatus, eruditusque abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione. Hæc Gellius. Curandum igitur, vt à teneris optimos habeant filii præceptores, à quibus & mores primum, deinde diſciplinam & ſcientiam hauriant. Ac proinde etiam increpandi plerique merito ſunt parentes, qui pædagogis atque præceptoribus filios ita committunt, vt q̃d hi diſcant, neq; videant neq; protinus audiãt, qua in te pluſquam opus ſit delinquũt. Cum ipſi paucos intra dies experiẽtia ſuſcipere, ac tentare debeãt, non autem in mercenarii diſpoſitione ſpem ſuam collocare. Nam & illi maiorem puerorum curã ac diligentiã facturi ſunt, quum rationem vbique reddituros ſe fore ſcient, hoc itaque loco generoſum illud, lepidumve ſtabularii dictum notabitur, qui nulla alia re equũ adeo pingueſcere, quam regis oculo, dixit.

PH. Omnino certe parentes rationem inſtituendi, quam præceptores vſurpant, attẽdere atq; exigere debent. Sunt enim haud raro ipſi præceptores nimis quã par eſt, rigoroſi. At vero, vt ait Hieronym. *in Epiſt. ad Tit.* nihil eſt fœdius præceptore furioſo, qui cum debeat eſſe mãſuetus & humilis ad omnes, ex diuerſo, toruo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conuitiis, facie inter ruborem & pallorem variata, clamore proſtrepitat, et errantes non tam à bono retrahit, quam ad malum ſua ſæuitia præcipitat. Quæ quidem pædagogorum furiæ nonnihil poſſunt retundi, ſi parentes modum & rationem inſtituendi, quæ à pædagogo vſurpatur, obſeruent. Nam, q; Paulus Vergerius prudenter docet, alii laude & p ſpem honoris, alii munuſculis, blanditiisq; alliciendi. Minis alii flagriſq; cogẽdi erunt. Atque hæc quidem omnia ita rite penſanda, rationeque moderanda,

randa, vt in eodem ingenio viciſſim his artib. præceptores vtantur, & cauendum vt neq; nimium illis faciles, neque nimium ſeueri ſint. Nam vt nimia licentia bonã indolẽ ſoluit, ita grauis & aſſidua caſtigatio ingenium eneruat, naturæq; igniculos in pueris extinguit, qui dum timent omnia, audere nihil poſſunt, fit vt pene ſemper errẽt, dum in ſingulis rebus errare ſe timent. Itaq; indulgenda ſunt adoleſcentibus quædam, neq; omnia eorum peccata ſeuera ſunt animaduerſione puniẽda. Hinc ſcite admodũ Quintilianus: Non ſum inquit adeo ætatum imprudens, vt inſtandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. nam id inprimis cauere oporrebit, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel præceptam etiam vltra rudes annos reformidet. Luſus hic ſit, & rogetur, & laudetur, aliquãdo ipſo nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & ſępiꝰ vincere ſe putet, pręmiis, quæ cupit illa ætas, euocetur. Hi quoq; verſus, q̃ ad imitationem ſcribendi proponentur, nõ otioſas velim ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes, ꝓſequitur hæc memoria in ſenectutẽ, & impreſſa animo rudiuſq; ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum & electos ex poëtis maxime, namq; eorũ paruis cognitio gratior eſt, locos ediſcere inter luſum licet. Hæc Quintilianus.

EQ. Quinetiam Socrates *lib. 4. de republ.* ſtatim à primis annis pueros honeſtis in iocis aſſuefaciẽdos eſſe aſſerit. Nã ſi iocis minus decentibus aſſueſcant, nunq̃ legitimi probiq; viri euadere poterũt. Cura quoq; debet eſſe his, qui pueris publice præficiuntur, fabulas & narrationes eis proponere, omnino tamẽ tales, quæ ad conuerſationes futuras accõmodari poſſint, vt ſint & ludi imitationes eorum, quæ poſtea ſerio erunt facienda.

TH. Specioſe quidem hæc à vobis dicuntur, illud inprimis, q̃ pædagogi ferociores, quando parentum animaduertunt oculos atq; aures obſeruatrices, in poſterum pueros & corporis & iudicii ratione adhuc debiles plerunq; ſolent tractare mitius; at enim identidem quoq; parentes non recompenſam duntaxat beneficiorum, q̃ à præceptorib. in ipſorum liberos multis nominib. collata ſunt, liberaliter præſtare, ſed & quibuſcunq; aliis beneficentiæ atq; dilectionis generibus ꝓſequi omnino par foret. Verum enim vero, prout ſunt hodierni, imo priſci etiam mores, *Præceptoribus rara rependitur gratia.*

—— Res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius.

Id q; Iuuenalis graui carmine exprobrat, ac plerorumq; parētum mores atq; ingenium nimis illiberale deſcribit, qui plurima quidem exigunt à præceptore, atq; vt ipſorum liberi, bene morati, docti, omniumq; rerū cognitione gnari euadant, expetunt, quos ſi opinioni ipſorum minus reſpondere comperiunt, grauiter cum præceptoribus expoſtulant; cum ipſi econtra ratā præceptori ſoluant mercedem, idq; vtplurimū non prius, quā per magiſtratum ad ſolutionē adigūtur. Iuuenalis carmē hoc ipſum eſt q; ſequitur:

Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat. Sed vos ſæuas imponite leges,
Vt præceptori verborū regula conſtet.
Vt legat hiſtorias, auctores nouerit omnes
Tanquam vngues, digitoſque ſuos, vt forte rogatus
Dū petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamq; nouercæ
Anchemori, dicat quot Aceſtes vixerit annos.
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.
Exigite, vt mores teneros, ceu pollice ducat,
Vt ſi quis cera vultum facit, exigite, vt ſit
Et pater ipſius cœtus, ne turpia ludāt,
Ne faciant vicibus, non eſt leue tot puerorum
Obſeruare manus, oculoſq; in fine trementes.
Hæc inquit cures, & quum ſe verterit annus,
Accipe (victori populus, quod poſtulat) aurum.

PH. Ita certe eſt, vt dicis. Et ſunt etiam pueri quidam ingenii ferocioris rigidioribuſq; naturis præditi, qui impatienter ferunt diſciplinarū vincula, & quo ſunt naturæ ferocioris, eo plus ſibi ſumunt licentiæ, indignanturq; ac fremunt, quando velut carcere, diſciplinarum minis, illorum cupiditates incluſæ coërcentur. Quinetiam, cum diſcunt literas, & linguas, tamen à præceptis artium abhorrēt, & barbarica quadam libertate vagari hinc inde gaudent; quo quidem pręceptionum contemptu in ferocioribus illis ingeniis valde confirmatur audacia illa Cyclopica. Nullum autem monſtrū perinde tetrum cogitari poteſt, vt talis natura impatiens legū & diſciplinæ, ſeditioſa & tyrannica. Hæc deinceps pręter omne fas ac meritum ipſis pædagogis improperantur.

TH. Sunt nimirum quouis tēpore mali admixti bonis, nec vlla vnq̄ fuit ætas, quę non niſi bonos ac morigeros produxerit. Extat in hanc ſententiā narratiuncula q̄dam, poemate quodā mytholo-

gi. o

gico expreſſa, nõ illa quidẽ hiſtorica, attamẽ venuſta, & admonẽdę adoleſcẽtiæ cauſa erudite cõficta. Fertur a. hæc narratio: Longo interuallo poſt cõditionẽ Adę & Euæ, cũ primi parentes iam haberent familiã, viſum eſt Deo, ſemel ꝑdire, ac ſe illis patefacere, vt in illa mundi ſolitudine quotidianis cõflictantes ærumnis cõſolaretur. Forte igitur è feneſtra ꝑſpiciens Eua, vidit venientẽ Deũ conditorem, cum comitatu Angelorum. Et quoniã poſtridie feſtus dies futurus erat, liberos cœperat lauare, adfuturos patris ſacrificio & cõcioni. Cum a. nondũ omnes lauiſſet, & vereretur ſqualentes ac ſordidos producere in conſpectum Dei, iuſſit vt hi ſe in fœno & ſtraminibus occultarent, q̃ ad vſum pecudum proxime cõgeſta erant. Cęteris comptis mãdat, vt ſtent ordine, expectantes Deũ in atrio, cumq; fuerit ingreſſus, & à matre ſalutatus, accedant ipſi, porrigant dextras, paululum flexo poplite, & dicta ſalutatione, poſtea taciti ſuo loco atq; ordine conſiſtant. Hæc cum imperaſſet, ingreditur Deꝰ in atriũ. Procedit obuiã pulcerrima mater, pudorẽ ac pauorẽ vultu ſignificans, & venientem reuerenter excipit amplexu. Deus comiter eã affatur, ac iubet bono animo eſſe, ſe Patrem miſeris eſſe, & non defuturum ipſis, quib. & vitã & mentem imaginẽ diuinitatis ſuæ impertiuiſſet. Poſtea accedũt pueri ordine, vt iuſſi erãt, porrigũt dextras, ſalutãt, deinde taciti regrediũtur.

Laudat Deus matris diligentiã, q; non modo ornaſſet liberos, ſed etiam ad morum elegantiam aſſuefaceret. Sed hi geſtus, inqt, elementa ſunt diſciplinæ, alia grauior doctrina accedere debet, vt ſciant ſe præcipue naſci ad agnitionẽ Dei, ad propagandam eius notitiam, ad conſeruandam promiſſionem vobis traditam, ad exercendã obedientiam erga Deũ, iubet doceri eos de immortalitate, de pœnis impiorum æternis.

Mater reſpondet, ſedulo hæc inculcari ipſis ab vtroq; parente, & addit lacrymãs: Memini miſerandi lapſus noſtri, & quanta benignitate nos receperis, eoq; omni cõtentione annitimur, vt ſoboles noſtra ſit in officio, ne grauius te offendamus. Proſpicimus quantæ pœnæ impendeant poſteritati noſtræ, ſi te deſeruerit. Hæc igitur præcipua noſtra cura eſt, vt te cõditorem ipſis mõſtremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & q̃ propoſueris nobis ſpem ſalutis. Sed ipſe velim eos audias, vt ſi q̃d non recte didicerunt, tua voce emendetur. Iubet igitur ſtantem Abelũ primo loco recitare patentũ dictara, & iubet clare, ac p̄ſenti animo ꝓnũciare.

Puer incipit: Credo vnum eſſe

 Deum,

Deum, omnipotentẽ, ſapientem, iuſtum, ac bonum, conditorem totius mundi, q in hac rerũ mole admirãdam varietatem operum propoſuit, certiſſimum ordinem cœleſtium motuum, temporum vices, leges, ac vires naſcentiũ, vt hęc omnia teſtarentur, mundum nõ caſu extitiſſe, ſed ab aliqua æterna mente conditũ eſſe. Nobis vero hominib. mentem indidit, in qua tanq̃ imagine lucere diuinitatis noticiã voluit: addidit & intellectum, quæ officia requirat, quę improbet, vt ipſi obediamus, addidit & mãdatum parentibus, quo oſtenderent, ſe cõditori ſuo libenter parere, & debere obedientiam. Quod ſi paruiſſent, ſine peccato, ſine morte vixiſſet genus humanum, & in hac vita fulſiſſet multo illuſtrior noticia Dei, arſiſſet in pectorib. noſtris ingens amor Dei, & ſine prauis cupiditatibus Deo fuiſſemus morigeri. Sed odio Dei diabolus, vt deformaret opus diuinum, circumuenit noſtros parentes, & obiectis falſis opinionibus, caliginẽ mentibus eorũ offudit, ne cogitarent, quantũ Deo deberent, quãtopere requirat Deus, ne à ſuo verbo diſcedamus. Ita impulſos pdidit, quia violata lege Deum offenderunt. Quare cum omnia diuinitus condita bona eſſent, peccatum non à Deo, ſed à Diaboli & hominum voluntate ortum eſt. Hinc mors ſecuta eſt, & Tyrannis ſerpentis, qui aduerſus genus humanum hoſtiliter graſſatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit.

Sed tñ vt eſſent in hoc mundo cultores, & præcones Dei, noluit Deus prorſus perire genus humanum, ideo admiranda miſericordia pmiſit Semen noſtræ matri, propter q velit placatus eſſe generi humano, nos exaudire & ſaluare, ac reddere nobis æternã vitam, lucem, ſapientiam & iuſtitiam. Præcipue vero immanitas odii in ſerpente inflammabitur aduerſus hoc Semen, infiget ſerpens dentes eius calcaneo, & crudeliſſimo morſu lacerabit omnes ei addictos. Sed interea caput ſerpentis ab hoc Semine conculcabitur, viuet enim in hoc Semine diuina natura. Ideoq; mortem abolebit, & Tyrannũ ſerpentẽ in horribiles cruciatus abiiciet.

Credo etiam ſacrificia, quæ à patre fieri video, ſigna eſſe ſacrificii, q pro nobis illud Semen offerret, ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis fit propicius, ſi credimus non propter noſtra ſacrificia, ſed propter illud Semen, nobis ignoſci, nos exaudiri, & ſaluari. Et quanquam in hac mortali vita hærebunt peccatum, mors, & cæteræ calamitates, tamen incoatur diuinitus noua lux & vita, in his, qui hæc credunt,

qui

qui quidem placent Deo, propter illud Semen, ac incipiunt ei obedite. Quod veniet etiam, vt iudicet mundum, reddat vitam perpetuam iis, qui ipſi credent, & puniat æternis ſupplıciis Diabolum, & omnes, qui Semẽ promiſſum contemnent.

Ad hunc cultum credo præcipue vocatos eſſe omnes homines, vt hæc admiranda Dei opera, & beneficia prædicent, vt Dei ira & miſericordia innoteſcant, vt Deus timeatur & glorificetur, & multi ſalui fiant. Nec deterreri homines vllis periculis debẽt, quo minus hunc cultum præſtẽt: Erit enim ſemper cætus aliquis præconum Dei, etſi ſerpens & contemtores Dei immanem ſæuitiam aduerſus eos exercebunt, vſq; ad iudicium, in quo immortalis gloria piorum patefiet, qui etſi erunt imbecilles, tamen in certaminibus ſuis diuinitus adiuuabuntur ac ſeruabũtur. Hunc igitur Deum conditorem noſtrum, qui pollicetur nobis ſalutem propter promiſſum Semen, timeo, inuoco, adoro, huic me commendo, ab hoc peto, vt mihi propter ſemẽ promiſſum ſit propitius, gubernet verbo ſuo, defendat me aduerſus ſerpentem Tyrannũ, inſerat mihi ſuam lucẽ, & pios affectus, ac credo me vere propter promiſſum Semen exaudiri, ac reſpici. Oro item, vt cõſeruet & augeat inter nos verã notitiã iræ & miſericordiæ ſuæ, ac promiſſi ſeminis, nec ſinat obrui veros cultus aſtutia ſerpentis, vt regat meos mores, ne ipſum offendam, & ne mea exempla cæteris noceant. Et quoniam ipſe nobis vitam impertit, & vt alat nos, terram facit fæcundam, rogo vt ſuppeditet corpori victum, & conſeruet valetudinem, ſeruet etiam parentes noſtros, ne deſint nobis doctores & gubernatores, ſeruet & regat meos fratres & ſorores, vt pie & feliciter viuant, & ornent gloriam ipſius.

Cum Abel finem dicendi feciſſet, interrogati cæteri, Seth, & ſorores, recenſent eadem. Deus igitur non modo ſtudium eorum & pietatem laudat, ſed etiam orationis & ſententiæ συμφωνίαν & concordiam, ac hortatur eos, vt hanc ſententiam conſtanti pectore amplectantur, ac profiteantur, diligenterq; de doctrina parentes audiant, nec opinionibus adulterinis contaminari doctrinam cæleſtem patiantur. Iubet & in reliqua vita parentibus morigeros eſſe: Teſtaturq; hos cultus ſibi gratos eſſe, ac pollicetur ſe ipſis opitulaturum eſſe in omnibus periculis. Deinde matrem alloquens parentum diligentiam comprobat. Iubet acceſi cæteros liberos, maximum natu Cain, & ſorores reliquas, obiurgat

obiurgat Euam, quod exiſtimarit minus cerni occultatos, quam præſentes.

Soror igitur acceſſit reliquos. Prodit & accedit Cain ad fratres, ſtat rigidus toruitate vultus contumaciam animi & ferociam præ ſe ferens, hærebant in crinibus ſtipulæ & fœni gramina, non geſtu, non voce ſalutabat Deum. Interrogatus vt parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam κατήχησιν recitat: Credo vnum eſſe Deum, omnipotentem, conditorem totius mundi, quem colendum eſſe cenſeo ſacrificiis, propter quæ fœcundat agros noſtros. Sed an exaudiat inuocantes, an peccata remittat, ambigo. De immortalitate etiam tunc videro, cum ex hac vita diſceſſero. Sentio autem bonos mores colendos eſſe, vt vita tranquilla ſit. Hæc cum ille contumaciter dixiſſet, obiurgat eum Deus, quod oblitus ſit promiſſionis, quod fidei doctrinam non teneat, ac iubet redire eum in viam & integram pietatis doctrinam diſcere.

Deinde, inquit, cũ vos parẽtes humani generis futuri ſitis, velim vos poſteritati etiã prælucere doctrina, pietate & virtute. Non minus vos oppugnabit ſerpens Tyrannus, quam oppugnauit parẽtes veſtros. Sed his qui meã promiſſionem conſeruabunt, opitulabitur aduerſus ſerpentem Heros promiſſus. Et quoniam regi genus humanum verbo Dei, & coherceri diſciplina volo, deligam ex cœtu idoneos.

Tu igitur Abel ad me accedito, vt manus imponens capiti tuo, te cõſecrem, tibi meum ſpiritum impertiam, vt ſis Sacerdos, eritq; tuum munus doctrinã diuinitus traditam, cæteris omnibus proponere, & ſacrificia facere diuinitus monſtrata, eaq; recte interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hanc profeſſionem ſubeunda erunt. Nam agones tui teſtabuntur piorum ærumnas eſſe cultus mihi gratiſſimos, & ſignificabunt, quale ſit futurum ſacrificium promiſſi Seminis.

Te vero Seth Regem cæteris præficio, ſcieſque & tuum munus geminum eſſe. Primum, doctrinam, quam frater profeſſus eſt, omnibus viribus tueberis, & impios, qui conuicia aduerſus Deum dicunt, punies ac tolles, punies & cæteros, qui ſocietatem veſtram turbabunt: vobis duobus ventura poſteritas obtemperet. Et hunc ruſticum Cain, qui vt eſt inculto corpore, ita mores habet agreſtes & feros, ſeruum eſſe volo, & metu legum & pœnarum coherceri, ne aut religionem contumelia adficiat,

aut conturbet ſocietatem veſtram.

Ita diſtributis ordinibus, Euam rurſus alloquitur, eique curam liberorum regendorum & erudiendorum committit. Illa lachrymans teſtatur ſe conſumi perpetuo dolore & cruciatu, quem adferebat horrendi lapſus recordatio. Tandem, inquit, reipſa comperi; cæleſtes minas non eſſe irritas, quæ mortem nobis irrogarunt. Aſſiduam enim mortē mecum circumfero. Quoties aſpicio liberos, ac præſertim hunc rigidum filium, & proſpicio ventura mala, toto corpore perhorreſco & exanimor. Veniam igitur grauiſſimi errati mei iterum peto, & mitigari calamitates oro. Deus affirmat ſe illi ignoſcere, & quamquam genus humanum exerceri calamitatibus velit, tamen rurſus admonet eam promiſſi Seminis. Hunc Heroa, inquit, non defuturum eſſe inuocantibus ipſum, & iis olim daturum cæleſtem vitam & gloriam.

Hac conſolatione cum nonnihil leuaſſet eius luctum, diſceſſurus porrigit dexteram pueris, mater abeuntem comitatur, cūque incenſa ſtudio ſermonū dulciſſimorum, & amore conditoris, procul iam à domo progreſſa eſſet, amplexus eam, iubet Deus ad liberos redire, & polliceatur & ipſi & marito ſuam opem, docet etiam hos ſuos comites Angelos cuſtodes eſſe familiæ, qui gerant perpetuum bellum καὶ ἄσπονδον cum ſerpente. Quare ſolitudinem minus moleſtè ferre iuber, promittit deinde futuram maiorem familiaritatem Angelis cum tota familia, vt tædium ſolitudinis minuant. Hæc cum dixiſſet, nube tectus in cælum redit.

Habetis narrationem, quæ etiamſi non eſt hiſtorica, tamen res veras & magnas adumbrat.

E Q. Eſt hæc profecto iucunda narratio, quæ plurimas continet commonefactiones, proindeq; digna, quæ omnib. innoteſcat, ſerioq; inculcetur, quum & boni quod imitentur, & improbi quod vitare debeant, abunde in hac narratione inueniant. Audiunt n. boni ac probi, eos eſſe ornatos honorib. qui præſtāt indole, doctrina, morum elegantia & pietatis ſtudio, atq; inde facile cōiiciunt quib. reb. inſtructos oporteat eſſe eos, q dignitate cæteris antecellūt. Improbi ecōtra ſuos ipſorū mores prauos ac flagitioſos nequaq̄ generi ac naturæ reſpondere, p cōſcientiā cōuincūtur, vſq; adeo vt ab inculto illo & fero Euæ filio Caino, non ab aliis ꝓpemodū ꝓpagati videātur, quia nimirū ſemina virtutū accepta à maiorib.

non excitant doctrina & diſciplina, ſed obruunt potius accerſitis malis moribus.

Ingenia præcocia.

PH. Triuialia ſunt hæc, & ſi quæ proteruius quandoq; à pueris perpetrantur, condonandum aliquid eſt ſexui. Eſt in ingeniis, eſt in quorundam corporum ſuccretionibus quędam præcocitas, quæ vbi ſuum finem aſſecuta eſt, ſponte ſubſidit.

TH. At enim præcocia tam in animalibus, quam in plantis aliiſq; rebus tanquam minus diuturna & veluti radice carẽtia deprehenduntur. Quemadmodũ enim animantibus contingere videmus, quod ea quæ celerius excreſcunt, & ad perfectionem ſuam properant, citius labantur & intereant, quam quæ lento paſſu & gradatim quodammodo ad ſuam perfectionem tendunt, ideoq; perfectiorem & pulchriorem maturitatem acquirunt: (Exemplum, vt alia omittam, inter bruta animalia præbet equus, ex arboribus ſalix, quæ non durant : Ceruus autem & olea per gradus lentè & tardè tendentes ad maturitatem longioris æui ſunt. Sic leonis catuli informes naſcuntur, vix ingrediuntur ſemeſtres, non mouentur niſi bimeſtres,) ita quæ egregia futura ſunt, ſero proueniunt, & lentis ductibus abſoluuntur. Vnde etiam ad homines eiuſmodi ratiocinationes traductæ ſunt. Quid enim aliud ſibi vult prouerbium: *Odi puerulos præcoci ſapientia.* Nam vulgi inualuit opinio, vt credat puerulos mature ſapientes aut nõ fore vitales, aut dementes futuros, ſimulatq; ad ætatem maturam peruenerint, quamobrem Plinius refert, Catonem Cenſorium velut ex oraculo prodidiſſe, *Senilem iuuentam præmaturæ mortis eſſe ſignum.* Quo reſpexit Iulius Scaliger ſuis hiſce elegantibus verſibus:

Aſtus pueri, præpropere explicata virtus,
Segnem aut fatuum aut terribilem indicat ſenectam.

Præterea apud Senecam, Ceſtius de ingenio Alſii Flauii prædicare conſueuit, tam maturè magnum ingenium non eſſe vitale. Talem puerum Sophocles ἀνδράπαιδα vocat.

EQ. Caſum quem ex hiſtorico quodam hauſi, vobis delibandum offero. Ladiſlao Vngariæ Regi grauiter ægrotanti filiolus Ludouicus immaturo partu editus eſt, & medici arte ipſi cutem fieri curarunt; immatura ætate barbatus fuit, vxorem duxit immaturè, anno ætatis decimoquinto, immaturus regno fuit cum anno ætatis decimo patri in regnis Bohemiæ & Vngariæ ſuccederet, & tandem anno ætatis vigeſimo primo à Turcis cæſus imma-

Digitized by Google

immaturè obiit. Percipite quæſo immaturitatem.

TH. Sunt hæc violenta quaſi naturæ opera, quæ ex violentorum natura, adeoq; ex ipſa phyſicorum regula non ſunt diuturna. Atqui vt in natura phyſica nullum violĕtum eſt perpetuum, ſic & ingenia hominum praua ac monſtroſa, quæ hominem ex homine exuunt, diuturna minimè ſunt. Viri enim ſanguinum non dimidiabunt dies, inquit Pſalmiſta. Et ipſe Æſopus omnium difficilimum eſſe, inuenire ſenem tyrannum aſſerit, namq;

—ſine cade & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Adoleſcentia. *PH.* Diutius aliquantum quā cōuenire videbatur, his minutiis inhæſimus, ſed enim ipſa materię amplitudo tanta eſt, vt cōpendioſius à nobis nō potuerit coarctari, ſed neq; poterat plane omitti, cū ipſa rerū ſeries horū aliqualem ſaltem delibationē omnino requiſierit. Cumq; hactenꝰ Puerum, quantū ad ipſius exiſtentiā aliqualiter cōtemplati ſumus; & vero ex pueris enaſci ſucciſiuis veluti horis, ac pueritia prius finitâ quā animaduerſa adoleſcentes, eoſq; indole primū, progreſſu demum temporis re ipſe viros; Proinde adoleſcentē nunc porro contemplabimur, & quænam ineunda illi ſit via, cū iam ſuo ipſius relictus eſt arbitrio, præeunte iuſtitiæ ac veritatis face, cādide demonſtrabimus. Cum vero ab ipſa cuiuſq; rei, de qua tractandum, vel aliquali ſaltem deſcriptione, faciēdum ſit initium, ſciendum, adoleſcentiam, ſecundum Ciceronem *in Topicis* eſſe florē ætatis, vel, vt alii volunt, extremam pueritiam, dictam ab adoleo, quod ſignificat accreſco, quia creſcēte pueri, cum primum puberes fiūt, olere hircū incipiunt: propter q; hirquituli ſunt appellati, hinc adoleſco, vnde adoleſcens, cuius diminutiuum eſt adoleſcētulus, & adoleſcentia, cuius prima ætas ephebia dicitur. Vnde ephebus, qui in prima eſt adoleſcētia Hinc Terent. in Andria: *Nam is poſtquā exceſſit ex ephebis Soſia.* Ephebus dicitur, quod iam ſit in pube, quæ Græcè ἥβη dicitur. Vnde & ἔφηβος, qui iam ad pubertatis annos peruenit.

EQ. Excedunt nimirum ex annis pueritię, & excedunt etiam è morib. puerilibus, atq; alios induunt. Cum enim pueri non procul à patris ædibus atque adeo à materno ſinu abſcedere ſatagāt, adoleſcentes econtra nihil amplius ferè habent in votis, quā vt è vinculis diſciplinæ domeſticæ illis exemplis liberè vagari permittatur, id quod elegātet Plutarch. *in Moralib.* docet. Nam quemadmodum ferè plantæ, multa

æſtate contabeſcunt: Ita pueri amorem, quē erga parentes & familiares habent, ferè ſpacio temporis cum adoleſcunt, mutant. *Thriuer. in apoph.7.* Quemadmodū autem induſtrii agricolæ primum ſemen in terram deponūt cupreſſi, aut aliarum arborum ſimiliū, deinde vbi conſpexerint è ſemine factā arborem, non relinquūt in eadē terra, ſed inde reuulſam plantulā, in aliud transferūt ſolum, vt terra recens in gremio ſuo exceptam illius radicem, puram & integram vim ſuā, proferat ad nouam educationem. Ita etiam induſtrii parentes prolem ſuam, quā in agro domeſtico per annos aliquot nutriuerunt, atq; educarunt, demū vbi iam adoleſcit, atq; anni diſcretionis paulatim ſuccreſcūt, ex agro domeſtico in alium transferunt agrū aut fundum, vbi non minus vberes, imo vberiores fructus, quam in ſolo patrio proferre poſſe prudenter dignoſcitur.

Αὐτοδίδακτοι. *P.H.* Sunt quidā in ea opinione ſi quis in ſcholis triuialib. atq; adeo in patrio ſolo fundamenta aliquatenus artium iecerit, illum nō neceſſe habere, vt diſcendi gratia alio ſeſe conferat, atq; ad vnā vel alteram Academiam ablegetur, poſſe namq; illum intra priuatos parietes, extra ſtrepitū concurſātiū Academicorū, tantundē, imo plus præſtare, quam ſi pompoſis declamationibus, friuoliſq; ac rixoſis diſputationibus ex Academiarum pulpitis ebuccinatis aures ipſius quotidie opplerentur.

TH. Quæſtio hæc non hodie demum enata eſt, ſed antiquiſſimis retro temporibus ventilata fuit; quam etiam Quintilianus Orator eloquentiſſimus doctiſſimè decidit, cuius verba ſunt, quæ nunc recitabo. Hoc potiſſimum loco, inquit, tractanda quæſtio eſt: Vtilius ne ſit domi atque intra priuatos parietes ſtudentem continere, an frequentiæ ſcholarum, & velut publicis præceptoribus tradere. Ante omnia futurus Orator, cui in maxima celebritate, & in media repub. viuendum eſt, aſſueſcat iam à tenero non reformidare homines, neq; illa ſolitaria, & velut vmbratili vita, id eſt, domeſtica palleſcere. Excitanda mens, & attollenda ſemper eſt, quæ in huiuſmodi ſecretis aut langueſcit, & quendam velut in opaco ſitum ducit, aut contra tumeſcit inani perſuaſione. Mitto amicitias (in ſchola ſc. contractas) quæ vſq; ad ſenectutem firmiſſime durant, religioſa quadam neceſſitudine imbutæ. Adde quod domi ea ſola diſcere poteſt, quæ ipſi præcipientur, in ſchola etiā quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicui obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria,

excita-

excitabitur laude æmulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe maiores, accendunt hæc omnia animos, & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt. Huc uſque Quintilianus. Et certe huiuſmodi αὐτοδίδακτοι, cum plerumque ſingulares ſint, ſeu potius videri velint, opinionumque quas animo ſemel conceperunt, impendiò tenaces ſint, hinc fere factum eſt, vt ſæpenumero, multarum abſtruſarum opinionum, quas mater erroris infelici abortu peperit, ſemina iecerint, aut etiam omnino autores atque anteſignani fuerint.

E. Q. Volunt nimirum, & cum primis parentes pleonecti, hac ratione parcere ſumptibus, qui alioqui neceſſario in ſumptus Academicos impēduntur. Veruntamen ſtulti dum vitia in contraria currunt, vt modo dictum eſt.

TH. Summum profecto beneficium Deus humano generi cōtulit, quod ſcholas atq; Academias paſſim in orbe terrarū enaſci, atq; effloreſcere fecit in hūc potiſſimum finē, vt eſſent ſeminaria Eccleſiæ & rerumpublicarum. Vtq; eo certius, Academias Dei ordinatione cōſtitutas eſſe, conſtet, ſcholarum & Academiarum inſtitutarum exempla extant in veteri Teſtamento. I. Samuel Heli diſcipul⁹. Samuel apud Heli Sacerdotem verſabatur. *1. Sam. 8. v. 1.* II. Grex Prophetarum. *10 v. 5. & 6. v. 12.* III. Puer Eliſæi, *2 Reg. 9. v. 1.* IV. Duodecim Apoſtoli, *Luc. 6. verſ. 13.* V. Septuaginta diſcipuli, *Luc. 10. v. 1.* Præter duodecim Apoſtolos, etiam ſeptuaginta eligebat Chriſtus diſcipulos, qui in ſua ſchola enutriti, & donis miraculorum ornati & inſtructi, ablegabantur. *Luc. 10. v. 1.* vt paſſim in Iudæa Euangelium Chriſti prædicarent. VI. Diſcipuli Ioannis. *Ioan 1. verſ. 28.* Ioannes Baptiſta quoq; habuit ſcholam, in qua præ aliis quoſdam diſcipulos habuit, quos in vera doctrina inſtituit: Patet id ex *Ioan. 1. v. 28.* VII. Schola Ieroſolymitana, *Matth. 11. verſ. 15.* Scholam aliquam fuiſſe Ieroſolymis, in qua iuuentus in ſtudiis præſertim ſacrarum literarum informabatur, vel inde colligi promptum eſt, quod Phariſæi etiam ſuos habuerint diſcipulos, *Matth. vigeſimo ſecundo, verſ. 15. 16.* VIII. Paulus Gamalielis diſcipulus, *Actor. 22. verſ. 3.* vbi commemorat ipſemet Paulus ſe ad pedes Gamalielis legis doctoris diligenter in patria lege inſtitutum eſſe. IX. Synagoga Libertinorum. *Act. 6. v. 9.* vbi fit mentio eorum, qui fuerunt ex Synagoga Libertinorū & Cyrenēſium & Alexandrinorū & Cilicū, & Aſianorum, diſputātium cum Stepha-

Digitized by Google

no. Vnde apparet diuerſa ſcholarum genera fuiſſe Ieroſolymis. X. Schola Athenienſiũ, *Act. 17. v. 18.* XI. Schola Corinthiaca, *Act. 19. verſ. 8.* Et Tyrannus quidam Corinthi ſcholam habuiſſe dicitur, *Actor. 19. verſ. 8.* XII. Domeſticæ ſcholæ: Paulus, *Rom. 16. verſ. 5. & 1. Corinth. 16. verſ. 19.* meminit congregationis, quæ fit in domo Nymphæ. XIII. Timotheus Pauli diſcipulus, *2. Timoth. 3. v. 10. & 14.* ſcholas Eccleſiaſt. ſingulos Apoſtolos, vbicunq; locorum egerint, aperuiſſe non tantũ eo videntur, quod paſſim in Synagogis docuerunt, *Act. 13. v. 14. 5. 42.* ſed etiã quod ſuos ſemper habuerunt diſcipulos, quos in ſacris literis inſtituerunt, & ad miniſterium præpararunt. Paulus enim ſe Timotheum docuiſſe, teſtatur, *2. Timoth. 3 v. 1. 14. & 2. verſ.* XIV. Schola Alexandrina, Alexandriæ ab antiquo fuiſſe ſcholam teſtatur, *Euſeb. lib. 5. c. 9.*

EQ. Magnũ equidem eſſe humano generi collatum beneficium ſcholarum atque Academiarum fundationib. At enim cum à ſeſe filios procul in Academias ablegant, verendum ipſis eſt non tantũ pecuniarum, quas cũ ſummo rei familiaris ac domeſticæ decremento impendũt, diſpendium, verũ etiam, ne prauorũ hominũ cõſortio ſeducti, ganeis potius quam libris inuigilent. Atq; hinc etiã eſt, q, Hugo *lib. 3. didaſc.* Tria ſunt, inquit, quæ præcipue ſtudiis legentiũ obeſſe ſolẽt: Negligentia. Imprudentia. Fortuna. Negligentia eſt, quando ea quæ diſcẽda ſunt, vel prorſus prætermittim⁹, vel minus ſtudioſe diſcimus. Imprudẽtia eſt quando cõgruũ ordinem in his, quę diſcim⁹ non ſeruamus. Fortuna eſt, in euentu caſuũ ſiue naturaliter contingente: quando vel pauperta te, vel infirmitate, vel naturali tarditate, ſiue etiam doctorum raritate, à propoſito noſtro retrahimur. Hactenus Hugo. Et extat colloquium quoddam patris cũ filio quem in Academiã ſtudiorũ gratia ablegauerat, in quo & ratiocinum, quod filii vbi pecuniã turpiter abligurierũt, parentib. fumoſe exhibent, & parentũ etiã iuſta deſuper indignatio adumbratur. Hiſtoria autẽ illa ſiue narratio hæc eſt: Reuerſo domũ poſt vnum annum filio, qui ſtud oſorum bonorum atq; artiũ diſcendarum gratia abfuiſſet. Quid, inquit pater, mi fili de tanta pecunia factum eſt, quantam tibi miſi? Quanta? inquit adoleſcens, nõ enim memini. Ter, inquit, ſenex hoc anno à me tibi curata pecunia eſt, bis vno & altero mercatu, ſemel inter hos. Atque priore quidem mercatu dedi noſtro vicino aureos ſexaginta, quos tibi renumeraret, altero toti-

ro totidem, poſtea tabellarius huc nup miſſus, ſexaginta & ipſe attuliſſe tibi debet, tot enim tum petieras. Ita factum eſt, inquit adoleſcens, ſed hoc nihil eſt. Nihilne hoc eſt? inquit ſenex, an nihil videtur, ſumma aureum centum octoginta? Pro debitis quidem nihil eſt, inquit filius, quæ reliqui foris. Nam tua, mi pater, meis verbis obligata fides eſt in centum alios, & inſuper quadraginta. Hæc, inqt pater, iam ſumma fuerit, aureum vt opinor, trecentorum & viginti. Fuerit ſane, inquit filius, ſed tu cogita, mi pater, multis mihi apud externos rebus opus fuiſſe, quid enim, q̃ vno aſſe venire ſolet, gratis datũ? At cibo, potu, habitatione commoda, cubili, veſtibus, libris, charta, calamis, atramento, cætere certe tua quidem etiam voluntate non debui. At magna, inquit iam iratior pater, iſta ſumma eſt, quanti igitur illis cibus datus? quanti habitaſti? quanto cõducti lectuli fuere? & cętera quanta pecunia ſunt parata? Referam, inquit filius, rationes, ſi poſtulas. Ita enim fieri, inquit ſenex, oportet. Inchoëmus igitur à minimis, inquit. Ac pone pro atramento & calamis aureolos decem. Hoc audito: ſatis, inquit ſenex, ſuperq; eſt rationum: nam ad hæc, ſi, vt alia omittam, chartæ modo æſtimatio ponenda ſit, iam vltra illos trecentos xx. ego tibi amplius debiturus ſim.

PH. Abuſus alicuius rei non tollit verum eius vſum. Iam vero ablegationum iſtarum vſus plane eſt infinitus; & ſi nullus alius foret, is vel ſolus ſufficeret, quod apud peregrinos diſcũt audacius loqui, vt ſi quando habendus ſit ſermo in frequentia hominum, minus pertimeſcant; quæ audacia apud αὐτοδιδάκτους rariſſima, & interim tamen maximum in ea momentum ſitum eſt, iucunduſque peregrinationum Academicarum fructus, quo qui caret, tametſi alioqui profunde doctus, plurimũ tamen ſibi deeſſe agnoſcit ac profitetur. Hinc Iſocrates cum intelligeret, quantum ſibi animi obeſſet timiditas, ſæpenumero dicere ſolitus eſt, ſe ſuos q; dem diſcipulos docere decem minis: verũ qui ipſum docuiſſet extra omnem timiditatẽ in concione loqui mercedis loco daturum decem millia. Sola enim timiditas & vox exilis reddebant hominem inutilem ad dicendũ. *Eraſm. lib. 8. Apophth.* *Audacia dicendi quomodo comparanda.*

EQ. Prudenter itaq; Socrates Alcibiadem adoleſcentem, primum ob imperitiã trepidantem, vt fit, apud tãtam multitudinem verba facere, lepida εἰσαγωγῇ animauit: Annon putas, inquit, ô Alcibiades, contemnendum ſutorem? Annuit. Annon præconem?

 quum

quum & hic annuiſſet, annon contemneres, inquit, tabernacu-culorum opificem? Cum ſimilia quædã propoſuiſſet, & is fatere-tur hos eſſe contemnendos, tum Socrates: Atqui, inquit, ex his cõſtat Athenienſium populus quẽ tu vereris. Quorũ ſi ſingulos putas contemnendos, qui minus ẽt contemnas condenſatos? Sed ſit, nõ referre, apud q̃ multos dicas, ſed apud q̃ cordatos, fit enim hoc miro modo, vt quos ſingulos deſpicias, congregatos reuerearis. In cõuiuio Platonis Socrates admiratur Agathonis audaciam, q. coram tot hominum millib. præſenti animo recitaſſet ſuam tragœdiam: cui quum Agathon reſpondiſſet, ſe citius velle coram multis hominum millibus dicere, quam apud vnum Socratem. Atqui in illis millibus, inquit, & Socrates erat. Fit n. & illud miro modo, vt quem vnum reuereare, in turba mixtum cõtemnas. *Eraſ. lib. apophth.*

Sedulitas in diſcendo.

PH. Hæc non diſcuntur in vmbratili aut imaginario conſeſſu, qualem plurimi ſibi imprudẽter fingunt, & cum deinceps in frequentia populi ſermo habendus eſt, plane obmuteſcũt. Cæterum in frequentia ſtudioſorum dicta atq; audita tenacius hærent, vox namq; viua non ipſa tantum verba, ſed geſtus quoq; vocemq; modo intenſiorem, modo debiliorẽ pronunciantis, memoriæ auditoris infigit. Quod vt aſſequatur auditor, neceſſe eſt, vt adhibeat ſedulitatem ac diligentiam, neq; ſeſe omnes Muſarũ fontes iamdudum epotaſſe, omniaque iamdudum, q. aiũt, calceis cõtriuiſſe, temere ſibi perſuadeat. Hinc eſt, quod Hugo *lib. 3. didaſcal.* grauiter monet: Ab omnib. libenter diſce quod tu neſcis: quia humilitas cõmune tibi facere poteſt, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, ſi ab omnibus diſcere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores ſunt. Quod enim in iuuentute non diſcitur, in matura ætate neſcitur. Et ægre dediſcitur, quod didicit ætas tenerior. *Caſſ. lib. 1. Epiſt.* Debentque homines, vt eſt in prouerb. philoſoph. viaticum ſenectutis literarum eruditione parare diſcendo, ne defecerint inſipienti animo: literas tanquam baculum infirmo corpori repertas eſſe: eundem finem eſſe diſcendi qui & viuendi. *In prouerb. philoſoph.* Hinc Solon gloriari ſolebat, ſe aliquid quotidie addiſcentem ſenem fieri. Tanta enim homini ſapientiſſimo inerat diſcendi cupiditas, vt ſenio iam grauatus non minus philoſophiæ incumberet, quam cum adoleſcens ac iuuenis fuiſſet, ſciebat enim hæc ſtudia magnum ſenectutis ſolatium eſſe. Nam vt

Seneca

Seneca *epiſt.76.* ait: Quid eſt ſtultius, quam quia diu non didiceris, non diſcere? omnis ætatis homines ſchola admittit. Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias. Si prouerbio credis, quamdiu viuas, etiam ſeni credendum eſt. Hinc Demoſthenes interrogatus, quo pacto ſibi oratoriam facultatem comparaſſet: Plus olei, inquit, q̃ vini mihi conſumptum eſt. Et Zeno dicitur conſuluiſſe oraculum, quo pacto poſſet vitam optime inſtituere, reſpondit vates: εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, id eſt, ſi concolor fieret mortuis. Ille ſentiens, ſe vocati ad lectionem veterum, contulit ſe ad Philoſophiam. Dicitur autem Zeno natura fuiſſe colore fuſco. Studium ac victus parſimonia maciem & pallorem conciliat homini. Hinc Diogenes Athenas profectus ad Antiſthenem ſe cõtulit, à quo ſæpe repulſus (nullum enim diſcipulum recipiebat Antiſthenes) non deſtitit tamen hærere: adeo vt cum aliquando baculum intentaret Antiſthenes, vltro baculo caput ſubiecerit dicens: cæde, ſi vis, at nullum inuenies baculũ tam durum, quo me abs te abigas, dum aliq̃d dixeris.

EQ. Sedulitatem requiris in audiendis dicentium in publico declamationibus, diſputationibus, ſententiis, obſeruandiſque identidem eorundem geſtibus. Annon vero priuatis auctorum lectionibus quoque, vbi iam à publicis lectionibus datur vacantia, incumbendum?

PH. Omnino. Hoc namq; ferè ſine auctorum diuerſorum lucubrationes emittuntur in publicum. Veruntamẽ in iiſdem quoq; vel maxime ſingulari diſcretione opus eſt. Primum, vt non quiduis ex quouis autore ediſcere præſumat. *Philologia.* Vt enim apes non quiduis ex omnibus colligunt, ſed aliunde Matyn, aliunde Piſſoceron, aliunde Propolin, aliunde Rhithacen, aliunde ſobolem, aliunde mel: Ita non omnia petenda ex eodem autore, ſed ex vnoquoque ſumendum, quod habet vtiliſſimum. Ex poetis & oratoribus verborum ſplendor. E Dialecticis argutia diſſerendi. E Philoſophis cognitio naturæ. E theologis præcepta viuendi. Deinde hæc etiam diſcretio eſt adhibenda, ne omnium auctorũ de quacunq; etiam re ſcripta delibare in animũ inducat, fit namq; tumultuaria illa ac laborioſiſſima lectione plane obrutus animoque diſtractus, dum in omnib. aliquid ſcire ſe exiſtimat, in ſingulis plane nihil ſciat, adeoque deſiderio ſuo turpiter defraudetur; omnino namq; verum eſt, quod

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Hinc illud Sidonii *Epiſtola 1.* egre-

egregium ſimile: Vitam, inquit, in peregrinatione agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeāt, nullas amicitias: idem accidit his, qui nullius ingenio ſe familiariter explicant, ſed omnia curſim & properanter tranſeunt. Nō prodeſt cibus, q̃ ſtatim ſumptus emittitur. Nihil ita ſanitatem impedit ſicut remediorum crebra mutatio. Non conualeſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil ita vtile eſt, quod in tranſitu proſit, ſed modo (inquis) hunc librum euoluere volo, modo illū, faſtidientis ſtomachi eſt, multa degustare, quæ vbi varia ſunt & diuerſa, inquinant, non alunt. Quum igitur multa percurreris, vnum excerpe, quod illa die concoquas. Et Plinius *li. 18. c. 23.* Sicuti, inquit, vtilius eſt crebro ſtercorari agrum quam multum: ita plus habet fructus aſſidua lectio, quam auida. Ager namque nimium ſtercoratus, aduritur, non ſtercoratus alget: Ita moderata lectione vegetandum erit ingenium, nam lectione ſaginatur animus non aliter quā aruum ſtercore. *Plinius ibidem.* Huc etiam optime quadrat illud Polybii: Quemadmodum guloſus conuiua, vbi primum diſcubitum venit, appoſitos ſingulos quoſq; cibos deguſtans, neque in præſentia voluptatis aliquid capere, neque in futurum vtilitatis poteſt, quando nec ſaporem vllum perfecte ſentit, & omnia ſimul congeſta ſtomachum digeſtionemq; impediunt: Ita qui hoc ipſum in legendis authoribus faciunt, nec in præſens aliquam percipiunt voluptatem, nec vtilitatis quippiam retinent in poſterum. *lib. 3. Hiſtoriarum.* Recte itaq; Ariſtippus cuidam iactāti ſe, quod eſſet πολυμαθὴς, hoc eſt, multiplicis eruditionis, quaſi nihil non didiciſſet: Quemadmodum, inquit, non hi qui plurimum edunt, excernuntque, melius valent his q̃ ſumunt quantum opus eſt: ita nō qui plurima, ſed qui vtilia legerunt, ſtudioſi & eruditi ſunt habendi. Grauiter taxauit eos, qui tumultuaria immodicaq; lectione ſemet ingurgitant: nec ea quę legunt traiiciunt in animum: ſed tantum reponunt in memoria, quare nec doctiores euadūt nec meliores. *Laert. lib. 2. cap. 8.*

Eq. Eſt exceſſus, eſt defectus in omnibus vtrobiuis actionibus. Sunt namq; qui ad inſaniam vſq; literis immerſi ſunt, alii econtra nihil minus quam literas literatoſque penſi habent, apud quos etiam omnia quæ ad rem literariam ſpectant, vſque adeo ſunt exoſa, vt etiam literas omneſque adeo bonas artes, q̃ tamen omnis virtutis humanitatiſq; ſunt magiſtræ, omniumq; bonorum fontes, peſtem & virus reipublicæ appel-

Literarum oſores iuxta atq; amatores principes qui.

appellare haud verecundentur. E quotum numero inter quamplurimos olim fuit C. Valerius Licinius, q patre natus ruſtico & inter ruſticos educatus, ruſticis & omnino barbaris fuit moribus: inprimis autem æquus ruſticis & agrariis hominibus, inter quos cum aratro & ſarculis in Dacia conſenuerat. Literarum vero & bonarũ artium hoſtis acerrimus: cum per inſcitiam immodicam, peſtem, & calamitatẽ publicam literas, & literarum ſtudioſos, maxime vero Rhetores & Philoſophos, quos inprimis odio habuit, virus & venenum Reipublicæ appellaret.

PH. Mirum non eſt, ipſum odiſſe literas, quarum adeo fuiſſe expers dicitur, vt ne ſuum quidẽ nomen decretis ſubſcribere poſſet. Vſqueadeo verum eſt, quod vulgo aiunt, artem non habere inimicum niſi ignorantẽ, & quod Comicus ait:

Homine imperito nihil quicquam eſt iniuſtius,
Qui nil, niſi quod ipſe facit, rectum putat.

Relinquendi itaq; centauri iſti in ſuo ſterquilinio, ſtudiaque literaria amemus, prædicemus, colamus, quippe quæ & temporum & locorum & ætatum ſunt omnium, quæ adoleſcentem regunt, & ſenectutem oblectant: quæ ſecundas res ornant & aduerſis perfugium præbent, ac ſolatium, quæ delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: quæ denique, vt Æneas Syluius dixit, plebeiis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco ſunt: quas, ſi ipſi attingere, nec ſenſu guſtare ſuo poſſunt: tamen eas mirari debent, cum in aliis vident: Quippe quarum ſcientia egere, miſerrima egeſtas eſt, teſte D. Auguſtino. Quinimo vero vita ſine literis mors eſt, & hominis viuum ſepulchrum: vt præclare dixit Seneca *in Epiſtol. 13.* Sic Ariſtoteles interrogatus, qua te differrent homines docti ab indoctis, qua viui (inquit) à mortuis. Et Alphonſus rex Parthenopæus cum audiſſet regem quendam Hiſpanum dixiſſe, parum decere principes viros, ſcire literas: Hæc (inquit) vox bouis eſt, non hominis. Idem percunctantibus amicis, vtrum plus deberet libris, an armis? Ex libris (ait) & arma & armorũ iura didici. Idem, cum opera philoſophica Senecæ euolueret, rogatus à Dauolo aulicorum præcipuo, cur animus mortalium ita immenſus atque inſatiabilis foret? reſpondit rex; animum hominis à Deo profectum, non prius conquieſcere quam eo rediret, vnde profectus eſſet. Eſſe proculdubio animum noſtrum Dei & æterni-

tatis capacem, propterea neque impleri, neque ſatiari poſſe iis rebus, quæ fluxæ & incertæ eſſent; ſed Deum ipſum veluti naturalem ſedem, & ſuum quodammodo perfectum bonum appetere, hoc eſt, ſolidum & perfectum bonum. *Panor. l. de reb. Alphonſi.*

E. Q. De Achille produnt hiſtorici, quod adoleſcens nõ tantum literas & Muſicam didicerit, ſed ſenex etiam Atlantis doctrinam de ſyderum motibus perceperit. Ac ſane, quali doctrina inſtitutus fuerit Achilles, ſignificat Homerus, cum ait, eum laudes clarorum Principum, ludentem cithara decantaſſe: qua ex re appatet eum & hiſtorias, & reliquã eius ætatis doctrinam & Muſicam didiciſſe. Nec decuiſſet in eius clypeo pingi cœli & elementorum ſeriem, & ſydera, quæ diſterminant Septentrionem & Meridiem, ſi tantum fuiſſet rudis & ſine pectore miles, & Regũ omnium haud dubie ingenioſiſſimus Alexander Magnus, non modo primas literas, ſed vniuerſam Philoſophiam & medendi artem percepit. Cumprimis vero præter modũ delectatus eſt Homero, adeo vt illum ad verbum edidicerit, ac dormiens etiam ceruicali ſuppoſitum haberet. Eum alias ſummum virtutis præconem, interdum poëtam & σιλικὸν appellare conſueuit; cuius carmina cenſebat non ad citharam, vt aliorum, ſed ad tubam potius eſſe canenda. Addebat illud, ſe malle Homeri Therſiten eſſe, quam Cherili Achillem. Cherilus erat Alexandri poeta non ſatis felix, qui fertur ita pactus, vt pro quoque bono verſu acciperet Philippeũ aureum, pro malo colaphum. Idem cum in Sigæo ad Achillis tumulum aſtitiſſet; O fortunate, inquit, adoleſcens; qui tuæ virtutis præconem Homerum inueneris! *Cic. in oratione pro Archia. Plutarch. in Alexand.* Et vt bellatori nihil ſit opus his togatis artibus, certe ei viro, qui in pace gubernabit Rempubl. aut ad conſilia adhibendus erit, opus eſſe omni genere doctrinæ res ipſa loquitur. Nec enim Auguſtus domi leges emendare, iudicia conſtituere & regere poterat, niſi & ipſe multiplici eruditione inſtructus fuiſſet, & ad conſilia doctiſſimos viros adhibuiſſet, Trebatiũ, Capitonem, Aſinium, & alios plurimos.

Si cæteros Romanos ad Græcos Principes eruditos enumerare vellem, quam longus eſſet futurus catalogus?

TH. Et tamen hactenus locuti eſtis tantum de iis principibus, quibus Chriſtiana religio ignota fuit. Quanto autem maius ſuſtinent onus hi (qui nimirum ſedent

dent ad reipub. gubernacula; qui non ſolum ciuilem diſciplinam tueri debent, ſed etiam gubernare religionem. An enim exiſtimādum putaris, Conſtantinum, niſi ad pietatem adiunxiſſet magnam eruditionem, potuiſſe cōtrouerſiam ab Ario motam vel intelligere vel iudicare? Ille vero nequaquam erat in cœtu Epiſcoporum κωφὸν πρόσωπον; ſed cum in diſputatione Arium dextre refutauit ſua oratione, collectis Apoſtolorum & probatorum autorum teſtimoniis, tum pleraſque alias Epiſcoporum contentiones eruditis ſermonibus mira comitate diremit. Inſuper etiam obuia ſunt in hiſtoriis exempla plurima principum noſtri temporis, qui etiam inter tubas & armorum ſtrepitum aliquid temporis etiam literis & liberali doctrinæ tribuerunt, vt eſſent inſtructiores, cum ad pleraſque alias vitæ partes, tum vero maxime ad pietatis cognitionem & religionis gubernationem. Verum de his forſitan in ſequenti colloquio amplior erit dicendi locus.

PH. Ordo noſtri ſermonis hactenus requiſiuit, vt triuialia primum diceremus, ſtudia nimirum bonarum artium, & quantum momenti ad vitam honeſtam adferrent, quadantenus adumbraremus; omnino namque verum eſt, quod *didiciſſe fideliter artes Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Cumque incentiua virtutum ſint, vitiorum vero econuerſo remoræ atque expultrices, non abs re illorum conſiderationem aliqualem præmiſimus.

EQ. De virtute itaque nunc cum ſimus tractaturi, ne quid obſiſtat, prius quæ virtuti ſunt contraria, auerruncabimus, tunc enim illius ſplendor eo clarius elueſcet. *De voluptatibus.*

PH. Herculi dum in prima adhuc eſſet adoleſcentia, in binio duas oblatas eſſe vias, à ſe inuicem magis ac magis diſterminatas, quarum altera ad virtutem, altera ad voluptatem perduceret, eamque quæ ad virtutem, iniiſſe Herculem, docta finxit antiquitas. Atque ſub hoc verborum inuolucro virtutem ſectandā, voluptates econtra, vti omnium malorum ac vitiorum illecebras, fugiendas eſſe, ſcite innuerunt atque inculcarunt.

TH. Portentoſa hominum in veſtibus, ſupellectile, & epulis noſtri temporis luxuries eo ſane rem perduxit, vt quamplures, dū nihil aliud ſtudent, q̃ vt paſcant ventrem, nō tam homines, quam Epicuri de grege porci & gulæ

mancipia videantur. Atque hæc eſt infelix illa Chimera, quæ voluptas dicitur, qua cum virtuti bellum eſt continuum, idque ἄσπονδον atque irreconciliabile. Atqui illis quidem, qui ſub delicatulæ iſtius Thaidis vexillo militant, hoc fere peculiare eſt, vt facultates ſuas prodigaliter profundant; quos idcirco Laertius *lib. 6.* ſimiles eſſe dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus, quarum fructus nullus hominũ guſtaret, ſed à coruis & vulturibus ederentur.

E.Q. Laertius certe hac ipſa ſimilitudine, homines voluptuarios, ventrique ac gulæ deditos, nequaquã homines, ſed ſpurcas beſtias eſſe, haud obſcure vult innuere. Proinde ſummopere admirandũ eſt, ne quid grauius dicam, fuiſſe nonnullos, eoſq; equidem ex numero philoſophorũ, qui ſummum bonum in voluptate poſuerunt.

TH. Fuit ex hoc numero inprimis Ariſtippus, deinde Epicurus, quorum ſectas, vt procliuior eſt quiſq; in vitia, ita eſt popularis turba ſemper imitata, imitaturq; adhuc. Atq; hinc recens ille viri illius ſanctiſſimi, in Epicurum Sarcaſmus:

Vitam quæ faciunt ſuis beatam
Porcis, hæc Epicurus ille tradit.
Ne ſpectes hominum Deive mentem,
Non eſt qui regat atq; curet orbem.
Spem vitæ bene rideas futuræ,
Quamuis mens ratioque ſana mon
ſtrent.
Te ſoli tibi finge procreatum,
Certus cuncta tuo eſſe nata ventri.
Silenus placeat, nihilq; malis,
Viuas vt tua ſus, tuusq; porcus,
Et tandem moriare porcus & ſus.
Sic ſicitur ad inſulas beatas,
Aeterno quibus igne carcer ardet,
Et tales coquit vſtulatq; porcos.
Tunc malles Epicure non fuiſſe,
Sed ſero veniens ea querela:
Et diſces aliud fuiſſe quiddam,
Quam quod riſeris hic inane Nu-
men.

PH. Qui put nt cum corporibus animos ſimul interire, & ſuorum ſcelerum impunitatem affectant, ii fortaſſe ſenſerint, optimum bonum voluptate conſtare, ex quorum genere video Epicurum ne dixeris.

TH. Miror quod Epicurum excipias, de quo etiam ſcurræ loquuntur ad calcem, & eum quiſque conuitiis inceſſit, cuiuſque obſcœnitas vitę peruenit ad probra vulgaris infamiæ, & ventris ingluuies iam tanto ludibrio eſt, vt ſit cuique turpiſſimum vocitari Epicureum. Quod vero, vt dicis, voluptatis aſſertores immortalitatem animi negent, nihil dubius ſum. Verum quoque qui nunc voluptuoſam vitam ſibi præſcribunt, eos ipſos ſentire non multo ſecus, quam prio-

Epicurus an voluptatem dixerit ſummum bonũ.

priores illos arbitror. Sed age, ratione adducito, cur Epicurum excipias.

PH. Quamuis copioſam ſiue de Epicuro, ſiue de immortalitate animorum orationem res poſtulet, tamen ne nimium à propoſito digrediar, ſimulq; vobis ſatisfaciam, breuiter vtrumque perſtringam. Sic itaq; dico. Non audio eum, qui Epicuro impuritatem vitæ, ventriſque ſaturitatem obiiciat, cum ſiquidem fuerit ille Philoſophus ſingularis continentiæ, & tenuiſſimi victus, pane cibario duntaxat & aqua ſit vſus, & ad ſolemnem interdum menſam ſolum accederent horti, aut ſi epulari precioſius voluiſſet, paululum caſei. Illum apud Diogenem Laertium de ſe loquentem audi: Cum dicamus, inquit, voluptatem finem eſſe, non luxurioſorum voluptates, eaſq; quæ in guſtu ſunt poſitæ dicimus, vt quidam ignorantes, aut à noſtra ſententia diſſidentes, aut male accipientes, arbitrantur; ſed non dolere corpore, animoque tranquillum eſſe, & perturbatione vacare dicimus. Non enim conuiuia & comeſſationes, non puerum mulierumque congreſſus, non piſcium eſus, & cæterorum quæ affert precioſior menſa, ſuauem gignit vitam; verum ratio ſobria, cauſaſque perſcrutans, cur quæque vel eligenda vel fugienda ſint, opinioneſque expellens, per quas animos vt plurimum tumultus occupat. Horum omnium initium maximumque bonum prudentia eſt. Quocirca Philoſophiam quoque prudentia extimatione antecellit, ex qua reliquæ virtutes omnes oriuntur, docentes vt non ſit iucunde viuere, niſi prudenter, honeſte, iuſteque viuatur. Quippe virtutes ſuaui ac iucundæ vitæ coniunctæ ſunt; Iucundaque vita ſeparati à virtutibus nequit. Hæc Epicurus. En cur Epicurum excipio? Cuius verba non voluptuoſi & eneruati hominis ſunt, ſed animoſa & profecto Chriſtiano Hercule digna. At vero quoniam de ſe ipſo teſtatur, ſi res non ſatis fidem capit, Annæum Senecam audiamus, Virum ſane ſplendidiſſimo ingenio, & vt Stoicum rigidiſſimo animo, qui illius continentiſſimam vitam atq; frugalitatem ad Lucilium ſcribens, eſt his laudib. proſecutus: Egregia, inquit, Epicuri dicta commemoro, vt iſti, qui ad illa confugiunt ſpe mala inducti, qui velamenta ſe ſuorum vitiorum habituros eſſe exiſtimant, probent quocunque ierint, honeſte eſſe viuendum. Cũ adierint iſta, audient hortulos & inſcriptum hortulis, hoſpes hic bene manebis. Hic ſummum bonum voluptas eſt. Paratus erit

iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquã quoq; large adminiſtrabit, & dicet hic: Quid? bene acceptꝰ es? Non irritãt, inquit, hi hortuli famem, ſed extinguunt. Non maiorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. Alia pleriſque ſuis in Epiſtolis de hoc Philoſopho pene innumera magnifice & ſanctiſſime dicta commemorat ſumma laude & veneratione digniſſima, quib. non ſicut humanis ſermonib. ſed prope diuinis oraculis vtitur, ſuaq; ſcripta paſſim veluti margaritis quibuſdam floſculiſque ſuauiſſimis ac redolentib. ornat. Quæ omnia ſi proſequi velim, me potius deſtituet dies, quam illorũ copia, & quod nitimur euitare, modum non habebit oratio. Venio potiꝰ ad Hieronymum noſtrum ſanctiſſimũ, cuius auctoritas apud nos ſemper plurimum valuit. In ſecundo enim aduerſus Iouinianum libro Epicurus, inquit, oẽs ſuos libros repleuit oleribus, pomis, ac vilib. cibis dicens eſſe vtendum, quia carnes & exquiſitæ epulæ ingẽti cura ac miſeria præparantur, maioremq; pœnam habent in inquirendo, quam voluptatem in abutendo. Tantis certe auctoribus fidem oportet habeamus.

TH. Grauia ſunt tantorum hominum teſtimonia, & clariſſimæ ac firmiſſimæ voces, quibus auertat Deus, vt auſim contradicere. Sed non parua tamẽ adhuc me admiratio tenet atq; animum pulſat, quid cauſæ ſit, vt non modo imperitũ vulgus, à quo facile eſt diſſentire, verum etiam nonnulli eorum, qui docti habentur, illũ contumeliis afficiunt & morſibus lacerant. Nam Cicero indagator omniũ rerum ſolertiſſimꝰ, cum multis in locis, tum maxime in Tuſculanarum quæſtionum libris infeſto aduerſus eum animo accerrime pugnat. Illum irridet in Phalaridis tauro eam vocẽ emiſſurum. Suaue eſt, nihil curo. Et in ſuis ſe torminib. atq; ſtranguria gloriantẽ, quaſi cõſtantius iſta diceret, q̃ ſequeretur. Horatius quoq; poeta non obſcurus in eius probrũ his verſiculis vtitur:

Me pinguem & nitidum & bene curata cute viſes,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

PH. Veriſimilima & ad rem tua eſt admiratio, & efficit, vt plurib. quã putaram de Epicuro loquamur. Sed dic, habes ne plura cõperta in eum, vt omnibus vna opera poſſit reſponderi?

TH. Habeo nihil, præter vulgarem infamiam. Sed leuitatis ac peſſimi erroris auctor ſemper eſt turba.

PH. Adaugebo itaque ego i-

pſuſmet ſuſpicionem, ne quid poſt hac tibi animum pulſet, ſimulque vniuerſa refellam. Diotimu ac Poſſidonius Stoici in illum inuecti plurimū ſunt. Alter quidem quinquaginta Epiſtolas impudicas & turpes ab eo ſcriptas referens; Alter vero ipſū Leontæ meretrici congredi ſolitū. Epitetus quoq; eundē vt laſciuū loquacemq; increpat, magnisq; conuitiis inſequitur. Timocrates item bis illum diebus ſingulis vomere ſolitū ex nimia crapula aſſerit. Multa quoque peccare in oratione, ac in vita multo plura, minamque quotidie in cibos conſumere. Hæc ſunt quæ Epicuro obiici ſolēt, quæ hoc ordine refellam. Primum viris omnib. quos modo commemoraui, tum vt Ciceroni tuo atque Flacco reſpōdeatur. Atq; vt ab his incipiā, Diotimum Stoicum, Poſſidonium, Epitetū, Timocratem, hos omnes inſanire & obloqui, teſtis eſt Laertius. qui Epicuri vitam & diligenter & ornate conſcripſit, quam ante hæc tempora latinam fecit Ambroſius Florentinus, vir monaſticæ profeſſionis, atq; eloquens. Cauſas verò contumeliarum nullas reperi, præter inuidiam, quæ inuidum quemque ſuis ſemper ſtimulis concitar, vt in altero doleat, vel virtutem eius, vel fœlicitatem, & in propriam pœnam bona aliena conuertat. Nam viri huius egregias laudes, & præſertim frugalitatem vitæ, permulti teſtantur. Summa præterea illum in parentes pietate, in fratres præcipua beneuolentia, manſuetudine in ſeruos, humanitate incredibili in omnes fuiſſe, Laertius iterum teſtis eſt. Quid dicam de cultu ad Deos? De amicitia ad patriam? in qua tanta modeſtia & probitate ſe geſſit, vt ſtatuis æreis illum donare decreuerit, atque donarit, quod vlli Philoſophorum raro legimus accidiſſe. Schola eius cæteris ferme omnibus deficientibus quotidie numeroſior erat. Multi ad eum vndique confluebant. Plurimis quidem maximiſque Philoſophis charus extitit. Edidit vero tot librorum volumina, vt in multitudine facile ei comparari non poſſit alius. Talia atque ſimilia, quæ multo plura in ipſo fuere, quam dixerim, illi inuidorum maledicentiam, calumnias, ſimultates, odia pepererunt. Ciceroni vero tamen liuorem, aut maledicentiam haud quaquam aſcribo. Neque enim fas eſſe duco, tanti viri ſummique Oratoris maieſtatem illibatam non relinquere, vbi maxime non videtur aperte de vitio. Eū potius exiſtimemus, vt qui erat Academicus totus, ita facile ab aliis diſſenſiſſe.

ſiſſe. Reſtat vt Flaccum recte intelligamus, tum omnis ſoluetur tibi dubitatio. Is namq; non quaſi ſuem Epicurum obiurgat, ſed in morſum voluptuoſorum hominum ruit, eos notans, qui legem Epicuri nequiter interpretati, voluptuoſam vitam, ſuiſq; ſimillimam ſibi imitandam anteponunt. Quare, vt iam tandem tam multis vltro citroque habitis atque diſcuſſis, reliqua breui narratione perſtringam; Epicurus noſter ſummum bonum non in corporis voluptate definit. Quod vel ſolus ex Philoſophis omnibus fecit Ariſtippus, viliſſimum profecto carnis mancipium, quem cum hominem natura genuiſſet, pecudem electione ſe maluit. Sed in voluptate animi cenſet, quem non putauit poſſe, aut eſſe felicem, aut dici, niſi per ſummam virtutem. Eamq; ob rem virtuti ſeruiens, panem, & aquam, polentam, atque olera omnibus vbique prædicabat publice, atque priuatim, caſtè, ſobriè, iuſtè, ſanctèque dicens eſſe viuendum. Verum illud fateor quoque, illum fortaſſe non vidiſſe quid mali poſteris ſua importaret aſſertio, & quantum licentiæ peccandi concederet, dum moribus omnium congruentiſſimam ſectam apponeret, cum animum ipſum videamus tam ſcelere quam probitate indifferenter delectari, eoſque raros eſſe, quos virtus alliciat, ſed ferme infinitos, quos error inuoluat. Aut certe mala iſta ſi vidit, improbe diſſimulaſſe, vt populari voluptatis appellatione ſua diſciplina eſſet multo celebrior, & ea ratione ad ſe multitudinem traheret, vt certe contraxit.

Ariſtippus.

In quo peccare potuit Epicurus.

E Q. Cauſam Epicuri, boni illius viri (ſi quidem is fuit) probe egiſti, ac fidem prius habebimus dictis tuis, quàm vt ad inueſtigandam alterutrius rei veritatem, manes ipſius euocemus. Sed neque de Epicuro nobis, verum de voluptate potiſſimum ſermo eſt; Hæc ἔργον, hic πάρεργον, adeoque eius incidenter mentio facta eſt. Cæterum ipſam quod attinet Voluptatem, qui dulce malum illam, lætamque inſaniam dixit, recte dixit, vnoque atque altero verbo omnia quæ de voluptate dici poſſunt, compendioſe admodum eleganterque complexus eſt. Blanda ſiquidem res eſt voluptas, quæ pulcherrima ſpecie vtilitatis & iucunditatis hominibus blanditur, ſed ea tamen pernicioſa & turpis; quæ in maximam tandem moleſtiam & calamitatem cum infamia & dedecore coniunctam conicit eos, quos ſemel amplexa eſt. Ex quo recte Plato, teſte Tullio, eſcam malorum voluptatem appellar,

Inſania læta voluptas.

pellar,

pellat, cũ ait: δέλεαρ τῶν κακῶν ἡ ἡδονή. Quod dictum refert quoque Plautus in Mercatore: *Voluptas eſt malorum eſca: quod ea non minus homines, quam hamo capiantur piſces*: Et Marcus Cicero ſecundo de legibus. Imitatrix eſt boni voluptás: malorum mater omnium, cuius blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona ſunt. Vnde ab eodem alias illecebra turpitudinis nominatur, quæ tamen habeat quiddam naturalis boni. Sic nimirum, vt Poeta ait:

— virgo formoſa supernè,
Deſinit in turpem piſcem maleſuada voluptas,
Vtilitasq; boni ſpecie fucata.

Nam eſt falſæ vtilitatis & voluptatis omnino quidem virginea facies, huiuſmodi eſt Scyllæ ac Sirenum, ſed quæ blandiſſimæ ſunt dominæ: nigra profectò, & venenoſa cauda: quæ, vt Scorpius, incautos vulnerat. Vnde & Pythagoras vetat guſtare ea, quæ nigram habent caudam, quo nomine rectiſſimè intelligitur voluptas, cuius appetitio quidem plena eſt iucunditatis, ſacietas vero pœnitentiæ. Quippe quam dolor excipit atque infelicitas, vt boni principii malus ſit exitus: irrita pœnitentia comitante. Quo fit, vt, cum ea præteriit, perinde ſit, ac ſi nulla omnino fuerit voluptas. Nam &, ſecundum Pindarum, voluptatem ſine iuſtitia finis comitatur acerbiſſimus.

TH. Vere itaque Auguſtinus Voluptatem dixit amaram dulcedinem, quæ parum mellis multo felle diluit. Fluit enim, vt Cicero docet, & prima quæque euolat, ſæpiuſque relinquit cauſas pœnitendi, quam recordandi. Sic nimirum fit, vt ſecundum Naſonem

Gaudia principium noſtri ſint ſæpe doloris.

Quippe, vt Silius Italicus canit,

— nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtis,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

Nam & animi obſcurat induſtriam, & mentis perſtringit aciem, & rationis offuſcat iudicium, & conſilii impedit celeritatem, adeoque maiores animi partes à virtute detorquet ad vitium atque turpitudinem. Quo fit, vt animus voluptati libidinique deditus & amore, deſiderio, cupiditate, copia, & inopia etiam nonnunquam impeditus, nullis rebus honeſtis aut ſtudiis liberalibus recte operam dare poſſit: neque altum quicquam aut magnificum & diuinum ſuſcipere, qui omnes ſuas cogitationes abiecit in rem

tam humilem & contemptam. Neque enim in regno voluptatis poteſt virtus conſiſtere: cum qua nullum omnino habet commercium. Quemadmodum & Xenophon ait, homini voluptario nullam omnino virtutem conuenire. Et Marcus Cicero ad Atticum: Maximas virtutes iacere oportet, voluptate dominante. Et in Catone Maiore: Impedit conſilium voluptas, & rationi inimica eſt, & mentis, vt ita dicam, perſtringit oculos: nec vllum habet cum virtute commercium. Taceo, quod & dolores parit voluptas, & corrumpit valetudinem: & affligit animum conſcientia male factorum, & mortem affert immaturam: &, quod omnium grauiſſimum eſt, æternum accerſit ſupplicium: quo nihil eſſe poteſt miſerius. Sed & blandum homini & quaſi mellitum venenum eſt voluptas, quod non ſolum dementat hominem: vel prudentem reddit ſtultum, ſed ex homine planè efficit beſtiam.

Nemo enim eſt dignus nomine hominis, qui vel vnum diem totum velit eſſe in voluptatibus, auctore Tullio. Vnde immanis illa & belluina voluptatis conſectatio recte ab Ariſtotele feritas appellatur: quod qui eam habuerint, omni exuta humanitate, & ratione perturbata, belluarum ſimiles continuo fiant. Quod etiam Socrates ille Xenophonteus teſtatur: Nihil intereſt inter hominem incontinentem & belluam. Quid enim à brutis animantibus differt is, qui ea, quæ optima ſunt, non cogitat, ſed omnibus modis ea tantum perſequitur, quæ ad voluptates pertinent; Sic voluptas vere eſt Circe illa Homerica, quæ blando ſuo veneno dementat homines, & quadam veluti immanitate efferatos reddit: non ſine aliquo ſenſu iucunditatis, aut ſuauitatis, vt nimirum vere ſit, inſania læta, voluptas. Sic & Diuus Hieronymus: Quicquid (inquit) ſeminarium voluptatis facit, hoc venenum puta.

E. Q. Itaque contra hanc dominam blandiſſimam recte monet Socrates apud Xenophontem tanquam contra hoſtem acerbiſſimum, non minus quam pro libertate & pro vita ac ſalute pugnare nos debere, ac virtuti operam inprimis dare, cuius dominæ iugum & pulcherrimum & optimum & iucundiſſimum eſt animo liberali, & ſuæ ſalutis ſtudioſo. Nam etſi virtutis primus aſpectus eſt quodammodo horridior: tamen finis iucundiſſimus & vtiliſſi-

tiliſſimus conſequitur. Et Liuius libro decimo, Decade tertia. Non eſt (inquit) tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum à circumfuſis vndique voluptatibus; qui eas ſua temperantia frenauit ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam ſibi pepererit, quam nos victo hoſte habemus. Turpe eſt (ait Dion. libro quadrageſimo primo) modo ea voluptate duci, cuius poſt pœniteat: indignumque eſt, eos qui hoſtibus ſuis ſuperiores euaſerint, voluptatibus ſuccumbere. Et Tacitus: degenerat à robore ac virtute miles aſſuetudine voluptatis, ſi quid ardoris ac ferociæ habuit, potionibus & comeſſationibus deteritur.

PH. Non omnes tamen indiſcrete voluptates prohibentur, ſed eæ tantum, quæ cum honeſtate nō ſunt coniunctę. In quā ſententiam recte Iſocrates *in Nicocle*: Eas, inquit, ſequere voluptates, quæ gloriam pariant. Nam voluptas coniuncta cum honeſtate, res eſt optima, ſine hac vero peſſima. Sed & bene ille monuit, qui voluptates potius à tergo, quam à fronte: & abeuntes magis, quam adeuntes, contemplandas eſſe monuit. Quemadmodum & Demoſthenes voluptates eas quærere iubet, quæ labores ſequuntur, non autem eas, quæ præcedunt. Sic & Socrates: Decet voluptates, tanquam Sirenes, ſurdis auribus præterire eum, qui ad virtutem, tanquam ad patriam, feſtinat.

Et Ouidius:

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

In quam ſentētiam etiā Cato dixit: Cogitate cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem recte feceritis, labor ille à vobis cito recedet: benefactum à vobis, dum viuetis, non diſcedet. Sed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis: voluptas cito abibit: nequiter factum illud apud vos ſemper manebit. Similis eſt Lactantii ſententia hæc, in libro *de opificio Dei*: Te moneo, vt oblectamenta iſta terræ, pro magnis ac veris bonis habere, ne credas: quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia: verum etiam inſidioſa, quia dulcia: Et Senecæ illa in Epiſtola vigeſima ſeptima. Quemadmodum ſcelerum, etiamſi non ſint deprehenſa, ſolicitudo non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum etiā poſt ipſas pœnitentia eſt. Et Epiſtola trigeſima nona Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ? Quidam ſe voluptatibus immergunt,

gunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt, ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo peruenerunt, vt illis, quæ ſuperuacua fuerunt, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum vltimum eſt, amant. Tunc autem conſummata eſt infælicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed placent, & deſinit eſſe remedii locus, vbi, quæ fuerant vitia, mores ſunt.

T H. Scripturæ certe ſacræ hæc vox eſt: Viuens in deliciis mortuus eſt. Ventri enim ſolummodo viuit, cæteris ſenſibus mortuus. Neque aſpicit, quæ aſpicienda, neque audit, quæ neceſſario audire conuenit, neque loquitur, quæ decet loqui. Quemadmodum mortuus quiſpiam in lecto iacens, comploſis palpebris, clauſiſque luminibus, nullum omnino ſenſum habet: Ita & hic imò longe hic deterius, quam ille affectus eſt. Ille enim bona æque atque mala eadem ratione non ſentit, hic autem malorum tantum amittit ſenſum, nihilq; boni penitus ſentit.

Nihil illum ex his, quæ in futura vita ſeruantur, mouet, ſed per omnia perſtat immobilis, atque ita mortuus eſt, quemadmodum in cuniculum quendam obſcurum & tenebroſum antrum præcipitans, atque immunditia omni plenus, intimis & opacis vitiorum ſinubus conditus, ſemper in tenebris, inſtar mortuorum, degit. Iam vero quis poſſit tempeſtatem illam ingentem eloqui, quæ ex huiuſmodi pernicioſo deliciarum vſu in animam & corpus irrumpit? Quemadmodum enim vaſta ac perpetua nubium denſitas radios ſolis nunquam ſinit vim ſui fulgoris oſtendere: Ita vini ac deliciarum euaporationes cerebrum, non ſecus quam ſcopulum nocte, illumque craſſa nube tegentes, non permittunt libere vſquam ſe intendere, verum in tenebris perpetuis detinent eum, qui ſic miſerabiliter iacet affectus; Neque explicari poteſt omnino, quanta intus tempeſtate iactetur. Quemadmodum enim ſæpe, quum inundatio vehementior facta fuerit, aquarum vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos, qui intus, cernimus, & diſcos, & amphoras, & ſpongias, & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata deferre, vt ne violatis fundamentis, atque commotis, omnis poſthac ſupellex inutilis fiat: Ita & anima, quoties nimis delitiis oppreſſa fuerit, perturba-

turbatur omnis ratio: Cæterum quodiam coactum eſt, cum exhaurire difficilimum, quod rurſum aliud è veſtigio ingrediatur, incredibile eſt, quanta perturbatio, quantuſq; fluctus immineat.

EQ. Similitudo Chryſoſtomi, *Homil.9.* in Geneſin hæc eſt: Sicut nauis aquis impleta, vt exhauriri nequeat, ſtatim ſubmergitur: Ita & homo, cum crapulæ & ebrietati ſeipſum exponit, in præceps vadit, & rationem ſuam ſubmergit. Et: Quemadmodum acuti vepres vndecunq; capiuntur, atque cōſtringuntur, manus cruentant: Eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus ſimiliter mēbris officiūt Steriles autem ſunt, nullum, ſicut vepres, fructum producentes: ac multo magis, quam cætera pene omnia, hominem cōficiunt. Deliciis enim ſenectus citius ſubrepit, ſenſus obtunditur, cogitatio retardatur, corpus diſſoluitur, maioris ſtercoris copia reconditur atq; reponitur. Ita ex ingenti afflictionum aceruo, nauigio nimium oneribus oppreſſo, crebra contingunt naufragia.

PH. Surdis narratur fabula, iis præſertim, qui, vt ſcriptura loquitur, venerunt in profundum, voluptatumq; cœno vſq; adeo ſunt immerſi, vt etiam habitum, quod dicunt, ſibi pepererint; quales olim fere fuerunt *Sybaritæ*, populi Calabriæ, qui deliciis & voluptatib adeo indulſerunt: vt luxurioſa omnia dicerētur Sybaritica. Hinc Sybariticus luxus: Sybaritici libelli, id eſt impudici. Conuiuia celebraturi, anno prius per fœminas ſumptuoſiſſime veſtitas inuitabant Erant & faſtu præturgidi; hinc adagium; Sybaritæ per plateas. Artes, quæ ſono conſtabant è ciuitate eiiciebāt, ne qua ratione interpellaretur quies. *Athen.l.12.cap.6.*

Voluptuoſorum exempla.

EQ. Nihil in ſpurcarum huiuſmodi volutationū fœdarumq; libidinum ſumptuoſarumq; profuſionum genere, Sybaritis ceſſit M. Antonius Heliogabalus, Cæſar, cuius quam ſpurca & nefanda libido, & quam tetra ac portentoſa in omni vita fuerit luxuria, vulgo eſt notum. Ex quo & Sardanapali cognomētum accepit, quem vita & moribus expreſſit: *cui vere fuit*, vt Satyricus canit, *in ſolo viuendi cauſa palato.* Cui cum familiaris quidā, immanem hanc deteſtatus luxuriam, forte obiiceret: an non metuat, ne ſibi aliquādo egendum foret: *Quid* (inquit) *melius, quam vt ipſe mihi ſuus hæres ſim, & vxori mea?* Sentiens nimirum hominem ſibi viuere & genio indulgere, & voluptati ſuæ obſequi debere: neq; in craſtinū cogitare: ſed, vt Poëta canit, *viue re hodie, cum ſera ſit nimis vita craſtina.* Quod qui faciat, *haud multum*

Digitized by Google

eum iuuare hæredem: qui ſibi ſit ſuus hęres optimus maximus. Cũ quo congruit Sardanapali illius Aſſyrii Symbolum, quod incidi ſibi in buſto iuſſit:

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Delitiis animum, poſt mortem nulla voluptas.
Namq; ego ſum puluis, qui nuper tanta tenebam,
Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hauſit, at illa manent magna & præclara relicta,
Hoc ſapiens vitæ mortalibus eſt documentum.

De quo ita Ariſtoteles: quid aliud (inquit) in bouis, non in regis ſepulchro ſcriberes?

PH. Huc etiam recte quadrat Sotionis illa ſentẽtia apud Athenæum *lib. 8.*

——Nil ventre dulcius:
Nam ſolus eſt pater, ſolusq; mater eſt
Venter; magiſtratus, virtus, legatio:
Quæ comedis ac bibis, ſola hæc habes tua.

Nec diſcrepat ab eo L. Pomponii illud: Ego rumorem parui facio, dum ſit, rumẽ quo impleam. Et Menandri hoc in Adelphis apud Stobæũ: Quod me nutrit, Deũ hoc ego nũc iudico. Quemadmodũ & Polyphemus ille apud Euripidem in Cyclope ventrem omnium Deorum maximũ nuncupat, cui ſoli ſe ait ſacrificare:

Ego nulli ſacrifico, niſi mihi; Diis vero
Nequaquam: & ventri huic Deorum maximo.
Nam bibere, & edere per integrũ diem,
Hominibus ſapientibus eſt Deus; nullaque
Seipſum afficere moleſtia.

TH. Aliud profecto eſt iudicium ſapientium & cordatorum hominum, qui nihil magis ſeruile eſſe cenſent, quã luxuriam, teſte Plutarcho: quiq; edendum eſſe monent, vt viuas: non viuendum, vt edas: vt eſt apud Socratẽ Xenophonteum. Nam, vt Plutarchus ait, mali ideo viuunt, vt edant ac bibãt: boni vero edunt ac bibunt, vt viuant.

Si neſcit imperare ventri quis modum;
Plura is malis mala cumulat compluribus:

Vt eſt in illo Charetis apud Stobæum. Paruo enim fames conſtat, magno faſtidium, vt Seneca ſcribit: adeoq; paucis natura contenta eſt. Nam parabile, & appoſitum eſt, quod natura deſiderat, ad ſuperuacanea ſudatur: ad manum eſt, quod ſatis eſt, eodem Seneca auctore. Edones vero & bibones ventre & gula ſibi ipſi hoſtes, auctore Cornelio Tacito. Pulchre etiam de hoc Valerius Maximus *lib. 9. c. 1.* Luxuria (inquit) & libidine nihil fœdius, nihil damno-

damnoſius: bis virtus atteritur: victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur: animiq; pariter & corporis vires expugnãtur, adeo vt neſcias, ab hoſtibus ne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit. In eandem etiam fere ſententiam ſcribit Cicero in oratione *pro M. Cælio* Fieri non poteſt, vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, copia, inopia etiam non nunquam impeditus, literis operam dare poſſit. Nec eſt alia cauſa, cur in tantis præmiis eloquentiæ, tanta voluptate dicendi: tanta laude, tanta gloria, tanto honore tam ſint pauci, ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſarentur. Omittendæ enim ſunt omnes voluptates: relinquẽda ſtudia delectationis, ludus, iocus, cõuiuium, ſermo etiam pene omnium familiarium deferendus: quę res in hoc genere homines à labore, ſtudioq; deterret.

Voluptatũ antidota.

E. Q. Indurandus itaque eſt animus, vt Seneca monet, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Vina Annibalem hyberna ſoluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, victus eſt. Nobis quoque militandum eſt quodam genere militiæ, quo nunquam quies, nũquam otium datur. Debellandæ ſunt inprimis voluptates, quæ, vt vides, ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori. *Seneca epiſt. 52.* Quemadmodũ enim virtus, ſecundum Euripidem, per labores incedit: ita per otia vitium. Omnino itaque, ſicuti in rudibus agris prius quam ſerere incipias, euulſis ſentibus & omnium ſtirpium radicibus amputatis, arua purgãda; ſic de noſtris animis prius vitia vitiorumq; fomites detrahendi; & tunc demum virtutes inſerendæ, de quibus ſeminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.

Virtutis commendatio.

PH. Fœdis itaq; voluptatibus omniumque voluptatum illecebris remiſſo nuncio, ad ſolum virtutis ſtudium animus eſt applicandus. Tantum enim in ſe habet efficaciæ præclara virtus, vt in quocunq; reperiatur, ſemper & vbique omnes homines habeat ſuæ dignitatis admiratores. Eos enim ſuſpicimus, maximiſque efferimus laudibus, in quibus exiſtimamus, excellentes quaſdam & ſingulares perſpicere animi dotes. Nihil omnino amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum; quippe qui propter virtutem, probitatem & doctrinam eos quos nũquam vidimus, quodammodo diligimus; & eorum nomen laudibus & voluntate ad

cœlum

cœlum vſque extollimus. Cumprimis vero ſi ea virtute præditi ſunt ii, qui ſtemmatum nobilitate, genere, natalibuſq; claris præſtantiores reliquis habentur, illi radios tanti ſplendoris longe lateque duplicatos protendunt, & magnificentioribus titulis dignitatem ornatiorem reddunt.

E Q. Recte itaque *Pythagoras Samius* ait: optimam nobis vitam eſſe deligendam, quam ſuauem mox ipſa conſuetudo ſit effectura. Diuitiæ ancora ſunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidē, magiſtratus, honores, omnia hæc imbecilla, & viribus deſtituta. Quæ ergo ancoræ ſunt firmæ? Prudentia, Magnanimitas, Fortitudo: eas nulla tēpeſtas agitat. Hæc Dei eſt lex, virtutem ſolam eſſe, quæ potens, ſolidaque ſit, cætera omnia nugas & ineptias. Quicunq; enim vitæ curſum hoc itinere fecerunt, hi ſoli ipſam virtutem ingenue adire potuerunt: qua non res honeſtior, non conſtātior eſt vlla: pulchritudo enim vel valetudine perit, vel tempore flacceſcit: diuitiæ vitiorum ſunt potius, quam integritatis miniſtræ, facultatem nempe deſidiæ præbentes, & ad voluptates iuuenes excitantes. Robur prudentię coniunctum profuit: ſine illa vero ſępius eum, q id habet, offendit, & corpora quidem eorum, q ſe exercent, adornat, induſtriam vero mortis obſcurat. Hinc Antiſthenes virtutem eſſe ait armaturam, quæ detrahi non poſſit, Enſis enim & clypeus excutiuntur: ſapiens autē, ac virtute præditus nunquam non armatus eſt, eoque vinci non poteſt. *Laert lib. 6.* Quamobrem etiā, vt grauiter Seneca *Epiſt. 75.* inquit: Virtus regna, vrbes, prouincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque diſpenſat officia, modo arcto fune circundatur paupertatis, exilii, orbitatis. Non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio in priuatum, ex regio in humilem ſubducitur, ex publico & ſpatioſo iure in anguſtas domos vel angulos coit.

PH. Atq; hinc etiam eſt, quod idem Antiſthenes ait, virum iuſtum pluris faciendum, quam cognatum. Arctiora enim ſunt vincula virtutis, quam ſanguinis. Et omnis bonus bono proximo cognatus eſt, propter animorum ſimilitudinem. *Laert. lib. 6.* Virtutis namq; poſſeſſio, vt inquit *Thomas Morus Anglus*, quorum bona fide mentibus ipſa coaluerit, ſola cōſeneſcit: diuitiis potior, vtiliorq; generis ſplendore. Quæque fieri nequeunt ab illis, illa ſuis viribus ſubdens, & multitudini metuenda conſtanter expectans, deſidiam dedecus, laborem laudem, arbitratur. Hoc cognitu perfacile eſt ex gloria certaminum Herculis,

culis operumq; à Theſeo geſtorum, quibus morum præſtantia tantum laudis inſigne operibus adiecit, vt omnis temporum poſteritas, rebus, quas geſſerunt, offundere nequiuerit obliuionem, *Iſocrates ad Demonicũ.* Et quoniã, vt inquit Ariſtot. *in laud. virt.* Comites virtutis, probitas, æquitas, candor, ſpes bona, & id genus alia ſunt. qualis eſt familiarium, amicorum, hoſpitum, hominum denique, bonorũ præſertim, amor, hinc adeo fit, vt virtus tot ſtipata comitibus, omnino ſit intrepida.

Sicut enim trepidare facit mens cõſcia culpæ:
Sic animi ſimplex probitas, & cognita virtus
Efficit impauidum pectus: fugit impius vltro,
Iudiciumq́; pauet, frontem pius audet apertam
Tollere: non regis vultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enſes formidat: vt acres
Non metuit flammas, aurum, nõ verbera ferri
Dura potens Adamas, nec onuſtæ pondera palmæ.
Arx eſt ipſa ſibi virtus, ipſa eruit arces:
Ipſa feras, hominemq́; domat, non horret inermis
Ire per hoſtiles cuneos, inimicaq́; caſtra.
Hoc externa docent & noſtra plurima gentis,
Quæ facerent exempla fidem: cur Scæuola dextram
Miſit in ardentes prunas, & brachia flaminis
Exurenda dedit? pauor eſt tot millibus vnus.
Quem propriis virtus gladiis armauit & haſta.
Cur tranauit aquas, Tiberinaq́; flumi mina virgo,
Cui populus ſtatuam poſuit Romanus equeſtrem?
Chalis quo clypeo Fuſcum, quibus enſibus hoſtem
Vicit: ei lorica fuit catapultaque virtus:
Fortior vna viris ducibus præſtantior vna,
Cautior vna fuit mulier, cui prouida virtus
Præſtitit ingentes animos, & ferrea corda:
Quum ducis auſa fuit correpto guttura ferro
Stringere, & in petram caput inſertare tyranni,
Regulus ad Libycas iterum freta nauigat arces,
Impauidumque caput grauia ad tormenta reportat.
Prætereo Chriſti paſſos immania teſtes
Funera, Laurentiq́; ignes, Pauliq́; catenas.
Aſpice ridentem Siculi mandata tyranni
Zenonem, & regis verſos in vulnera ciues.

Sed quid rem minime dubiam fulcire probando
Proſequimur? nihil eſt virtute potentius.

Tuta nimirum eſt virtus ab omni metu, impendentique diſcrimine, nec vlli ſuccumbit dolori, nec frãgitur impetu, quoniam ea nihil eſt fortius. Quod ſi vero nec bello vinci poteſt, nec inclinari laceſſita, ſed neque in cruciatibus ipſis gaudio ſuo priuari, quãto vberius ſuauiuſque lætabitur, cum ſibi dimiſſa præclato otio fruetur ſuo.

TH. Magnifice quidem virtutem extuliſtis, videoque ſatis, ſplendore illius ac maieſtate nihil poſſe dici ſuauius, magnamque in ea eſſe lætitiam, multa iucunda, multa ſuauia, & vt Plauti Comici ſententia vtar, virtutem eſſe optimum præmium, eique adeſſe bona vniuerſa, quę penes eſt illa. At illud nunc quæro, num opus ſit, quo vim ſuam nomenque retineat, vt ſemper ſit in actu?

PH. Somnum opinor permittes homini virtuoſo, permittes voluptatem quietis & vmbræ. Itaque non ſemper eſt in actu, præcipuus tamen fructus, & admirabilis illa gloria virtutis, tota in actione conſiſtit. Quod ſane et probat et Ariſtoteles, ad hoc exemplum rem contulit. Quemadmodum in Olympia non optimi atque fortiſſimi, ſed qui certant coronantur, ſic & in vita, bonorum & honeſtorum, qui recte agunt, compotes fiunt. Idcirco in actione eſt virtutis perfectiſſima laus, ſummũ decus, maieſtas illuſtris & gloria. Cæterum gaudium ſemper virtutis eſt comes, præuium interdum, quãdoque ſubſequens: Vidiſtin' equum paratum ad bellum clangente tuba dum retinetur habenis, ac in hoſtes geſtit irrumpere, hinnire interim præ gaudio, aures demittere, ſpumam ore iactare, ſeſe loco continere non poſſe, seſſorem inuitare, vt inclinato pilo ſe dedat in hoſtem. Ita illi qui boni aliquid moliuntur, ſingulari gaudio afficiuntur, etiamſi nondum ſunt in actu, tum vero multo magis lætantur, cum ſe vident aſſecutos, ad quod tam inflammato ſtudio ante contenderant. Atque hæc generoſa illa æmulatio, atque in via virtutis progreſſio. Nam pari modo, vt (quod Plutarchus in libro *de profectu morum* monet) in philoſophando nulla debet eſſe ceſſatio, aut perpetui quaſi progreſſus intermiſſio; ſic eodem modo progredi in via virtutis decet, non autem regredi aut deſinere. Quã ad rem plurimum affert momenti, cum amor & ſtudium ipſius virtutis, quæ vere eſt, vt Orpheus dixit,

Virtutis æmulatio generoſa.

dixit, mater heroum, in qua ſola omnis laus & perfecta fælicitas poſita eſt: tum vero laudis & gloriæ cupiditas, & bona illa æmulatio ab Heſiodo celebrata: ſed ea tamen ab omni ambitione aut falſa perſuaſione ſapiẽtiæ ac virtutis remota. Nam & virtutis ipſius vis maxima eſt, q̃ ſui amatorem & admiratorem ſubinde magis ac magis incitat, nec vnq̃ conquieſcere ſinit: & honor, vt in prouerbio eſt, alit artes, omneſq; incẽdimur ad ſtudia laudẽ & gloria, quę animos generoſos ad prę clatas actiones exuſcitat: vnde etiam ſcite Muſarum altrix vocatur Euphemia. Tum vero nullus ſtimulus acrius vrget currentem, quam æmulatio & contentio bona, ſine qua neſcio quomodo friget omnis p̃clata actio, ſi nõ adſit æmulus ſtudiorum & quaſi riualis, q cedere nolit ingenio & virtuti alterius, cuius tamẽ laudi minime idcirco inuidendum eſt, ſiquidem, vt Cicero ait, nemo qui ſuę cõfidit virtuti, inuidet alienę, ne & nimis arroganter de ſeipſe ſentiat ac loquatur, quo nihil eſſe poteſt turpius vel odioſius, & ne falſa quadam opinione inflatus ſeipſum quodammodo in via virtutis remoretur aut retardet: quoniam, ſecundum Biantis illud dictum, opinio eſt impedimentum profectus, vnde & Seneca dicit, multos potuiſſe ad ſapientiam peruenire, niſi putaſſent ſe iam peruениſſe. Sic igitur pergẽdum, & ſic in curſu virtutis progrediendum eſt, vt per diſſidiam aut otium nunquam conquieſcat, neque ſtationem faciat, ſed memor veteris illius oraculi, quod Cyri hæris datum accepimus, die noctuq; ſibi eſſe depugnandum ſtatuat: adeoq; ſerio iocove quicquid agat, idem ſemper bene ac generoſe agendi propoſitum teneat. Nam & vita hæc perpetua quaſi palæſtrą eſt, in qua aduerſus omnes fortunæ impetus, & naturæ ipſius inclemẽtiam, pancratium exerceatur, & virtus ipſa habitus eſt, ſecundum Ariſtotelem, crebra actione & conſuetudine longa comparatus, ex qua propemodum in naturã coaluit, & ſapientiæ ſtudium, auctore Socrate, continuá eſt quaſi venatio quædam, in qua percipienda multiplex & magna adhibenda eſt exercitatio. Quemadmodum enim venatores in niue p̃noctant, & in montibus vri ſe patiuntur: ita etiam quaſi venatur ſapientiæ ſtudioſus aut virtutis, neque ſomniculoſum, neque deſidioſum ſe eſſe patietur, neque credet noctem ſomno & diem ludis comparatum eſſe, ſed noctem ſapientiæ eſſe hoſpitium, & diem eiuſdem caſtra. Semper igitur agendum eſt aliquid, neq; quicq̃ omnino in vita negligendum,

aut à præclaræ cogitationis ſtatione vnquam decedendum, ſed omni ex re præſidium ad mores rectè ac laudabiliter informãdos quærendum: ne ſi per incuriam aut ignauiã è præſidio cedamus, aut è cuſtodia longius abeamus, etiam ſine voluntatẽ noſtra aliquando tranſuerſi rapiamur, & à via virtutis in viam vitiorum deflectamus. Contra autem, qui in via virtutis regreditur potius, q̃ progreditur: is ſeipſo quotidie fit deterior, & ſe hoc modo à ſeipſo ignaue admodum & malitioſe vinci patitur, quo nihil eſſe poteſt turpius aut abiectius.

TH. O plane beatam itaq; iſtã ciuitatem, in qua non figulus figulo inuidet, vt ait Heſiodus, ſed ſapiens cum ſapiente certat, iuſtus iuſtum æmulatur, quiſque cum altero virtutis præſtantia contendit! Sic enim fit, vt dum ſinguli ſeſe ad tam illuſtres & honeſtas contentiones & ad virtutis certamẽ acuunt, vniuerſi tandem ſint in virtutum omniũ ſtudio florentes, excitati, inſtructi, inflammati.

E Q. Generoſa hæc omnino eſt, quæ inuidia caret, æmulatio, eoque generoſior, quo maiora atque grauiora ſunt ea quę attentantur. Atque hinc celebratiſſimum illud: χαλεπὰ, τὰ καλά; difficilia, quæ pulchra; cuius auctor primus perhibetur fuiſſe Solon ille Athenienſis, qui Pittaco abdicanti ſe imperio, quod difficile eſſe diceret, bonum manere; mollitiem atque ignauiam ſuam exprobrans, hanc vocem vſurpauit. Cum quo dicto etiam congruit ſymbolum hoc Conſtantini Cæſaris, qui *laudem eſſe* ſtatuit, *velle, quod non poſſis.* Monens nimirum illud, difficilia tentanda eſſe, quæ honeſta ſint, & præclara. Nam rebus maximis difficultatem ipſa natura propoſuit, ſecundum Tullium. Quo fit, vt non ſolum ars, ſed virtus etiam in eo potiſſimum verſetur, quod eſt difficillimum, teſte Ariſtotele. Quod & Pindarus teſtatur in Olympiis: Circa virtutes labor ſumptusque perpetuo implicatur, vt opus difficultate obtectũ aſſequare. Et Xenophon: Curæ laborioſæ efficiunt, vt ad pulchra & honeſta facinora perueniatur: *Quis* enim, ſecundum Poëtam, *magna coronari contendat Olympia dulcis ſine puluere palmæ?* Nam & contemnitur omne illud, quod facile ſuperatur, ſecundum Nazianzenum: & omnium rerum cũpido langueſcit, cum facilis eſt occaſio, vt eſt apud C. Plinium II. Qua autem in re quiſque excellere cupit: eo libẽter ac prompte ducitur: idque cura demum, ac diligẽtia capeſſitur, auctore Plutarcho. Etenim, vt Maro canit:

Labor

Labor omnia vincit improbus.

Et vt Comicus: *Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſit.* Sicut è diuerſo, vt idem Comicus teſtatur,

Nulla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet, quam inuitus facias.

Sic Quintus Curtius: Nihil (inquit) tam altè natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti, quanquam igitur verum eſt, quod Fabius monet: non tentanda eſſe, quæ effici omnino non poſſunt: tamen *laus eſt interdum velle, quod non poſſis*: ſi præclarum aliquid ſit & honeſtum: in quo quicquid operæ curæque ponetur, id iure laudabitur. Quoniam turpe eſt & indecorum à rebus honeſtis & præclaris, metu difficultatis, abſterreri. Nam & in magnis voluiſſe ſat eſt, ſecundum Poetam: & pars virtutis aliqua putanda eſt, velle virtute prȩditum eſſe. Quẽadmodum enim ad pœnam ſufficit, meditari punienda, ſic ad laudem ſatis eſt, conari prædicanda, vt L. Apuleius docet: Magnarum ſiquidem rerum, etiamſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus ipſe conatus eſt, teſte Seneca.

PH. Habent hoc generoſæ mentes inſititium, vt honeſtam gloriam, atque ex gloria & honore, æternitatem nominis ac famæ inſectentur. Atque hinc factum, vt tantos labores domi militiæque, tam ſuperioribus ſeculis quam noſtro tempore ſuſciperent: quod certè nunquam feciſſent, ſi iiſdem finibus gloriam ſuam, quibus vitam, terminatum iri exiſtimaſſent. Animus enim generoſus neſcio quo modo ſeſe extollit, vt ad poſteritatem proſpiciat, quaſi cum exceſſerit è vita, tum deniq; victurus ſit. Et vt ait Tullius Philipp. V. Si nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, iiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, nec tot curis vigiliiſque angeretur, vt famam protendat ſuam: qua quidem detracta, nihil eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus. Fama enim honeſta vitæ breuitatem poſteritatis memoria conſolatur; quæ efficit vt abſentes adſimus, mortui viuamus, & in ore omnium verſemur.

EQ. Atque hæc eſt vera illa, non ficta Nobilitas, quæ gloriam, velut corpus vmbra, ſponte conſequitur. Vt vero gloria reddi poſſit ſempiterna, eam in virtute radices omnes agere neceſſe eſt. Virtus enim clara æternaque habetur. Suntque adeo Virtus & Gloria indiuidui comites. Vnde etiam veteres Romani templa quædam Honori ſiue Gloriæ, & Virtuti tanquam coniunctis numinibus

minibus, ex accepto per manus religionis ſuæ præſcripto dedicarunt; ita quidem, vt nulli, niſi per fanum Virtutis, ad Honoris ædẽ patuerit ingreſſus. Marcus etiam Marcellus ea dicaſſe ad Portam Capenam ſcribitur; quo proficiſcentes ad bella monerentur, ſola virtute, aditum ipſis ad Honorem & dignitatem, in ea Republica, quæ tum temporis æquiſſimis fundata legibus, & inſtitutis optimis ornata florebat, apertum & liberum eſſe.

PH. Huius rei rationem non iniucundam, nec ab argumento propoſito alienã, altius repetito principio, ſic intelligi commodè poſſe exiſtimo. Homini, cum ſit animal ratione præditũ & mortale, ideoq; corpore conſtet & animo, duo potiſſimum inſunt, à quibus regitur, quaſi quidam eius actionum cogitationumque duces: Appetitus nimirum & Ratio. Iuuentutem appetitus (quod ſenſuum imperio magis obſequens, recto animi iudicio ſapiẽtiæq; reſiſtit) propemodum gubernat. Senectutem vero quæ ſapientiæ quædam altrix eſſe ſolet, ipſa ratio moderatur. Etſi autẽ hi duo duces ſimul ipſum corpus tanquam domicilium quoddam commune inhabitant: vehementius ii tamen inter ſe diſſident. Corpus n. quia Deus optimus maximus ex quatuor elemẽtis ita compoſuit, vt ad certũ tantummodo tẽpus hic in terris ſubſiſtens, Animo ſedem ac miniſterium, exercendæ virtutis cauſa, præberet: eo decurſo ſpatio, in partes ſuas reſolutum extinguitur: Ita homo deſeritur à corpore. Hic terminus, mors eſt, vltima rerum terrenarum linea. Animus vero qui potiorem in hominis ſtructura partem conſtituit, cuius gratia homo ipſe in hãc lucem eſt editus, & qui ad cælum ob id originem ſuam omnino refert: non interit, ſed in omne æuum immortalis permanebit. Si igitur animus perpetuo viuit: illum corpore ſupereſſe, neceſſe eſt. Ex quibus, hominem eo ipſo immortalem eſſe, conſequitur. Quamuis enim homo, illa quam dixi morte corporis, ab hominum ſeſe ſocietate, terræq; commercio ſeiungit, hęc inferiora velut ex alto deſpiciẽs: quod in cælo, tanquam patria, ſurſum beatè degit: in terra tamen, hominum linguis atq; memoria permanet: vnoq; gloriæ ac famæ, quam virtute eſt conſecutus, hicq; reliquit beneficio viuere creditur. Quãuis ergo mors (vt rem in pauca cõferam) omnes tum appetitus, tum etiam rationis vires eneruet ac frangat, & quas in hominis vita functiones exercebat, ſecum auferat: Gloria certe ſiue fama, vt homo eiuſue nomen poſt ipſam

ipſam quoque mortem inter homines viuat, efficit. Nec ſolum ita poſt obitum viuit, ſed etiam iis virtutum ornamentis, quib. in vita claruit, cæteros ad egregiũ honeſtatis ſtudium, & illuſtris famæ deſiderium amplectendũ vehementius, quã cum inter homines verſaretur, incẽdit. Qua ratione fit etiam, vt ceſſante iam inuidia, virtus abſentis quotidie magis ac magis hominũ mentib. imprimatur, & totius poſteritatis memoriæ conſecretur. Nec tẽpus, licet rerum omnium edax, eam gloriã abſumit, cum ſe ęternitati, quæ id longiſſime ſuperet, totam ipſa mancipet. Ad hũc ergo modum, homo & viuus ante mortẽ, & poſt obitum, æternam a virtute, quam firmè ſemel imbuerit, gloriam adipiſcitur. Id quod etiam infinitis omnium hiſtoriarũ monimẽtis oſtendi demonſtrariq; poteſt. Tanta enim tamq; excellens veræ virtutis vis eſt, ad illuſtre nomen apud poſteros obtinendum vt capitalis etiam eius hoſtis, imꝓbitas, inani quoq; ſaltẽ egregiæ virtutis imagine velata, magnam apud plurimos aliquãdo laudem inuenerit. Sic namq; calliditas atque verſutia, illuſtris prudentiæ nomine, auaritia, frugalitatis, ꝓdigalitas & ambitioſa munerum corruptela, liberalitatis & magnificentiæ, temeritas atq; audacia, fortitudinis laude frequenter cõmendantur, atq; ita ficta quadã probitatis ſimulatione fraudulẽter incautorũ ac rudiũ animis obrepẽtes, in ampliſſimas dignitatis & glorię poſſeſſiones inuaſerunt, & hoſtilẽ in modũ, laudis honorumq; quaſi prędas interdum abegerunt. Quamuis autem nulla virtutis ſimulatio diuturna eſſe poteſt, nec iniuſtæ claritatis decorisq; poſſeſſione perpetuo frui: pręclare enim apud Xenophontem Socrates, qui ait; nullam eſſe viam conſequendæ gloriæ tutiorem, quam qua quis bon⁹ fiat, ac non videri velit: tamen ex eo facile conſtat, quantum vera virtus ad æternam laudem & dignitatẽ adipiſcendam valeat, cum fucatã & inanem quoq; tantũ ad hoc momentum frequenter attuliſſe videamus. Fuit n. fuit profecto eritq; ſemper etiã in peſſimis hominib. ſimulata quædã pietatis, modeſtiæ, iuſtitiæ, liberalitatis, beneuolentiæ, charitatis, conſtãtię ac fortitudinis ſpecies, inſigni doctrinę & eloquẽtię fato mirũ in modũ adornata, qua multitudini imperitę ꝓ magnis ſe ſe vẽditãt: itaq;

Diſcite virtutem iuuenes: nam ſola beatos
Nos facit, & dira non timet arma necis,
Fortunæ minas, aut ſæui ſpicula fati,
Quæq; facit tremulã curua ſenecta manu.

TH. Quæ

TH. Quę de virtute hactenus tã pompoſe ebuccinaſtis, videntur quadãtenus ſapere Ethniciſmũ; eadem namq; & Ethnici olim ſaniores de virtutis ſtudio docuerunt ; hi vero non veram virtutem (cum ſupremum hominis bonum, veram nimirum de ſummo Deo deque ſempiterna hominis ſalute ac felicitate, doctrinam, quæ ſacris tantummodo literis per orbem innotuit, ignorauerint) ſed vmbram tantum virtutis habuerunt.

PH. Attamen hoc ipſo virtutis adumbratæ nomine nobis etiam poſteris tanto ſeculorum interuallo innotuerunt.

TH. Innotuerunt ſanè. At magis innoteſcere debent nobis ſanctiſſimi illi Patriarchæ, Heroes, Reges, Duces, Sacerdotes, Prophetæ, Apoſtoli & Martyres, quorum laudes ſempiternis illis ſacrarum literarum monumentis conſignatæ ſunt , quique vetiſſimæ virtutis ſtudiis & exemplis nomen ſuum ab interitu vindicarunt, atque animo maximo, cõtemptis rebus humanis omnibus , ad ſempiternam beatitudinem ardentiſſimis votis anhelantes, nullã in terris gloriã deſiderarunt, diuini tamẽ numini prouidentia procurante, tãta nominis claritate circũfluunt, quantã nullis obliuione tenebris obſcurare vnquam ætas vlla poſſit.

EQ. Vere heroicum itaq; veriſſimæq; virtutis teſſera eſt ſymbolum illud Flauii Iouiani Imperatoris , *Chriſtus vita meæ ſcopus*, quem etiã tantopere adamauit ac coluit, vt ſub Iuliano Imperatore baltheum ponere, & de vita periclitari, quam à Chriſto deficere maluerit. Sed & eo ipſo paulò poſt in acie extincto, Imperator militari fauore ſalutatus, imperium primò abnuit , quod ſe gentilibus imperare nolle diceret: Verum militibus tandem ſe Chriſtianos eſſe acclamantibus imperium haud inuitus ſuſcepit, & ſtatim gentiles templa claudere, & cruenta omittere ſacrificia imperauit , ac præterea congiarium à Conſtantino Magno inſtitutum , quod à Iuliano abrogatum fuerat, Eccleſiæ reddidit: vnum *ſcopum vitæ ſuæ Chriſtum* prędicans, quem propoſitum eſſe oporteat Reipubl. moderatori, quo intueri, & quo curſum ſuum dirigere debeat. Nam omnis Chriſti actio , noſtra eſt inſtitutio, quem imitari viuendo tutiſſimum eſt, ſecũdum Auguſtinum; Quippe qui , vt Bernhardus loquitur , origo eſt omnium virtutũ, ſiquidem & prudentia vera in Chriſti doctrina, & iuſtitia in miſericordia, & temperãtia in vita, & fortitudo in paſſione eius conſpicitur.

TH. Chriſtus itaq; omnium huma-

humanarum actionũ vnicus ſcopus eſto cohortante etiam ipſo Apoſtolo *Coloſſ. 3.* Proinde in ſolum Chriſtum intueamur, qui eſt via, veritas & vita, adeoque porta cæli & requies animę, ſecundũ Bernhardũ. Sic D. Petrus Apoſtolus nos Chriſti exemplo viuere monens: Chriſtus (inquit) pro nobis iniuriam paſſus eſt: nobis præſcriptum relinquens, vt eius veſtigia ſubſequamur. Nam is profectò honeſtiſſimus proficiendi modus eſſe videtur, qui ab optimi & clariſſimi cuiuſque imitatione proficiſcitur. Quid autem Chriſto melius eſt aut illuſtrius? qui cum ſit forma & imago Dei immortalis: optimum ſane fuerit, nos ad eius imaginem totos conformari, & ab eius ſimulachro, morum ac vitæ lineamenta ducere. Rectè igitur Auguſtinus; Tota vita Chriſti in terris, per hominem, quem geſſit, morum fuit diſciplina. Nam omnia bona mundi Chriſtus contempſit, quæ contemnenda docuit: & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit: vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in his timeretur infœlicitas. Et Bernhardus; plane dignus eſt morte, qui tibi, *Chriſte*, recuſat viuere, & qui tibi non ſapit, is deſipit: & qui curat eſſe, niſi propter te, is pro nihilo eſt, & nihil eſt. Propter teipſum, *Deus*, feciſti omnia, & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, is nihil eſſe incipit inter omnia. Item: Ne mundi gloria, aut carnis voluptate aliqua abducaris, dulceſcat tibi pro ea ſapientia Chriſtus, ne ſeducaris ſpiritu mendacii aut erroris, illuceſcat tibi veritas Chriſtus, ne aduerſitatibus fatigeris, confortet te virtus Chriſtus.

PH. Abſit à me, vt quenquam alium actionum noſtrarum ſcopum præter Chriſtum introducam. Chriſtiani ſumus, itaque etiam nõ niſi ſenſu Chriſtiano quæ de virtute hactenus diximus, à quoquam accipi volumus. Cæterum quæ de hac materia, quæ admodum ampla eſt, dicenda reſtant, differemus in craſtinum. Interim pro more abimus.

COLLOQVIVM IV.

DE ORIGINE ET PROGRESSV SOCIETATIS HVMANÆ, ET COITIONIS POPVLI IN VNAM REMpublicam. De ſana pariter atque inſana regnandi, gloriæq; adeo humanæ cupiditate; vbi etiam de regnis & Imperiis, Imperatorum muniis, Nobilitate, &c.

EQVES. PHILOSOPHVS. THEOLOGVS.

Cvum omnes homines ſumma ope niti deceat, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora, proinde quod heſterno die ſtatuimus, potiſſimam virtutis laudem in actione eſſe, illud nunc altius proſequemur.

PH. Non fruſtra certe virtutem poſuere dii ſudore parandã. Sudor autem non abſque motione corporis eiuſq; partium elicitur. Vt igitur in corpore humano cor & arteriæ ſunt in continuo motu, alioquin enim corporis humani membra torpeſcerent; ſic etiam virtutes in continua actione atq; exercitatione vt ſint, omnino opus eſt.

TH. Grauis extat apud Euripidem hac de re ſententia: Quemadmodum inquit, virtus, per labores incedit: ita per otia, vitium. Nam vt in Prouerbio eſt, *Otia dant vitia*, vel vt Ambroſius ait: *Otium puluinar Satanæ*: ſemper enim, vt Lucanus canit, *variam dant otia mentem*: quæ omnem docent maliriam, teſte Chryſoſtomo. Quomodo & Euripides in Hippolyto otium vocat iucũdum malum, vt recte Menander dixerit:

Quam multa fert mala otium mortalibus?

Maxime vero Reipubl. peſtis & calamitas eſt turpe otium. Nam, vt Horatius ait:

Otium reges prius & beatas
Perdidit vrbes.

Nam ſi in ſolio ſegnities & inertia ſedeat, vt dici veriſſime ſolet, etiam leones rege ceruo vincuntur. Sed otii quidem ignaui

ignaui cauſa plerumq; eſt fælicitas[1], cuius comes eſt arrogantia: arrogantiæ ſtultitia: ſtultitiæ deniq; rurſus infælicitas. Sic enim Liuius *lib. 3. Decad. 3.* Secundæ res ſegnitiem inducunt, & negligentiam creant.

PH. Vera econuerſo, gloria eſt autore Tullio, illuſtris ac peruagata multorum & magnorum vel in ſuos ciues vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum, & virtutē ſequitur, tanquam vmbra corpus: quæ quia recte factorum plerumque comes eſt, viri quiq; præſtantiores eam appetunt. Neque enim virtus contenta eſt his anguſtiis, quas natura nobis ad viuendum dedit, ſed immortalitatis amor flagrat perpetuo. Neq; hæc vita noſtra dicenda eſt, quæ corpore & ſpiritu continetur: ſed illa eſt demum vita vera, quæ vitæ huius breuitatem poſteritatis memoria cōſolatur, quæq; efficit, vt abſētes adſimus, & mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cælum videntur aſcendere, & totum peruagari orbem terrarum, & vitam ſic viuere immortalem & perpetuam. Breuis enim ſecūdum Tullium, vita eſt, at vitæ memoria, & gloriæ vita ſempiterna, quæ ſi profecto non eſſet longior, quam hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad ſummam laudem gloriamq; contenderet: Nonne enim melius multo eſſet, otioſam ætatem & quietam ſine vllo labore & contentione traducere? Sed neſcio quomodo animus erigens ſe, poſteritatem ſemper ita proſpicit, quaſi cum exceſſerit è vita, tum denique victurus ſit, teſte Tullio.

TH. Recte tu quidem iſtuc more ac ſenſu Philoſophico ſeu Politico; at rectius iuxta Philoſophiam Chriſtianam, dicemus, hominem ita viuere debere, vt ſemper viuat. Neque enim hæc vita per ſe, ſed propter alteram illam vitam, quæ eſt in cælo, expetenda eſt, ad quam non niſi per mortis ianuam patet aditus. Qui igitur ſemper viuere vult, is bene & viuere, & mori diſcit. Sed recte quidem viuere homo diſcit, mortem commentando: bene autem mori, recte viuendo, denique beate viuere, bene moriendo. Nam vt vitæ præſentis finis mors eſt beata: ita mortis rurſus finis eſt vita beata. Sic vna eſt bene beateque viuendi ac moriendi regula, quæ docet hominem ſic viuere, vt bene moriatur, & ſic mori, vt bene viuat. Is vero demum bene beateque viuit ac moritur, qui ſibi & mundo moritur, hoc eſt, culpæ & noxæ ſuæ: ſoli autem Deo viuit,

viuit, in quo ſpei, & fiduciæ ſuæ extremum & vnicum habet ſolatium, quo ipſo fit compos & particeps vitæ immortalis, ad quam in hac mortali vita animus hominis ſemper adſpirare debet. Quid n. aliud eſt vita vitæ mortalis, quam ſpes & expectatio vitæ immortalis? & quid aliud eſt mors vitæ huius mortalis, quam finis mortis huius vitalis, & ianua vitæ immortalis? Præclarè igitur Auguſtinus,

Viue diu, ſed viue Deo: nam viuere mundo
Mortis opus, viua eſt viuere vita Deo:

Et notum eſt vulgatum illud Epigramma:

Viue Deo gratus, toti mundo tumulatus:
Crimine mundatus, ſemper tranſire paratus.

E. Q. Tu nimis mature theologizas, & eo ipſo ſcopum noſtrum propemodum præuertis. Itaque arctius nobis vela contrahenda ſunt. Virtutem diximus in actione eſſe debere, quoniam ex ea gloriã ac nominis immortalitatem, ſiue ea Politica ſit, ſiue Theologica, nemo non aucupari atq; acquirere ſatagit. Atque huc fere cõgruit, quod Maximinus Imperator, cum non robore ſolum corporis, verum etiam labore eſſet maximo: à Tribunis quibuſdam ſuis reprehenſus, parum decere militum ducem & Imperatorem tantopere laborare: Ego vero (inquit) quo maior fuero, eo magis laborare cupio. Sentiens nimirum, nõ modo virtutem, ſed etiam fortunam labore maxime comparari: eoque plus voluptatis bona adferre, quo maiore labore ea comparantur: adeoque, vt Xenophon ait, fortibus viris quaſi obſonia quædam eſſe labores. Quod & Alexander ille Magnus intellexit: qui nihil magis ſeruile, quam luxuriam: nihil magis regium, quam laborem eſſe dixit. Et Cyrus ille Xenophonteus: Ego (inquit) arbitror decere Principem anteire ſubditis, non vita deſide & laborum experte: ſed eo, quod rebus prouideat, laboreſque lubenter ſubeat. Etenim, vt Flaccus monet:

—— Nihil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.
Ad ſumma nemo ſine labore peruenit.

Quomodo & Euripides monet in Erachtheo: fortunam ex labore quaſi indagare aut inueſtigare. Et alio in loco ſcribit: virtutem incedere per labores. Nam, vt idem ait Comicus,

Quæ pulchra ſunt, multis conſtant laboribus.

Sic & Epicharmus docet, labore omnia bona vendi diuinitus, inquit:

inquit: *Labore diui qualibet vendunt bona.*

Et Sophocles:

Quiſquis laborat, omne pulchrum adipiſcitur.

Quo etiam pertinet Menandri hæc ſententia:

Vt ſis beatus, eſt laborandum tibi.

Et Theodectis:

Labore laus paratur, atq; gloria.

Recte enim Euripides in Archelao:

Laboris expers quis celebris gloria?

Sic Liuius *Dec.1.lib.4.* Labor & periculum impenditur, vnde honor & emolumentum ſpectatur. Et D. Hieronymus in Epiſt. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Præclare etiam Arrianus in hiſtoria ſua *lib. 5.* Labores & præclara facinora adeuntibus, & vita ipſa cum virtute coniuncta eſt: & mors nequaquam acerba, immortalem nominis ſui gloriam relinquentibus.

PH. Non vſque adeo mirum eſt, homines pleroſq; æmulatione quadam anteceſſorum aut etiam coætaneorum, gloriam capeſſere atq; inſectari; quod identidem Maximinum quoque imperatorem feciſſe cōſentaneum atq; idem de Alexandro magno aliiſque proditum eſt literis. At enim fuit iſthæc virtus gloriæque inſectatio etiā olim, cum adhuc dum nulla extarent, quæ allicere homines potuiſſent, ad imitationem exempla. Non dicam iam de tempore, quo Cainus, æmulator iſte atque homicida nefarius in viuis fuit, quippe cuius æmulatio fuit omnino execrabilis, ſed de tempore, quo vixit Nimroth, primus Babyloniorum Princeps, qui ædificauit turrim Babel, ac deſignauit ciuitatem Babylonicam, *Gen. 11.*

EQ. Monarchiæ & regna poſt diluuium inceperunt tempore Nimroth, primi principis Babyloniorum; & vt regna diuerſa, ita linguæ diuerſæ eſſe cœperunt, quarū origo in ædificatione turris Babylonicæ contigit. Cæterum linguæ varietas, morum quoq; varietatem peperit. Hinc diſſimilitudines ingeniorum, æmulationes, iurgia, prælia, bella & ſupplantationes vicinorū primum natæ ſunt; ac victor ſemper cum victis, vt leges & mores: ita prius linguam & catalectum ſiue idioma victricium gētium communicauit: victorumque vſibus & conſuetudinibus & ritibus impreſſit. *Linguarum & ingeniorum diuerſitas.*

PH. Et linguarum & ingeniorum poſt mirificam illam ſegregationē diuerſitas inſecuta fuit, quæ etiam cuique propemodum genti ac nationi hodierno quoq; tempore fere eſt peculiaris atq; inſitita, quibus diſcerni atq; in-

ternoſci à cæteris facile poſſunt. Hinc eſt, quod audiunt:

1. Germani bellatores, ſimplices, benefici.
   Ex his autem Francia natio, ſimplicior, & magis ruſtica, ac vehemens.
   Bauarica, ſumptuoſa, cõuiuis operam dans, procax.
   Sueuica, leuis, loquax, glorioſa.
   Miſnẽſis, magnifica, locuples, ſpecioſa.
   Turingica, diffidens, attenta ad parua quoque, contentioſa.
   Saxones, diſſimulatores, verſuti, contumaces.
   Accolæ ſuperiores Rheni, frugi, aperti, hoſpitales.
   Heluetica, coniurata, aſpera, armentaria.
   Belgica, equeſtris, delicata, tenera.
2. Itali ſuperbi, cupidi vindictæ, ingenioſi.
3. Hiſpani, deſpectores, cõſulti, rapaces.
4. Galli præditi elegantibus corporibus, intemperantes, temerarii.
5. Cimbri, magni, ſeditioſi, horribiles.
6. Britanni, turbulenti, negociatores, laborioſi.
7. Sarmatæ, edaces, ſuperbi, furaces.
8. Boemi, inhumani, nouarum rerum ſtudioſi, ad agendas prædas idonei.
9. Illyrici ſiue Vandali, mobiles, maligni, tumultuatores.
10. Pannones, aſperi victus, cum ſolo aureo, ſuperſtitioſi.
11. Græca natio, qualis nunc eſt, miſera, vt ſemel dicam.

E. Q. De primis cuiuſq; gentis autorib. varii varia cõminiſcuntur. Beroſus ſane Chaldæus & Metaſthenes Perſa ab ipſo Nimroth hiſtorias ſuas inchoarunt, traduntque inter cæter. ; Quod vna hebdomade annorum communium, & ciuilium exacta, Comerus Gallus poſuit Colonias ſuas in regno ſuo, quod poſt Italia dicta eſt. Nomen regioni à ſuo nomine impoſuit. Legem, ac iuſtitiam docuit, teſte Beroſo. *Gentium autores.*

Secunda hebdomade regni Aſſyriorum cœpit regnum Ægyptiorum. Ac Oceanus (quem Miſraim, poſt alios eſſe autumãt quidam) ad Nilum Ægypti conſedit: ac multos ex ſorore Thetide edidit liberos. Inde ſuperuenit ille corruptor humani generis Cham, Saturnus Ægyptius, Chameſenuus ob morum prauitatem à nonnullis cognominatus, vbi Telchines Magicam docens, maxima opinionis fama celebratur, ſecundum Beroſum.

Tunc Chus obtinuit Æthiopiam,

piam, Sabæam Gogus, Arabiamque fælicem cum Sabo patre puer nactus eſt, Triton Libyam, Iapetus Priſcus Athalaa Africã, Getulus Getuliam poſſedit.

Tuyſcon autem Sarmatas maximos populos fundauit, tertia hebdomade regni Aſſyriorum, quo tempore Mæſa cũ filiis Iſtri. priſcos Maſios poſuit, vſque ad ponticam Meſembriam ab Adula monte.

Quadrageſimo anno regni Aſſyriorum aliquot Coloni ex filiis Comeri in Bactrianis ſibi ſedem quæſiuerunt, & Ganges in India ſedem ſui nominis fundauit.

Septima hebdomade regni Aſſyriorũ labente Nemrod (quẽ exiſtimant, vt modo dixi, fuiſſe Saturnum Babylonicum) miſit Principes Coloniarum Aſſyriũ, Mædum, Moſchum, & Magogũ, qui regna cõdiderunt Aſſyrium, Mœdum, & Magogum, in Aſia, Moſchos vero, & in Aſia ſimul & in Europa, teſte Beroſo, ac eadem ætate ſeptimæ hebdomadis aliqui ex filiis Mæſæ, & Getuli iuncti ſimul, primi Maſſagetas in India propagauerunt.

Initio autem nonæ hebdomadis regni Aſſyriorum Iupiter Belus Saturni filius ſecundus fuit Babyloniorum Rex, ac hic deſignata fundamenta ciuitatis Babyloniæ, oppidi magis quam vrbis ſimilitudine erexit, ac pace fruebatur vſq; ſub finẽ regni ſui, Beroſo teſte, & Diodoro Siculo.

Exacto autem primo ſæculo regni Aſſyriorum, ac primo anno ſecundi ſæculi Ianus pater Colonias poſuit, in Arabia fælice Noã ſcilicet & Ianineas.

Qui vero ex poſteritate erant Comeri Galli ab auito cognomine Gallos appellauit, teſte Beroſo.

Ægialeus autem primus Rex Sicyoniorum regnare cœpit antepenultima hebdomade primi ſæculi Regum Aſſyriorum. A cab eo Ægialea nuncupata fuit, quæ nunc Peloponneſus, & Morea vocatur, teſte Euſebio.

Ianus autem circa Arabiæ fælicis fluuium plures Colonias relinquens, & à ſe Ianineas cognominans in Africam ad Tritonem venit.

Triton reliquit filium Hammonem Regem Libyæ, qui accepit coniugem Rheam ſororem, ex Amalthea genuit Dionyſium.

Cham autem venit in Italiam ad Comeros, & non comparente Comero cœpit Colonias regere, atque eas ſcelere nefario, & impietate ſua infauſta corrumpere. Idque euenit exacto primo ſæculo regni Latinorũ, ac primo ſæculo regni Ægyptiorum exacto. Quod tẽpus æquale eſt cum

cen

centeſimo, & decimo quinto anno Regni Aſſyriorũ, ab hoc tempus anni decimi quinti, eſt valde notãdum. Tunc enim cœperunt ceſſare aurea ſæcula tantopere à veteribus celebrata.

Etenim hoc tempore Beli Iouis filius, Ninus appellatus, tertius Babyloniorum Rex omnibus viribus ſuis, omnibus bellum intulit. Nemini vicinorum Principum, aut populorum parcens, cũ nemine firmam vitæ ciuilis conſociationem, aut pacem colens: ſicut Paulus Oroſius, Iuſtinus, & Beroſus teſtantur.

Ninus Sabacium Sagam eo quod magna, & illuſtri hominum gratia florebat, interimere eſt ſæpe conatus: quare etiam toto illius tempore in Bactrianis Sagis delituit. Atque hic Ninus omnium primus Regnum Babylonicum propagauit: & omnium primus, templum Belo patri, & Iunoni Matri: at Rheæ Auiæ in medio oppidi Babyloniæ ſtatuas erexit. Nini victorias, & quas ſuæ ditioni adiecerit gentes, narrat Diodorus Siculus.

Sed Tuyſcon Gigas vir præpotens, & fortis Sarmatas hac ætate legibus formauit apud Rhenum. Idipſum agit Iubal, apud Celtiberos. Samotes, apud Celtas, teſte Beroſo. Et Ianus ex Africa ad Celtiberos Hiſpanos venit, cum apud Libyam lis orta eſſet inter Rheam & Hammonem, ob ſtuprum admiſſum cum Amalthea, quærebatq; Rhea vbi Dionyſius eſſet, vt eum perderet. Sed Ianus omnes Italiæ Colonos diuiſit. Etenim omnes Colonos, Comeros, Conuenas, & Aduenas montana trans Ianiculum amnem colere iubet: eiſq; filiam ſuam Cranam Helernam ſuffragio ab ipſis Reginam electã cum ſceptro dedit. Ac poſteritatem ſuam ſeparatã eſſe voluit ab Aboriginibus cis Ianiculum amnem in planicie, & locis maritimis. Ac Vetuloniæ iura dicebat, atque in Thuſcia Ianiculum ſedem ſibi perpetuam eſſe voluit vſque ad Arnum amnem, vbi Colonias poſitas vocauit Arijn Ianas, id eſt, à Iano erectas.

Sed cum Ninus tertius Babyloniorum Rex ſex hebdomades annorum regnaſſet, & poſt finita aurea ſæcula effluxiſſet ſeptima hebdomas: ecce Therach (Thare alias dictus) ſeptem decades annorum natus genuit Abram, & eo tẽpore Aran mortuus eſt ante Thare patrem ſuum. Ac diuus Epiphanius obſeruauit nunquã ante illud tempus accidiſſe, vt filii ante parentes morerentur, ſed ſemper fuerant parẽtibus antea liberi ſuperſtites, à mundi initio, vſque ad annum ter milleſimum, trecenteſimum, trigeſimum ſecundum. Quam mutationem in

Repub.

Republ. per id rempus accidiſſe obiter, ex Petri Curtii Theologi annotatione obſeruari poteſt, eratque illud ſignum, poſtea immolandi filii Iſaaci, à patre Abrahamo.

Octaua hebdomade annorum vitæ Abram, mortuus eſt Noa Patriarcha, dictus à multis etiam Ianus, anno poſt aquarum ſalutem, & diluuium trecenteſimo, quinquageſimo. *Geneſ. 9.* Quod tempus dimidiã hebdomadem ſæculorum conficit. Septingenti enim anni vnam hebdomadem ſæculorum faciũt, ac centum anni ſæculum vnum. Solebant autẽ veteres Ianum bifrontem pingere, tanquam qui orbem noſtrum ante diluuium, & poſt diluuium vidiſſet. Ianiginæ autẽ Verrumnũ illum appellantes templum illi, & diuinos honores impenderũt.

TH. Sic nimirum Græci & veteres poëtæ res factas ad ludicras auſu temerario peruerterunt ac deprauarunt; ſed enim, quæ vlterius in hac materia proferre in animum induxiſti, proſequere.

E Q. Sciendum, quod circa initium vitæ Abrahami Patriarchæ (à quo Euſebius ſuã exorſus eſt hiſtoriam) qui annus fuit poſt diluuium Noæ trecẽteſimus vna hebdomade annorũ cõmunium detracta, hoc eſt, inquam tribus ſæculis, ſiue centuriis annorum exactis, & initio noui ſęculi, quod à ſalute aquarum quartum fuit, Iuno Ægyptia, cognominata Iſis maxima, ex Rhea, & Chameſenuo in Ægypro nata ſit, frugifera, legifera, ſoror, & vxor Oſiridis, cuius mentionem facit Diodorus de antiq. geſt.

Et apud Aſſyrios eodem anno primo noui ſęculi, Aſcolanita Semiramis, Nini vxor, quarta Regina imperare cœpit, paulo plus quadraginta annis, quæ diuitiis, militia, victoriis, triumphis, & imperio anteceſſit omnes mortales. Ac ipſa Babylonem vrbem maximam ex oppido fecit: vt magis dici poſſet eam ædicaſſe, quam ampliaſſe, teſte Beroſo, Iuſtino, & Oroſio.

De Semiramide autem, & Babyloniæ ſitu, & ſacris vidẽdus eſt Herodotus, & Diodorus Siculus, qui eius ortum, ingenium, mores, formam, pompas, triumphos, luxum, pulchre narrat.

Atq; hoc tempore quod incidit in Quadrageſimum annum Iani apud Latinos regnantis, in Italia apud Ianigenas, Rezenuos, Veſta vxor Iani ſempiternum ignẽ cuſtodiendũ virginib. puellis ſacra edoctis tradidit. Ac poſtea Sabacius Saga, cum Iano patre regnauit, qui Sabacius Sabum pręfecit Sabinis, & Aborigínibus. Ipſe iuxta Ianiculum cum aliis Curetibus regionem coluit, & ibi obiit.

Cum in Libya regnaret Cham, peperit ex Rhea ſorore Oſitim, quem cognominauerunt Iouem, teſte Diodoro, & Beroſo.

Et initio quidem vitæ Abrahami Dionyſius Hammonis filius armis ſumptis Rheam, & Chameſenuũ regno paterno pellens, & ſenem Oſirim retinens, in filiumque adoptãs eum à patre ſuo Hammonem Iouem cognominauit, vt à magiſtro Olympo Olympieum, eiq; totius Ægypti regnum tradidit.

Ac in eodẽ exordio vitæ Abrahami, virgo Pallas apud Tritonidem Lacum, infantula expoſita, ab eodem Dionyſio (Ioue Libyco etiam cognominato) adoptata in filiam fuit, quæ omnem militiam prima Libycos docuit. Ac in eodem vitæ Abrahami auſpicio Ianus pater apud Latinos, ritus, & rituales ſcripſit libros, & multa literis ad philoſophiã pertinentia mandauit.

Atq; hæc ad hiſtoriarum, numerorum, ponderum, menſurarum, viciſſitudinum, temporum, & reip. veteris in ſpeculo repræſentatam imaginẽ dicta ſufficiãt.

PH. Fuit aliquando tempus, quo exigua erant regna fineſque poteſtatis publicæ anguſti, vnoquoq; rectore ſuis contento & nihil aut pauca à vicinis deſiderante, diligẽter ſibi cõmiſſos paucos [illegible], ſemota ambitione latius regnãdi, aut ſubiiciendi ſibi alienigenas, *vt ait Iuſtinus in principio.* Vnde antiquitus plures memorãtur fuiſſe reges ſeu reguli, quos hodie dignamur nomine Marchionis, aut Ducis aut Comitis. Erantq; tunc veluti nati cum ipſa terra indigenę αὐτόχθονες tam imperantes quam ſubditi, & paucis legibus contenti, vt qui ex moribus conſuetis, à maioribus traditis, viuerent pacifice, & veluti cum illis nati & his cum lacte aſſuefacti.

TH. A primo creato Adamo, omnium aliorum hominum numerus dependet, è latere ipſius producta prius cõiuge Eua: & ex vtroque generatis reliquis mortalibus; dehinc mortuis primis generantibus relictis filiis, ſinguli cœperunt à ſe genitos ſeorſum procurare: & inde ſecuta diuiſio per familias ſeu domos, quarum numero continentur & filii, ſerui, ancillæ, & poſtea clientes, qui ſe principalibus familiæ vel fœdere vel fide deuinxerant, vel illis ſe commiſerãt, vel bona ab illis colenda acceperant. Sic itaque coierunt in vnum plures familiæ, & in eodem loco habitarunt commodioris vitæ cauſa. Hinc *vici* facti ex domibus coniunctis vicinalibus: dehinc ex vicis, *pagi*: ex pagis *vrbes* aratro circumſcriptæ, muris clauſæ politiori vita inſtitutæ, ex ciuitatibus rurſum

rurſum ciuibus abundantibus, abducti coloni in proxima loca vel in alias regiones, vnde *coloniæ* dictæ, quæ obſeruarunt, vt præcipuam originem, ciuitatem illam & patriam, vnde ductæ fuerunt, & ideo *matricem* vt præcipuam coluerunt, ab ea leges receperũt, ei teſtimonium cognationis, tributis, ope, auxilio pecuniarum & perſonarum, dum opus fuit, præbuerunt. A matricibus rurſum, aliiſque vicinis ciuitatibus, alicuius viri ſuperioris electa induſtria, opera & protectio: facta inde *regna*: ex pluribus ſubditis regnis *imperium*.

Principatus domeſticus.

E Q. Fuerunt primitus familiæ ſub imperio patrisfamilias, qui erat princeps ſocietatis illius familiæ, eiq; prouidebat & à quo propagati primum fuerunt. Diuiſis familiis, diuiſi ſimiliter ſingulares rectores earum; ex familiis primis aliæ poſteriores ortæ, ſocietates maiores coniunctæ, pagos, primum, poſtea ciuitates conſtituerunt: qui illis præerant primum, reges vel rectores fuerunt ſocietatis ciuilis: hinc gentes & coloniæ ex ciuitatibus proceſſerunt, vnde & reges poſtea illis quoque propter conſanguinitatem primum. Quamdiu autem viuebat ſenior vnius familiæ, tamdiu is imperium gerebat: & filii nati pendente vita eius, non principes ſuorum natorum vel familiarum additarum, ſed duces dicebantur ſub imperio ſenioris, vt oſtendit *cap. 36. Geneſ.* dum de Idumæorum ducibus agit viuente Eſau, qui erat pater Idumæorum. Eo autem parte mortuo, filii ſinguli ſuas familias ex ſe natas habebant, & imperium in ſuos. Atque hæc prima fuerunt regnorum legitimorum incunabula.

PH. Manſerunt etiam alicubi veſtigia quędam antiquorũ principatuum, qualia ſunt inter cætera: *Seigneur*, is qui quibuſdam Dominus dicitur, à verbo *ſenior*; & in quibuſdam rebuſpublicis qui adminiſtrant, dicuntur *anciains*, quaſi dicas *antiqui*: & in Germaniæ finibus, *maieur*, quaſi maior ætate, per corruptam pronunciationem, alicubi *maiora, à maiori* nomine. Poſſunt & domini adhuc dici principes à domibus à quibus cœperunt legitimi principatus in familiam, & ea propagata in eiuſdem gentis homines.

E Q. Summa huc recidit. Ante nimiam illã principatuum affectationem multi fuerunt reges ſeu reguli in omnibus orbis regionibus, qui fuerunt ſingularum ciuitatum veluti rectores & principes, vel ſeniores, cõtenti ſuis finibus & coloniis, vt

Digitized by Google

ex *Geneſ.14. & 18. cap.* & aliunde colligi poteſt. Et circa Iordanem fuerun reges *30. Ioſ.12.* At vbi poſtea inceſſit dominandi libido, vicinos ſubiugandi deſiderium, inanis poſſidendi gloria, efferari cœperunt homines, ad bella, ad prædas cõuerſi: inſtituta paterna & patria labefactata, neceſſitas defendendi impoſita, nationes nationibus diuerſis coniunctæ, mixtæ, corruptæ: inſtituta diuerſa deſiderata, noui modi viuendi ex diuerſis, pro occaſione oblata tẽperati: & ex malis moribus bonæ leges reformatrices ortæ, debiliores populi à fortioribus ſuperati, illorũ legibus regi cœperũt, abdicatis propriis. Et hinc ſecutę ſunt rerum publicarum diuerſæ adminiſtrationes, populorum, ciuitatum, oppidorum & regnorum diuerſæ ſocietates.

Homines an primitus beluinam vixerint.

PH. Proinde nugantur ii, qui fingũt homines primũ palantes in ſyluis habitaſſe feros, & poſtea ad ſocietatem & ciuilitatem conuocatos, & principes inde ortos, vt videtur ſentire Vitruuius & alii.

TH. Non eſt negandum, fuiſſe ab initio, diſgregationis quoſdam homines, qui efferatæ naturæ & deſerta loca inhabitantes, ab omni humanitate & ciuili vel ſociali vita ſe ſeparauerint, ſylueſtres, barbari, moribus inculti, ſine religione & Deo, qui à maioribus degenerarunt, non aliter quam lolium à tritico; apud quos quidem aliqua permanſit ſocietas & formula iuſtitiæ, non alia tamen quam quæ eſt inter latrones. Sicut ante diluuium Cain poſt necatum fratrem, egreſſus à facie Domini, habitauit profugus in terra ad plagam orientalem, & primus dicitur ædificaſſe ciuitatem, quam ex nomine filii ſui vocauit Henoch, ibique primi regni, aut potius latrocinii, quo pii ad diluuium vſque infeſtati fuerunt, formam & ſedem cõſtituit. Talibus propemodum initiis conſtat regnum Turcicum.

Principatuum initia.

EQ. Extant in hiſtoriis multi principatus, quam Turcarum longe antiquiores, qui identidem ab exiguis initiis adeo excreuerunt, vt & armis domauerint poſtea & oppreſſerint ciuitates, prouincias ambitu, dominandique cupiditate, & vt ditarentur ſpoliis aliarum nationum. *Primum*, inquit Thucydides in 1. *Græci olim & barbarorum quicunque in continenti maritimi erant, quique inſulas incolebant, vbi cœperunt crebrius alii ad alios nauibus tranſire, ad latrocinium conuerſi ſunt, ducibus viris mediocris potentiæ, tum ſui quæſtus tum pauperum victus gratia, atque adorti ciuitates, muro vacantes vicatimque habitatas, diripiebant,* ac

ac maximam victus partem hinc comparabant, nullo ob id pudore, cum nonnihil id gloria adferre videbatur, imo latrones ſe dicebant. Et hæc fuerunt illis indebiliores, dominandi principia, vt & piratis cæteris, quos partim Minos in Græcia expulit in ſe prædam transferens, & imperium maius & minoribus piraticis conſtruens, vt Pompeius ſuo tempore nomine Romanorum. Equidem illi parui latrones: Monarchæ vero, qui armis finitimas ſine cauſa inuaſerunt, magni latrones. Qualis & Alexander Magnus, cui nec vniuerſus ſibi ſufficere videbatur orbis, prædis, cladibus populorum nobilitatus. Item Sylla, Marius, Iulius Cæſar, & cæteri ſimiles, qui ſibi vſurparunt aliorum dominationes variis artibus, & crudeliſſimis facinoribus aut dolis. Siralces Thracum rex cum anguſti admodum agri regnum accepiſſet, fortitudine & prudẽtia in diuerſas gentes, amplum ſibi parauit imperium.

PH. Amazonum regnum, longe mirabilius habuit initium: cuius meminit Iuſtinus ex Trogo, *libro 2.* apud Scythas inquit, tempore Nini, duo regii iuuenes Phynio & Scholoythus, per factionem optimatum domo pulſi, ingentem iuuẽtutem ſecum traxere, & in Cappadociæ ora, iuxta amnem Thermodoonta conſedere, ſubiectoſq; Themiſcyteos campos occupauere. Ibi per multos tot annos ſpoliare finitimos conſueti, conſpiratione populorum per inſidias trucidantur. Horum vxores cum viderent ex ſilio ſuo additam orbitatem arma ſumpſere, fineſque ſuos ſubmouentes primo, mox inferentes bella, defendunt, & ita interfectis etiam qui domi remanſerant viris, regnum inſtituerunt reginarum duarum.

EQ. Sic nimirum natura cõparatum eſt, vt exiguis principiis orta, in amplitudinem perueniant.

Nam mora dat vires, teneras mora præcoquit vuas,
Et validas ſegetes, quod fuit herba facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus vmbras,
Quæ poſita eſt pomum tempore virga fuit.

Regnum Aſſacinorum fuit olim vicinum terræ promiſſionis exiguum, non pluſquam tredecim ciuitates ſeu oppida & caſtra cõtinens, quorum incolæ ſine fine & lege viuebant, cuius rex à vicinis regibus, imo & totius orbis timebatur: non quidem ob ſtrenuitatem aut potentiam, quæ quidem exigua erat: ſed quia habebat ſubditos ita mandatis eius ſedulo obtemperantes, vt pro

Digitized by Google

exſequendis illis libere & ſponte morti cuiuſcunque generis ſe offerrent, & proinde reges & principes qui armis & aliis contentionibus inter ſe dimicabant, & odia vindicabant, illum Aſſacinorum regem rogabant, vt vnum aut duos ſibi mitteret, qui inimicum ſuum necarent: quod ſi à rege impetraſſent, procul-dubio eam ob rem miſſi Aſſacini mandata ſibi à rege omni ſtudio exſequi conabãtur, nec vnquam ab eo quieſcebant animo, donec mandatum ſibi regem aut hominem, interemiſſent, nihil metuẽtes, deprehendi vel intercipi, vel ſupplicio deprehenſi affici. Horumque metu inoleuit mos & conſuetudo regum Gallorum, ſatellitibus & militibus ſtipatos incedere, quia deprehenſi ex huiuſmodi hominibus quidam miſſi à Turcis, vt regem necarent. Durauitq; id regnum Sicariorũ hominum, vſque ad Mangonem Caanum ſeu imperatorem Tartarorum, qui data manu armata Halconi fratri regis Armeniorum, inuaſit prædictum regnum Aſſacinorum ex improuiſo, excepto caſtro vel caſtello Tygado, vbi rex Aſſacinorum habitabat tanquam in loco munitiſſimo, quo loci paſſus eſt & ſuſtinuit obſidionem Tartarorum per 27. annos, poſt quos ob defectum veſtimentorum non alterius rei ſe dederunt regi Armeniæ, & Aſſacini inde pulſi, necati vel relegati, vt ſcribit Hayronus Armenius.

PH. Carthaginenſium imperium, ſi credamus Appiano Alexãdrino, propemodũ ridiculum habuit initiũ, annis 50. ſecundum illum, ante conditum Ilium. Siquidem ſcribit, Didonem mulierem Tyriam poſt maritum ſuum à Pygmalione Tyri Tyranno interfectum, cum theſauris & viris multis in Africam tyrannidem fugientes, veniſſe & petiſſe ab Afris tãtum loci ad incolendum quantũ tauri tergus comprehenderet. Riſerunt illi Phœnicum ſordes & puduit tantillã rem pernegare. Phœnices vero ſecto in orbem corio ſic vt vnã corrigiam efficerent tenuiſſimam circũdederũt locum vbi fuit arx Carthaginenſium, quam inde Byſram nominarunt. Dehinc procedente tempore ex hac ſede incurſantes finitimas & vincentes, nauib. quoque victum quærentes more patrio, arce vrbem circumdederunt, iamque potentes obtinuerunt Africam, mari late imperãtes, Sardiniam, Siciliam, Hiſpaniam, paſſimq; deductis Coloniis ſic imperium acquiſierunt Græcorum cõferendum viribus, Perſarum vero opibus. Idem fere & ſimile initium regnandi Saxonibus, in Anglia. Nam cum Britan-

Digitized by Google

niæ partem Scoti & Picti occupaſſent, nec amplius reſiſtere poſſent, vocarunt Ethnicam Anglorum gentem, nempe Saxones in auxilium & ſui defenſionem, quibus tantum terræ datum eſt, quantum corium tauri per corrigias potuit extendi, vnde poſtea gens illa ſibi dominationem vſurpauit, vt ſcribunt Crantius, Polydorus Virgilius, & Sigibertus.

Migratio-nes gentium

E Q. Effecit etiam aliquando neceſſitas, vel ambitio populi, vt relictis propriis ſedib. in quibus ſatis commode viuere non poterant, in alias commigrandum regiones putarent ſatius. Et ita immiſerunt quaſdam nationes, vel vicinas vel diſtantes, imperia & gubernationes, vt poſſeſſiones ſibi vindicarent. Sicut Heluetii tempore Iulii Cæſaris decreuerant Galliam occupare, & ideo de finibus ſuis cum commeatu trium menſium egreſſuri oppida omnia ſua incenderunt numero ad duodecim, vicos ad quadraginta, & priuata ædificia, omneque frumentum, præter quod portaturi erant, vt domum reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia ſubeunda pericula eſſent. Et ita eius rei gratia duces ſibi conſtituerunt.

Diuerſi vrbium conditores.

PH. Mens hominis ambulatoria eſt vſq; ad mortẽ. Ideoq; facile inducũtur homines, præſertim ſi morbis, fame aut bellis pulſi patrium ſolum deſerere cogũtur, vt nouas ſedes quærãt, idq; aut ſoli & per ſe, aut duce aliquo. Quique hoc modo patria pelluntur ii aut vrbes occupant iam ante cõditas ab aliis, eaſq; inhabitãt, ſicuti Moſi cum ſuis accidit: aut nouas ipſi condũt, veluti Ænea duce Troiani fecerũt. Sed & ipſi ab antiquo indigenæ ad vrbem condendam ꝓmouentur, cum intelligũt ſe hinc inde in exiguas partes diſperſos, tutos eſſe non poſſe cũ nequeant ſingillatim externã vim ꝓpulſare: nec fieri poſſit etiã vt in repentinis caſibus atq; periculis cõuenire ſtatim queant: adeoq; periclitari ſe agnoſcunt, ne quãdo hoſti prædæ futuri ſint: ob eamq; cauſã inſtinctu præſertim cuiuſpiam, qui inter ipſos prudẽtior eſſe videatur, conueniunt in vnum aliquem locum, quẽ & ad victum comparandum commodiorem, & ad defenſionem maxime oportunum arbitrantur. Huiuſmodi fuit Athenienſis, ac Venetæ vrbis condendæ occaſio: nam priorem, duce & ſuaſore Theſeo, condiderunt indigenæ eius loci, poſtquam prius varie diſperſi fuiſſent. Venetias autem extruxere itidẽ muniendi ſui cauſa inſularum earũ incolæ, quæ in Adriatici maris ſinu continẽtur. Romano n. Imperio declinãte eas inſulas multi occupauerant, vt à Barbarorum, qui

ſubinde Italiam inuadebant, tyrannide tuti forent: atque iidem deinde ſucceſſu temporis abſq; vllo principe, vrbis fundamenta iecerunt: & ſponte ſua itidem in ipſis initiis, ſe iis legibus munierunt, quibus conſeruati poſſe, ſperarent. Nec defuit eorum induſtriæ fortuna: ſiquidem ex loci opportunitate, ad quem Barbaris qui Italiam affligebant, ob nauium inopiam, aditus minime patebat, otium & tranquillitatem nacti, ex paruis initiis, ad magnā imperii magnitudinem, ſicuti hoc tempore videre eſt, peruenerunt.

Reipublicæ forma attendenda.

E Q. Non vrbium tantum condendarum ratione ſitus atq; commoditatum habenda ratio, ſed inprimis curandum, vt forma Reipublicæ quam optimè mox ab initio conditæ vrbis conſtituatur. At vero & hic non minus quam in vrbium fundamentis ponendis, & diuerſę legum & inſtitutorum rationes exiſtere cōſueuerunt. Quibuſdam enim ſtatim ab initio, aut non multo poſt leges ſimul omnes ab vno quopiam conditæ fuerunt: cuiuſmodi eæ erant, quas Lycurgus Spartanis dedit. Aliquibus autem non niſi caſu, & per interuallum leges contigerunt: prout ea, quæ diuerſis temporibus accidebant, his aut illis legibus occaſionem darent: quod Romæ accidit. Longe autem fælicior eſt ea Reſpublica cui ſtatim ab initio prudentiſſimus vir aliquis contingit, à quo ita legibus inſtituatur, vt non ſit opus, eam deinceps aliis nouis legibus emendare: ſic enim Spartanos cernimus, quod Rempublicam ſtatim à principio legibus ſufficienter munitam habuiſſent, ſupra octingentos ānnos pacifice & abſque vllo inſigni aut periculoſo motu vixiſſe. Et infælicior è contra cenſenda ea fuerit, cui non ſtatim contingit tam ſapiens quiſpiam moderator, à quo bene inſtituatur: ſed neceſſum habet ſubinde nouas leges & inſtituta excogitare, vt melius inſtitui queat: tantoque etiam miſerior vnaquæque ſemper eſt, quanto primis ſuis inſtitutis magis à recta via aberrauerit. Et quæ primis inſtitutis omnino corrupta fuerit, ea nunquam in tales caſus incidet, propter quos, nouis legibus perfecte inſtitui queat: Etenim quæ Reſpublicæ ab initio, etſi non perfecte, mediocriter tamen inſtitutæ ſunt, ex iis quæ ſubinde occurrunt, emendari & perfici queunt, ſed ita vt in his mutationibus, ne ipſæ quidem periculo careant. Tanta nimirum eſſe ſolet populi importunitas, vt nunquam vnanimi conſenſu nouas leges & inſtituta admittat, ſi non id plane neceſſarium cognouerit. Et quia huiuſ-

huiuſmodi nouarum legum aperta neceſſitas, nunquam ſine periculo apparet: facile euenire poteſt, vt corruat plane Reſpub. in his mutationibus, priuſquã legibus perfecte inſtituatur.

PH. Mutæ rerum publicarum atque repentinæ primis præſertim temporibus, atque ſub ipſis rerumpublicarum incunabulis, metamorphoſes paſſim inciderunt. Atque hinc illa de tribus rerumpublicarum formis ſiue ſpeciebus, Monarchia videlicet Ariſtocratia & Democratia (quibus aliqui tres adhuc addũt, Tyrannidem, Oligarchiã & populi licentiã, quas peſſimas aiũt atq; è quarum vna ſi reipub. forma cõſtituatur, haud fore diuturnã aſſerũt, priores autem tres ſua quidem natura bonas, ſed ita tamen affectas eſſe, vt in malas facile degenerare queant) tot volumina, tot diſſertationes politicæ.

EQ. Huiuſmodi Imperiorũ & rerum publicarum varietas, caſu prope in hominum ſocietate originem habuit. Nam cum ab initio mũdi homines primum pauci eſſent, diſperſi hinc inde haud dubie vixerunt. Poſtea autem numero aucti conuenerunt, & vt ſe melius defendere poſſent, de cuiuſq; robore & fortitudine periculum fecerunt, vt illum tãquam ducem ſequerentur, quem fortiſſimũ eſſe conſtaret. Ex quo inſtituto ſimul etiam orta eſt Honeſti inhoneſtiq; diſtinctio; quod omnes odio habeãt eum, qui eos læderet, à quibus beneficium accepiſſet; & miſereretur eorum, qui iniuriam paterentur. Itaque ingratos odio habentes, & ſimul metuentes ne idem ſibi contingeret, ad leges ferendas & ſanciendas mouebantur, quib. huiuſmodi iniuriæ punirentur. Sicque paulatim ipſius iuſtitiæ ratio vniuerſa patefacta eſt; vt deinceps in eligendo Principe non tam corporis robur, quam animi virtutẽ, iuſtitiam præſertim atq; prudentiam conſiderarent. Sed poſtquã ſucceſſu temporis deinde cœptũ eſſet homines ad Principatum iure hæreditario, non libera electione promoueri: degenerare ſimul etiam cœperunt hæredes à maiorum morib. & derelictis virtutis actionib. ſatis eſſe exiſtimarunt ſi reliquos homines opibus delitiiſq; ſuperarent. Quo factũ eſt, vt in multorum odium ſimul etiam inciderent. Odium timor ſequebatur, qui eo vſq; progreſſus, vt maioris mali metu vindictam quoq; pareret, aduerſus eos qui timebantur; occaſionem dedit, vt ex Principibus, Tyranni fierent. Atque hinc iam initium habuit ruina illorum. Nam cum optimi quique & potentiſſimi, huiuſmodi Principum Tyrannidem ferre nõ poſſent, & indigna

rentur quod vitam vſque adeo turpiter tranſigerent; coniurare cœperunt aduerſus illos, & populi multitudine adiuti Tyrannos expulere: populus igitur ipſe Tyrannidis iugo liberatus, libenter iis optimatibus parebat, quorum authoritate libertatem fuiſſet conſecutus; quoniam non ipſe, ſed ii primum fuiſſent auſi, aduerſus Tyrannidem conſilia tractare.

Quæ cum ita eſſent, optimates, quibus formidoloſa fuerat vnius potentia propter recentem Tyrannidis memoriam, ex ſuo ordine Magiſtratum deligebant, atque is principio, Rempublicam bene gubernabat, legibus recenter latis parebat, & publicam vtilitatem priuato præferebat commodo.

Sed qui ex hoc optimatum Magiſtratu nati, paulo poſt Reipublicæ præficiebantur ignari fortunæ varietatis, minimeque rerum vſu atque experientia pollentes, ſuperbire & ipſi ſolebant; contemptaque ea, quæ inter ciues eſſe debet, æqualitate & proportione; ambitioni, auaritiæ & luxuriæ ſeſe dedebant. Atque hac ratione à maiorum virtute degenerantes; efficiebant, vt Reſpublica ex optimatum adminiſtratione paulatim in paucorum potentiam incideret: Quibus pro ſua libidine omnia adminiſtrantibus, facile rurſus idem accidebat, quod ſuperiori Tyranno contigiſſet.

Nam cum eos ob vitam luxui deditam, & res male adminiſtratas, neceſſe eſſet in odium populi incidere; & odium iniuriæ comitari ſoleant: inſidias tumultus & ſeditionis euitare inquiuerunt: quibus tandem populi multitudine, ipſi quoque occaſione aliqua expulſi, Democratiæ occaſionem darent. Etenim populus Oligarchia expulſa, & memor iniuriarum quas accepiſſet cum à paucis hiſce præpotentibus, tum ante ab vnius Tyranni libidine, ipſe ſibi imperium retinere, ne quicquam paucorum præpotentium aut etiam principis vnius arbitrio ſubiicere volebat.

Democratia ergo inſtituta, in principio, perinde vt in reliquis Reipublicæ formis, res bene & pacate adminiſtrabantur: quamdiu illi ſcilicet viuerent, quorum opera hæc libertas fuiſſet comparata. Sed defunctis hiſce, ſtatim in eorum

rum poſteris nimia licentia tranquillitatem corrumpebat: quod nemo quenquam metueret, neque priuatum, neque munus aliquod à Republica gerentem, ſed quiſque ſuo modo uiueret: ex qua re ſeditiones ſubinde oriri; & alios ab alus iniuriis ſæpiſſimè affici oportebat, in quibus conſtituti calamitatibus, neceſſitate quadam tandem compellebantur rurſus, aut certe ad vitandum hoc malum, ab excellenti aliquo & ſapiente viro mouebantur, vt vnum aliquem principem eligerent, cique omnes parerent.

Et ad Monarchiam quidem hac ratione reuerſi, iiſdem quas paulo ante dixi, cauſis & occaſionibus, temporis ſucceſſu, denuo ad alias atque alias Reipublicæ formas delabuntur, donec ad eandem populi licentiam reuertantur. Hic eſt circuitus, quo Rerũpublicarum formæ mutantur.

PH. Omnis mutatio eſt periculoſa, proinde huiuſcemodi Rerumpublicarum mutationes citra præſentiſſimam ſyſtematis politici iacturam non ſuſcipiuntur, vel hac etiam ratione, quia in huiuſmodi mutationibus inuidia, quæ, vt inquit Democritus, ſeditionis parit initium vel maxime ſolet concurrere.

Proinde ſatis eſſe videtur, quo omnibus ex æquo ſatisfiat, omniſque inuidiæ via obſtruatur, aliam quandam Reipublicæ formam deligere, quæ ex Monarchia, Ariſtocratia & Democratia compoſita, quodammodo eſſet, & omnium trium temperie quadam conſtans, mutuo vnius ad alteram reſpectu firmior foret atque durabilior. Inter cæteros autem legislatores, maximam laudem ex huiuſmodi Reipublicæ inſtitutione, conſecutus eſt Lycurgus, apud Spartanos: apud quos ita leges inſtituit, vt regibus ſua dignitas, Optimatibus ſua potentia, & populo legitima libertas conſerua-

ſeruaretur: atque ita Rempublicam ordinauit, vt ad octingentos annos ſine vllis motibus fæliciſſime durarit. Contrarium accidit Soloni apud Athenienſes: nam cum eius leges ad populi libertatem ſolam ſpectarẽt, & meram Democratiam inſtituerent: minime diuturnã Reipub. formã conſtituit, ita quidem vt antequam ipſe è viuis decederet, Piſiſtrati Tyrannidem viderit. Et quamuis quadrageſimo anno poſt eius hęredes expulſi fuerint; & Athenienſes recuperata libertate, priorem Democratiam, ſecundum Solonis leges, reſtituiſſent: non eam tamen conſeruare ſupra centeſimum annum potuerunt.

Romanorũ Reſpublica.

EQ. Romana etiam reſpublica diuerſis temporibus diuerſiſimode gubernata fuit. Primum per Reges, deinde regibus exactis, per annuos conſules, per decemviros cum poteſtate conſulari creatos: rurſus per conſules, deinde per tribunos militũ: poſt per repetitos conſules. Poſtremo per dictatores perpetuos ceu αὐτοκράτορας. Floruitque durando ſub regibus ducentos & quadraginta annos: ſub Conſulibus ante decemvirorum poteſtatẽ quinquaginta ſeptem: ſub decemviris tres duntaxat; quib. exauctoratis iterum ſub conſulibus annos quinque. Poſtea tribuni militum præfuerunt pari cum conſulibus poteſtate: cuius imperii totum tempus fuit annorum ſeptuaginta & octo: ſic tamen vt quibuſdam annis tribuni vna cum Coſſ. quibuſdam ſoli ſine Coſſ. & quibuſdam ſoli Coſſ ſine tribunis imperitarent. Affecta poſtmodum faſtidio huius gubernationis Reſpubl. rediit ad Coſſ qui ſoli præfuerunt, vſque ad C. I. Cæſaris tempora, dictaturam perpetuam iure quodam hæreditario ſibi arrogare volentis, cui Octauius Auguſtus & cæteri Imperatores ſucceſſere.

PH. Fuerunt Romani in conſtituenda iuſta Reipublicæ forma admodum ſeduli ac circumſpecti. Hine tres illi populi Romani ordines, Senatorius nimirum, equeſtris & plebeius, quos Auſonius hoc vnico verſu comprehendit:

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

Hinc duo illa Magiſtratuum genera, vnum pertinens ad religionem: alterum ad rei ciuilis gubernationem. Hinc illæ triginta curiæ ita dictæ, quas primus Romanorum rex Romulus primit⁹ è populo ſelegit atque conſtituit, fuerunt viri prudentia atque authoritate inſigniter conſpicui, Curiæ dicti, quod earum

ſententia

ſententia, autore Pomponio I.C. totius reip. cura expediretur. In ſua enim quiſque curia, aſſertore Feſto, ſacra publica obibat curãdo, feriasque ſolennes obſeruabat; quibus triginta curiis, aucto poſtea populo, additæ ſunt aliæ quinque. Hinc curiatum præfecti Curiones: & curionum decuriones. Hinc Curio maximus, cuius autoritate curię omneſque curiæ regebantur. Hinc tres illæ populi partes ſeu tribus, & earum principes tribuni, vel à numero vel à tributo, quod in iis cenſus æqualiter tribuendi & conferendi eſſent. Hinc illæ curiarum decades. Hinc illæ claſſes & centurię in quas Seruius Tullius, ſextus Romanorum rex populum Romanum diſtribuit, atque exinde cenſum conſtituit, rem maxime ſalutarem tanto futurã imperio, ex quo belli paciſque munia non viritim, vt antea, ſed pro habitu pecuniarum fierent; ordo & paci decorus & bello. Hinc quinque illæ claſſes in populo Romano ex cenſu deſcriptæ, hoc modo atq; ordine: Primæ claſſis cenſus fuerunt Centuria, arma, tela. Secundæ claſſis cenſus fuerunt arma, ſcutum pro clypeo & lorica. In tertia claſſe nihil quicquã de armis mutatum præter ocreas, habito pręſertim ætatis diſcrimine. In quarta claſſe arma quoq; mutata, nulla tamen præter haſtam & verutum. Quinta claſſis aucta, Centuriæ triginta factæ. Fundas lapideſque miſſiles ſecum pro acceſſorio gerebãt. Sextam ex Polybio, πολυγραφικώτατος ille, Iuſtus Lipſius ſubtexuit, numeroſam maxime, diſtributam iterum in tres quaſi claſſiculas pro cenſus ratione. Hinc accẽſi, hoc eſt, milites ad obſequia deputati, quales erant Cornicines & tibicines, in tres cẽturias diſtributi, Fl. Vegetio auctore. Hinc duodecim illæ ex primoribus ciuitatis ſcriptę equitũ centuriæ. Hinc illa dena millia æris ad emendos equos ex publico data. Hinc illa duo comitiorum genera, curiata & centuriata, è quibus tamen curiata fuerunt antiquiora, quibus etiam Romulus vſus eſt, qui voluit reip. curiam per ſententias curiarum expediri. Centuriata vero dicta fuerunt, cum populus cenſu, ordinibus ætatibuſq; deſcriptus adhibebatur in ſuffragium ac cẽturiatum, hoc eſt, per ſingulas centurias calculus vnus pro ſuffragio habebatur. Hinc Comitia illa calata ita dicta, quando duo iſthæc comitia ꝓ collegio pontificum, aut regis ſacrorum, aut flaminũ inaugurãdorum cauſa habebantur. Erantque ea comitia curiata, cum populus curiatim calabatur, hoc eſt, conuocabatur per lictorem. Centuriata vero (quæ etiam magna & iuſta à Cicer. dicuntur)

cum per cornicinem. Hinc illa comitia tributa, quæ tamē à nonnullis cum curiatis confunduntur, propterea quod in huiuſmodi comitiis populus ſuffragia viritim ferebat, ſicut in curiatis illis. Hinc leges illæ centuriatæ & curiatæ, hoc eſt, comitiis curiatis & centuriatis conſtitutæ. Hinc maiores magiſtratus, Cōſules nempe, prætores & cenſores, maiores dicti, eo quod auſpiciis maioribus fierent. Hinc magiſtratus minores, vt Quæſtores & Ædiles. Hinc proletarii & capite cenſi, ſic dicti, quod minoris eſſent cenſus, quā in claſſibus deſcriptum erat; qui etiam nunquam milites ſcribebantur, niſi in tumultu aliquo maximo, eo quod familia his ant tenuis aut nulla eſſet. E quibus tamen proletariorum ordo honeſtior & re & nomine, quam capite cenſorum fuit. Nam aſperis reipubl. temporibus, cum iuuenes inopia premerētur, in militiam tumultuariam legebantur, armis hiſce ſumptu publico præbitis. Atque hi non à capitis cenſione, ſed à numero officioq; ꝓlis edendæ appellati ſunt: quod cum rempubl. minus iuuare poſſent re familiari, ſobolis tamen gignendę copia ciuitati adeſſent. Hinc leges illæ grauiſſimæ: Lex Valeria, vetans, ne quis qui prouocaſſet, virgis cæderetur, aut ſecuri percuteretur. Lex Portia, pœnam indicēs, ſi quis verberaſſet dolove internecionem attuliſſet ciui Romano. Lex Sempronia, ne de capite ciuium Romanorū iniuſſu populi iudicaretur, qui iudicaſſet, vt in eum populi animaduerſio eſſet. Lex Iulia iubens eum, qui cum imperium poteſtatemve haberet, ciuem Romanum aduerſus prouocationem necaret, verberaret, iuberet quid fieri, aut quid in collum iniiceret, vt torqueretur iſte, & de vi pœna teneretur. Hinc ius illud Latii, differens tamen à iure ciuitatis, & habebat originem ex fœdere, quod cum priſcis Latinis Romani pepigere. Pacem enim cum victis fecerunt, iis conditionibus, vt poſthac Latini ſuis legibus & ſuo iure viuerent: milites in bello darent, hoſteſque communes cum Romanis haberent: in bellis & expeditionibus tertiam prædæ partem acciperent: ipſique ſocii & amici populi Romani dicerentur. Fuit autem conditio Latinorum hoc deterior, quod omnes illorum res pace belloque ex nutu atque arbitrio Romanorum penderent. Nam licet eſſent liberi, nihil tamen publice decernebant ſine aſſenſu populi Romani.

E. Q. Vel tandem in dicendo colophonem appones. Magna ſane olim gloria fuit, ſi quis iure

atq;

atque immunitatibus ciuitatis Romanæ donaretur, affirmatque Suetonius, Auguſtum Cæſarem non niſi ciuitates benemeritas de Republica latinitate ac ciuitate dotaſſe. Quid vero exinde lucri? Sigonius *libro quarto, capite primo, de antiquo iure Romanorum*, ciuem Romanum appellat eum, qui iura eadem honoreſque ac immunitates cum Romanis habet, licet alio atque alio modo id contingat. Franciſcus Patritius *libro primo, titulo tertio, pagina decima ſexta de Republica inſtitutione*. Ciuis, inqt, eſt indigena loci, ingenuis parentibus oriundus, vel is qui à magiſtratibus vel legibus ciuitate donatus eſt. Nihil adhuc audio magnificum.

PH. Imo vero ampliſſima ciuium Romanorum fuerunt iura atque priuilegia, omnibus ac ſingulis ciuibus Romanis communia, qualia fuerunt: 1. Magiſtratus cum cæteris ciuibus creare. 2. Leges ferre. 3. Iudicia exercere. 4. In cenſum deferri. 5. Romæ, ſi libitum ſit, cohabitare. 6. Hereditates & legata adire. 7. Iure gentilitatis, agnationis, adoptionis, togæ ferendæ vti. 8. In legionibus Romanis militare. 9. Denique quicquid in gratiam & fauorem populi Romani factum ſit, eo poſſe vti, frui, peculiari conceſſione legum. Horum autem priuilegiorum ac iurium hoc fuit incentiuum. Conſtitutum apud omnes Romanos ab initio conditæ vrbis fuit, formare rempublicam liberam.

Quamobrem etiam Reges, qui libertatem ipſorum labefactare conati fuerunt, regno expulerunt, & in eorum locum ſtatim binos crearunt Conſules. Quinetiam Nobilitas ſucceſſu temporis inſolentior & nimis arrogans reddita, plebem aduerſus ſeſe concitauit: quibus in motibus, ne imperium totum amitterent Optimates & Conſules, populo quoque coacti fuerunt ſuas in Republica partes concedere: ita tamen vt iis nihilominus conueniens honoris & potentiæ gradus conſeruaretur.

Hinc ergo orta ratio tribunos plebis creandi, firmiorem Rempublicam reddidit & ex omnibus tribus politiæ formis rite compoſitam. Fortunatique certe fuerunt, quod in iis mutationibus neque Regiam potentiam plane ſuſtulerint, vt eam Optimatibus conferrent, nec poſtea Optimatibus omnem adimerent autoritatem, vt eam populo traderent: ſed conceſſa ſingulis tanta potentia, dignitate, & libertate, quantam iuſta proportio requirere videbatur,

Rem-

Digitized by Google

Rempublicam formarint perfectam ex omnibus tribus politiæ formis conſtantem.

E Q. Scite itaque admodum, M. Varro homo peracutus, in libro de ſtatu populi Romani, non ſolum autoritate & exemplo maiorum, ſed veritate etiam & ratione cõmotus ſcite ediſſeruit, Rempublicam Romanam è Senatu & populo conſtitutam, ceu hominem, ex anima & corpore, coaluiſſe. Propterea quam diu veteres leges & inſtituta maiorũ in vrbe viguerunt, tam diu ſtetit imperii dignitas, neque Rempublicam aut externæ vires affligere, aut vlla debilitare ſeditio domeſtica potuit. Vbi vero extraneis imperiis locus eſſe cœpit, & ciuiũ animos pecuniæ cupiditas infuſa corrupit, aut gratia deliniuit: tum primo quidem de ſtatu ſuo dimoueri, ac leuiter quaſi nutare reſpublica cœpit: cum ad eam confirmandam aliis animus, aliis conſilium deeſſet, vehementius labefactata, ad extremum tota corruit. Inde paulo attentius rem ad animum reuocanti liquet, ordinis & conſeruationis cauſam à Senatu emanaſſe, perturbationis & interitus à populo.

TH. Grandia vos equidem de populo olim Romano eiuſq; inſtitutis ac legibus crepatis, omniumque quæ in republica iſta euenerunt, cauſas aut ad prudentiã aut ad proteruiam ſuperiorum populive inſolidum coniicitis, nulla interim prouidentiæ diuinæ vel leuiſſima facta mentione, cum tamẽ, (quod eſt extra omne dubium,) Deus autor & cuſtos imperiorum & ordinis politi. i, vt regna ipſe conſtituit & transfert: ita donec vult ea durare & legibus, diſciplina, pace & aliis bonis & ornamentis ciuilibus florere, reges & principes Heroicos & gentib. ſalutares tribuit, in quos diuinæ ſapientiæ & virtutis ſuæ radios illuſtres ſpargit, vt bonitatem & præſentiam ipſius in imperiis grati agnoſcamus & celebremus. Non enim caſu exiſtunt & ſeruantur imperia: nec caſu ſapientes, iuſti, moderati, fęlices ac ſalutares generi humano reges ac principes præficiuntur: ſed vt mirandus corporum cœleſtium & naturæ rerum ordo pulcherrimus, Deum tanti operis effectorem & architectum, ſapientem & beneficum clariſſime oſtendit: ſic politicus ordo, leges, iudicia, pœnę ſontium, ac inprimis benefici & ſalutares principes, Dei opera & prouidentiæ ac præſentiæ Dei inter nos, grauiſſima teſtimonia ſunt. Eſtque omnino ciuilis gubernatio deſumpta ex idea & exemplari diuinæ gubernationis, quæ vniuerſum mundum cõtinet ac ſeruat. Quid quod in ipſo ſacrorum bibliorum codice nihil

Prouidentia Dei.

nihil ſæpius aut diligẽtius agitur, quam vt cœtus hominum legibus bonis & magiſtratibus cõſeruentur. Quam diligenter enim Deus per Moſen virũ excellentiſſimũ, reipublicæ formam & ſtatum optimum deſcripſit; qua forma nõ ſolum Iſraeliticum populum vti voluit Deus, ſed vt aliæ quoque gentes & populũ exemplũ inde petitũ ſuis accõmodarent rebus & negotiis præſentibus. Quemadmodum Demetrius Phalereus p̃fectus regiæ Bibliothecæ apud Ægypti regem Ptolomæum ſapientiſſime differit: Digna eſt, inquit, lex Iudæorum, vt ipſa quoq; inter libros tuos habeatur, cum propter ſapientiam, quæ in illa cõtinetur, tum propter eius ſublimitatem, vtpote diuinã. Cuius rei gratia & apud Poëtas & hiſtoricos horum voluminũ frequens eſt mentio: quoniam perutilis ſit, & ad regendos mores, & reſpublicas inſtituẽdas, ob hominum præſtantiam qui illic deſcribuntur, & rerum venerationem. Ad hæc in ſermonib. prophetarum quid crebrius, aut copioſius, aut diligentius, aut grauius atque vehementius agitur, quam vt optima illa forma politię ſeruetur: aut ſicubi labefacta ſit, reparetur ad primum & diuinitus propoſitum archetypum? Quod hiſtoria regum Iuda & Iſrael clare teſtatur, libri quarti cap. 17. exponẽs cauſas, ob quas Deus iuſtus & ſanctus permiſit vtrunq; regnum per Aſſyrios & Chaldæos ſubuerti. Sic enim ſcriptum legimus: *Et teſtificatus eſt Dominus in Iſrael, & in Iuda, per manum omnium prophetarum & videntium dicens: Reuertimini à viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea & cærimonias iuxta omnem legem, quam præcepi patrib. veſtris, & ſicut miſi ad vos in manu ſeruorũ meorũ prophetarũ.* Et quantopere Deo curæ ſint iuſti legitimique cœtus hominum, conſtat ex Epiſtola Pauli ad Romanos cap. 13. *Omnis anima,* inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum: vindex in iram ei, qui malum agit. Non enim fruſtra gerit gladium.* Et ad Timotheum, capite ſecundo prioris epiſtolæ: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & ſanctimonia:* quibus verbis Paulus diſertiſſime docet, magiſtratus bo-

Ll nos

nos & politias iuſtas à Deo amari, curari, defendi atque conſtitui; finem quinetiam politiæ rectius præſtituit, quam vllus poſſit philoſophus: nimirum totius hominis beatitudinem, vt non modo fortunæ ſint incolumes & corpora, ſed etiam animi ſeruentur.

PH. Saniores certe Philoſophi etiam apud Ethnicos non minus quam Prophetę & Apoſtoli, Deo probari legitimas politias aſſeuerarunt. Sic namque Cicero loquentem facit Scipionē Aphricanū in ſomnis ad nepotem ſuū Aphricanum, in ſexto lib. de Republica: Sed quo ſis Aphricane alacrior ad tutandam rempublicam, ſic habeto: *Omnibus qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cœlo ac definitū locum, vbi beati æuo ſempiterno fruãtur. Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusq; hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur. Harum rectores & conſeruatores, hinc profecti, huc reuertuntur.* Quumque ad hanc vocem P. Scipio cuperet in cœlum cōfeſtim aſcendere, Paulus Æmylius pater: *Non eſt ita, inquit. Niſi enim Deus is, cuius hoc templum eſt omne, quod aſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non poteſt. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius, à quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum eſt: ne munus humanum aſſignatum à Deo, defugiſſe videamini. Sed ſic Scipio, vt auus hic tuus, vt ego qui te genui, iuſtitiam cole, & pietatem. Quæ cum ſit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt. Quia ea vita, via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum qui iam vixerũt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides.* Habuit autem Cicero, ſcribens libros de Republica ſex, eundem ſcopum ſibi ꝑpoſitum, quem & Plato in ordinanda republica: vt hominibus inſereret amorem atq; ſtudium iuſtitię. In iuſtitia namque, ceu in fundamento, nititur humana ſocietas, & ea ſuſtinetur: neq; poſſunt res geri recte & feliciter in pace aut bello, in templo, in foro in officina, in agro, abſq; iuſtitia. Nihil autem æque incitat homines ad colendam & retinendam iuſtitiam, quam ſi cognitum & ꝑſuaſum habeant, iuſtitiæ, q̃ omnē in ſe virtutem continet, vt aliqui exiſtimãt, præmia eſſe ꝓpoſita: & quidem nō leuia, ſed ampliſſima: non temporaria, ſed æterna. Quamobrem Cicero etiam in iis libris docet, hominum animos immortales eſſe, bonisque viris tum aliis, tum præcipue iis qui pericula & labores cauſa publicę vtilitatis perferunt, ſempiterna in cœlis præmia parata eſſe. Vtque ſententia hæc nō tam videatur humana, quam diuina, tribuit

eam

cam Cicero Scipionibus, optimis viris, & de republ. præclare meritis, idq; p viſum in ſomnis. Quod genus diuinationis & collocutionis diuorum & hominum exiſtit, Platone teſte, & ſacris libris idipſum reſtantibus. Cæterum in libris ẽt quos inſcripſit *de Officiis*, iuſtitiã defendit eſſe fundamentum politiæ, finem autẽ ſalutem hominis: idq; ex inſtituto naturę, quæ perfecta ratio eſt, nutuſq; & voluntas præpotentis Dei, cuius verba q a nimis prolixa ſunt, nolo hic recitare, poſſunt tamẽ videri *de off. li. 1.* Cõſtat interim ex hiſce paucis, Ciceronis ſententiam diuinis oraculis & exemplis haud parum congruere.

TH Fuit tamen hæc Ethnicorum ſententia variis dubitationũ fluctibus ſæpenumero vſq; adeo ſubmerſa, vt gliſcentibus p̃ſertim variis rerũpublicarũ motibus, omnẽ omnino negarint ꝓuidentiã. Nos vero cõſtanti documẽto adſtruimus placere Deo politias, & ab eo defendi ac regi, idq; nõ ex ipſo tantum ſtatus politici pulcherrimo ordine, ſed ex eo etiam q, ferme cætuum ciuiliũ rectoribus donat excellentiorem notitiam rerum diuinarum & humanarum, & eis adiungit throno ſuo aſſidentem ſapientiam: vt Solomoni regi Iſraelitarũ, quo nemo vnquam mortalium ſapientior fuit: vt Dauidi patri eius, vt Cyro Perſarũ regi, vt Hermeti triſmegiſto Ægyptiorum regi. Vnde reges Ebraico idiomate melachim, id eſt conſulti, & in diſcernendis rebus atq; decernendo ſcientes appellantur: vt in lingua Germanorum, quorum antiquiſſimus rex fuit Teuto, vel Tuiſto, filius Noe, Könnig/vel Küng: & Latinis Conſules dicuntur. Ideo Sapientia in Prouerbiis Solomonis 8. ca. clamitat, & Prudẽtia dat vocẽ ſuã: *Meũ eſt cõſiliũ & æqtas, mea eſt prudẽtia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnãt. & legũ conditores iuſta decernunt. Per me principes imperãt, & potentes decernũt iuſtitiam.* Quo loco mihi admirabilis occurrit diuina Prouidentia, q̃ ſapientiſſimos viros omnib. ferme ætatib. adduxit ad Principes maioris & potẽtioris imperii, vt eſſent laborũ conſortes & adminiculatores in pferendis curis, & piculis, & ærũnis: eiſq; p̃cipue velut in manus tradidit bonos libros, quo ſapiẽtiæ organo longe inſtructiores ad oẽs functiones publicas in pace & bello ſunt, q̃ ſceptro & gladio. *Vtq; ſilentio p̃teream ſanctionẽ diuinã, q̃ iudicibus & regibus, & in bello ducibus adiungit ſacerdotes: vtq; in populo Iſrael nunquã defuerint ꝓpheta, velut* ἱεγοδιώκται *q regerẽt obſeruationẽ legis ſacroſanctæ: ad Aegyptiũ regẽ potẽtiſsimũ venit Abrahã, religionis ſimul & veræ ſapiẽtiæ atq; bonarũ artiũ peritiſsimus q Aegyptios docuit ſcientias mathematicas, nõ tantũ vnius Dei culturã, vt Philo teſtatur.* Eũ inſecutus eſt Io-

Cur Deus gubernatoribus ſapiẽtes adiungat.

Ioſephus, cui adminiſtratio totius imperii credita fuit, docuitq; principes veram ſapientiam, vt Pſalmus 104. teſtatur: *Miſit Deus ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Eloquium Domini inflammauit eum: miſit rex, & ſoluit eum: princeps populorum, & dimiſit eum. Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Deſcendit & Iacob cum patriarchis in Ægyptum: qui literis bonis & liberalibus diſciplinis repleuerunt Ægyptum, ac velut domicilium ſapientiæ conſtruxerunt: ad quod fuere aditus frequentiſſimi ex omnib. regionibus, capeſſendi cultum ingenii gratia. De Moſe autem quid verbis opus eſt? Qui à puero eruditus & excultus omni doctrina Ægyptiorum, quam videlicet à patriarchis ſanctis prius acceperāt, in aula Pharaonis res admirādas geſſit: ſcriptaque hiſtoria & legibus diuinæ maieſtatis, omnibus regibus & populis magiſter exhibitus eſt. Ad Aſſyriū monarchā, ſiue is Sardanapalus fuit, ſiue ali9, Ionam prophetam veniſſe nouimus, & in vrbe regia præconium feciſſe maximo cum fructu pœnitentiæ, vt Niniue præbuerit exemplum ſempiternum reſipiſcentiæ. Babylonicis quoque regibus, & Perſis atque Medis, adfuere Daniel, Eſdras, Mardochæus, Nehemias, Zorobabel, & alii viri oppido quam ſapientes & pii. Cum Alexandro Macedone pontifex Iudæorum Iaddus egit de veri Dei natura & voluntate. Cū Ptolemæo Philadelpho Eleazar pontifex & LXX. presbyteri, qui ſacros libros interpretati ſunt. Longum foret narrare, Solonem admonuiſſe Crœſum regem potentiſſimum, Platonem egiſſe cum Philippo rege Macedonum, cum Dionyſio Siculorū rege, & cum aliis. Romani autem fœdere icto cum Macchabęis, res Iudaicas didicerunt: quibus & Ioſephus ſacerdos in bello Iudaico ſorte quadam diuina obuenit, vt ſacram hiſtoriā totam eis explicaret. Cum Herode inceſto & flagitioſo, cæterum potentiſſimo rege, baptiſta præcurſor Domini Ioannes egit. Coram Anna & Caiapha, ſummis pontificibus, coramq; Pilato præſide Romano in Syria, Dei ſapientia æterna, Dei verbum, Dei filius homo factus, cauſam veritatis defendit. Atq; huc ptinet oraculū de Paulo ad Ananiā; Vas electionis eſt mihi, vt portet nomē meū corā gentibus & regib. & filiis Iſrael, *Act. 9.*

E. Q. Neminem ego tā ſtupidū arbitror, qui amari à Deo ciuitates & iuſta imperia neget; & ſi nihil aliud, ipſa tamē diuina vltio q̄ in ſeditioſos & turbatores Eccleſiarum

ſiarum atque ciuitatum inſignia omnibus temporibus exempla edidit ſatis documento eſt, Imperia diuinitus regi atq; conſtitui. Veluti q̃ Core, Dathan, Abirō & On, cum ſectatorib. quia Moſi & Aaroni, & ordini quem Deus inſtituerat, ſeſe oppoſuerunt, partim hiatu & voragine terræ abſumpti ſunt, partim dira conflagratione. Et in ſeditione, qua Dauid rex optimus regno pulſus fuit, Achitophel ſeſe laqueo perdidit: Abſalon arbori implicitus cæſarie ſua, confoſſus periit: & cum iſtis capitib. ingens multitudo ſeditioſorum periit.

Admonitiones Dei ne pereant ciuitates.

Deinde numen cœleſte omnia rectiſſimè gubernans, haud quaquam funditus euertit, aut labefecit, aut quaſſauit vllum imperium, aut regnum, aut ciuitatem, niſi prius de imminēti exitio admonuerit vel per homines verbo, vel portentis, monſtris, prodigiis, vel vtroq; modo. Nec modo impendens malū denūciauit Deꝰ per ſuos interpretes, ſed etiā indicauit cauſas, ob quas ſint perituri: puta impietatē, idololatriam, tyrannidem, ſuperbiam, auaritiam, libidines, & alia id genus. Simul indicauit & remedia, quibus occurri poſſit. Quemadmodum Noe verbo, & ædificatione ingentis arcæ, annos centum reuocauit homines à ſceleribus & interitu. Quemadmodum Pharao & Ægyptii tum ſermonibus tum prodigiis, ſatis ac ſuper admoniti ſunt per Moyſen & Aaronem. Quemadmodum Iſraelitas nunquam non Deus præmonuit, atque ad reſipiſcentiam traxit, quoties eos mulctauit. Et abdicationem eorum Eſaias, Eſdras, & alii Prophetæ luculenter eis prædixerunt, cauſis redditis, quod Meſſiam eſſent repudiaturi: & via ſalutis monſtrata, vt in eum credant, & ſeruentur. Quatuor etiam Monarchiarum occaſum ita prę́ſagiit Daniel & Sibyllæ, vt cauſas interim exponant, ob quas Deus viciſſitudinē eiuſmodi illis immiſerit. Quum vero mortales in flagitiis obſtinati, admonitiones omnes contemnerent, minas ſuas oſtendit non vanas fuiſſe, & ſe odiſſe, atque pœnis perſequi maleficia hominū: ſuppliciis interim per clementiā & gratiam ita mirificè tēperatis, vt ſana mens fateri cogatur, Deū nolle ciuitatum perditionē, ſed potius velle vt à malo recedant homines, & bonis fruantur.

Itaque non ad ſolos Iſraelitas pertinet, verum ad omnes etiam populos, quod in Hieremiæ *cap. 18.* pronunciat Dominus: *Repentè loquar aduerſum gentem & aduerſus regnum, vt eradicē, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœni-*

tentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et 6. cap. *Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animab. veſtris Et dixerunt, Non ambulabimus. Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores: audite vocem tubæ. Et dixerunt: Nõ audiemus. Ideo audite gentes, & cognoſce congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationũ eius: quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies, & probabis vias eorum. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter: æs & ferrum, vniuerſi corrupti ſint. Defecit ſufflatorium in igne, cõſumptum eſt plumbum: fruſtra conflauit conflator. Malitia enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos: quia Dominus proiecit eos.*

TH. Omnium vero euidentiſſima politiarũ cõmendatio eſt, quod ſingulis omnium Dominus Deus præfecit ſuum æternum & vnigenitum filium, virtutẽ & potentiam ſuam, veritatem & ſapientiam ſuam. Vnde in veſte & in femore ſuo habet nomen ſcriptũ: Rex regum, & Dominus dominantium. Atq; hanc diuinã Chriſti Monarchiam Ethnici etiam ſagaciores aliquo modo videntur animaduertiſſe. Et quod Paulus dicit, omnia illum portare, ſuſtinere, gerere verbo ſuę potẽtię: illi dixere νοῦν, hoc eſt mẽtem vniuerſitatis moderatricem gerere cuncta per λόγον ſiue αὐδὴν, id eſt, per verbũ atq; vocẽ, & ex mente genitũ filiũ, ceu per ὑποφήτην, qui mandata parentis & principis omniũ exequatur. De qua Monarchia diuina Sibyllæ, & Iuſtinus Martyr, & alii Theologi copioſe ſcripſerunt. Eſt autẽ mirifice repræſentata in quadriga myſtica illa quam Ezechiel vidit, eamq; verbis exponit cap. 1. & 10. Nam duæ rotæ mutuum ſe interſecantes angulis rectis quatuor efficiunt partes, & plagas mundi quatuor repræſentãt, ortum ſolis & occaſum, meridiem & ſeptentrionẽ. Adſunt & Cherubim multiformes, qui Angelos & homines cæteraſq; creaturas portendunt, in mundo, quæ imperium gerunt, aut imperantibus famulantur. Omnes autem ſubiacent throno diuinæ Maieſtatis. Cæterum electrum forma humana in medio verſatur, adumbrans Dei filiũ æternũ: qui puriſſima generatione ex S. ſancto & virgine matre homo factus eſt, præfinito tẽpore. Is n. mediũ tenens locũ inſpicit ſemel vniuerſa, omnia ſuſtinet, omnia diſponit rectiſſime, & mouet, ac agit extrima, intima, ſuprema, infima, nihil prorſus negligẽs aut excludẽs ab œconomia & diſpen-

Ezechelis quadriga vel currus.

diſpẽſatione ſua vniuerſali. Hinc eſt ſermo ille diuinus in lib. Sap. c. 6. ad vniuerſos principes vbiq; gentiũ, & quouis tempore. *Audite Reges, & intelligite, diſcite, iudices finiũ terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationũ. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo: qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cũ eſſetis miniſtri regni illius, nõ recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legẽ iuſtitiæ, neq; ſecundũ voluntatẽ Dei ambulaſtis. Horrẽde & cito apparebit vobis: quoniã iudicium duriſſimũ in his qui præſunt, fiet. Exiguo n. conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non n. ſubtrahet perſonã cuiuſquã Deus, qui eſt omniũ dominator: nec verebitur magnitudinẽ cuiuſquam. Quoniam puſillum & magnũ ipſe fecit, & æqualiter eſt cura illi de omnib. Fortioribus autẽ fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapiẽtiam, & non excidatis.*

Chriſto parere omnes oportet.

E.Q. Huic certe optimo ac potẽtiſſimo omniũ noſtrum regi ac Pontifici maximo, Ieſu Chriſto, oẽs homines atq; adeo etiam ipſi Imperatores ac reges parere debẽt, ex mandato S. regis Dauidis, qui omnib. regib. vt huic pareant ſerio imperat. *Pſal. 2.* Quin etiã ipſa Patris cæleſtis vox huic ſũmo regi obedire oẽs homines iubet, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt anima mea: hunc audite.* Cui Petrus adiicit ex Moſis Deuteron. *Et omnis anima quæ Prophetam illum non audierit, extirpabitur è populo.* Huic ſe non impie oppoſuit, exemplo Neronis & Domitiani, Alexander Seuerus Imperator Romanus: Chriſtiq; dictũ Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, vt regulam omniũ legum & actionum, & conſiliorum ſecutus eſt: fuitq; princeps laudatiſſimus, & reipubl. in primis ſalutaris. Huic ſe cum toto Imperio Romano addixit Conſtantinus maximus, qui palatium Lateranum & templum in eo conſtructum, & totam vrbẽ Chriſto dedicauit: qui Conſtantinopolim dedicans, aduocatis ſanctis Patribus Niceni Concilii Chriſto conſecrauit, & in eius tutelam poſuit Imperium: qui labarum & vexillum Romanum in formam ſaluiferæ crucis Chriſti transformauit. Ad Chriſti leges Iuſtinianus per homines eruditos ius Romanum correxit, & emendauit. Ex Ieſu Chriſto ſanctiſſimo Romanum imperium accepit quantũcunq; habet ſanctitatis, victoriæ, opum, virtutis, felicitatis. Huic optimo Regi & Pontifici obedire & in fidẽ ipſius atq; gubernationem ſeſe penitus conücere, honeſtiſſimũ & ſalutare eſt cunctis principibus & populis, & ſingulis hominibus. Repugnare autem

&

Digitized by Google

M[illegible]hiã ſ[illegible]tentare quidã.

& Monarchiam orbis Chriſtiani totius moliri quocunq; prætextu turbare eſt ordinem diuinum, & labefacere ciuitates, & conari quod aſſequi nemo poteſt, & θεομαχεῖν, atque cum ipſo Deo bellum gerere: quod nullus impune vnquam tentauit.

TH. Probe nimirum ſapientiſſimi illi Imperatores perſpexerunt, regnum Chriſti, minime turbare aut deſtruere ciuilia regna & imperia, ſed Monarchias & cæteras formas politiæ in regno Dei contineri & includi: rurſumque regnum Dei & Chriſti florere atque vigere poſſe & debere in quouis regno mundi ad leges naturæ & diuinæ voluntatis inſtituto, aut etiam deprauato in tyrannidem: Atque hinc etiam plantauit Chriſtus vineam Eccleſiæ ſuæ per omnes Monarchias potentiſſimas in mundo. Fuit enim in Ægypto domus Iacob Eccleſia Dei ſanctiſſima, & pars excellentior Eccleſiæ Catholicæ, tum Ioſepho adminiſtrante imperium Ægyptium, tum Pharaonibus impie bacchãtibus contra Deum. Fuit Eccleſia in Babylonem tranſlata, & lõgè lateque diſperſa per regnum Aſſyrium & Medorum. Et clarior eſt Eccleſia in peregrino ſolo ſub Ethnicis principibus, mirandis operibus Dei, & copia Prophetarum, quam in terra Iudæa, regnante Solomone. Deinde reuerſis in patriam Iudæis, ſub Græcorum poteſtate & Romanorum Eccleſiæ ſanctitas & virtus magis emicuit, quam ſub Machabæis Pontificibus ſimul & Regibus, conceſſa iam libertate, & fœdera iungentibus cum Lacedæmoniis & populo Romano. Quid quod viri ſanctiſſimi, & religionis veræ ac ſempiterni Chriſtianiſmi antiſtites non iudicarunt ſe prophanos fieri, & Eccleſiam deſerere, ſi capeſſerent etiam rempublicam inter Ethnicos, vel in deprauato ac penitus degenere populo Dei? Nam Ioſephus & Moſes in Ægypto Rempubl. geſſerunt, Iob apud Eſſæos Arabes, Daniel & ſocii in Babylonia, Zorobabel & Nehemias apud reges Perſicos, Abdias in aula flagitioſiſſimi tyranni Achab: Conſtantius in Imperio Romano pius, dum collegæ, Diocletianus Imperator, & Maximinus, Eccleſiam Dei horrendis modis perſequuntur. Intellexerunt enim, regnum Dei eſſe intra hominem, & ſe exerere in qualibet functione publica vel priuata.

Eccleſia vbiq; gẽtium.

PH. Hæc generalia ſunt, & principia vtrobique conceſſa atque indubitata. Nemo enim eſt, qui non omnia diuina regi prouidentia ac nutu, nemo qui Chriſtum, regum regem, & dominantium Dominum abſque omni tergi-

Inſana regnandi cupido.

tergiuerſatione lubens fateatur.

TH. Vtinam vero! At proteſtationes omnimodo factis contrarias eſſe, luce meridiana clarius eſt. Vnde namque inſana iſthæc omnium gentium, imo ſingulorũ prope hominum dominandi, ſeque non tam fraude ac dolo quam etiam vi aperta inſinuandi atq; impatronandi ambitio atque cupiditas, ſi diuinæ prouidentiæ, & non potius inconſulti cuiuſdam cæcæ fortunæ arbitrii habetur reſpectus? Hinc omnium flagitiorum radix cupiditas, ſimul cum innata mortalium animis inuidia, ita omnia ſolet perturbare, vt non ſolum regnorum, ſed omnium rerum humanarum tam religione quã literis & gubernatione mutationem ſæpenumero pariat.

E Q. Multi certè vſque adeo præeminentię ſtimulis agitantur vt etiam æternam corporis atq; animæ ſalutem, modo regimine potiri poſſint, proſtituere haud vereantur; quorum è numero è quamplurimis ipſe Iulius Cæſar, primus Romanorum Imperator ac Monarcha fuit. Is namq; ſemper in ore habuiſſe fertur: ſi violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt: aliis in rebus pietatem colas. Hinc illa Maphæi Virg. ſuppl. exclamatio:

—— Quantos humana negotia motus
Alternaſque vices miſcent? quo turbine fertur
Vita hominum? ô fragilis damnoſa ſuperbia ſceptri!
O furor, ô nimium dominandi innata cupido!
Mortales quo cæca vehis? quo gloria tantis
Inflatos transfers animos quæſita periclis?
Quot tecum inſidias, quot mortes, quanta malorum
Magnorum tormenta geris? quot tela, quot enſes
Ante oculos, ſi cernis, habes? heu dulce venenum,
Et mundi lethalis honos! heu triſtia regni
Munera! quæ haud paruo conſtent: & grandia rerum
Pondera, quæ nunquam placidam promittere pacem,
Nec requiem conferre queant, heu ſortis acerba
Et miſera regale decus: magnoque timori
Suppoſitos regum caſus, paucique negatos.

Turcorum regnandi efferata cupido.

PH. Huiuſmodi infandæ regnandi cupiditates apud Turcarum Imperatores alioſque barbaros admodum frequẽtes ſunt, quæ etiam plurimo plerumque fratrum & conſanguineorum conſtant ſanguine. Qua de re extat hiſtoria tragica quæ accidit anno 1582. Circumferebanturque eo anno paſſim chartæ venales, in

les, in quibus Selimi Imperatoris Turcici ipſiuſque filiorum feretra conſpiciebantur depicta; ſingula cum diademate & ſtragulis pretioſiſſimis exornata. Ii namque (Selimi filii) mortuo Selimo patre iuſſu fratris Murathis III. interfecti & regio funere in monumenta maiorum ad minuendam inuidiam vna cum defuncto patre illati fuerãt. Nomina eorum fuerunt Muſtaphæ Sulemani, Abdulæ, Oſmani & Thrihangiri. Murathes enim (quod nomen idem ſignificat, quod Græcis ἱμεραιος, & Latinis Deſiderius, aut donator deſideriorum) patris ſucceſſor recepto more barbaro, ſtrangulari quinque fratres ſuos, natu ſe minores, in præſẽtia ſua iuſſit. Quorum minimi ceruicibus & iugulo quum pro more neruus adhiberetur, incertum an tenerioris in hunc amoris cauſa motum, an conſcientia patratæ crudelitatis in omnes, illacrumaſſe quidem ipſum conſtat.

E Q. Eodem modo & anno Iſmael Techmaſis, regis Perſarum vel Parthorum filius, ſecundo loco genitus, non ſolum Sultanos ſibi ſuſpectos, verum etiam fratres ſuos omnes, quotquot nanciſci potuit, è medio ſuſtulit: qui tamen ſexto regni menſe à ſorore veneno ſublatus eſt, ſicut Leunclauius refert.

P H. Qui libidine regnandi excæcati ſunt, neutiquam turpe vel flagitioſum ducunt, id quod ipſorum cupiditatibus impedimento vel eſt, vel eſſe poſſe ſuſpicantur, quauis via ac ratione è medio tollere, quippe apud quos, vt Robertus Ganguinus vere ait, probitatis aut fidei nihil eſt, libidine namque habendi vſque adeo feruntur, vt neque amicis neq; generi indulgeant ſuo.

Hoc ita eſſe apparet in Antonino Caracalla. Quum enim fratrem Getam in gremio matris interfeciſſet, & quidam ei ſuaſiſſet, vt fratrem interfectum ad mitigandam inuidiam parricidii, diuum appellaret; *ſit*, inquit, *diuus, dum non ſit viuus.* Iam neſcia eſt, vt ille dicit, veræ pietatis & iuris regnandi cupiditas. Recte itaq; de Tyrannis illis Lucani hoc dici poteſt:

Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Sic videmus bruta pleraque, quæ (quod tyrannorũ proprium eſt) rapto viuunt, & quibus ſolius pabuli cura impreſſit aliqua tyrannicæ naturæ veſtigia, in proprios fœtus ſæuire potius, quam vt illos ſocios venationis accipiant. Eodem modo Plinius ſcribit: Aues vncos vngues habentes, omnino non congregantur

& ſibi

& ſibi quæq; prædantur. Ad ſummam non fruſtra barbara illa vox tam ſæpe ab hiſtoricis repetitur, nullum Regnum ſine domeſtica cæde aut parricidio eſſe ſolere.

TH. Secutus eſt Murathes, cuius iam feciſtis mentionem, exemplum proaui ſui Selimi, Baiazetis filii, qui patre veneno opera Iudæi Medici, vt aiunt, ſublato, quum libido & cupiditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modo fratres ſuos, & eorum liberos omneſque conſanguineos è medio ſuſtulit, ne æmulos regni relinqueret, ſed etiam quum in expeditione Ægypriaca eſſet, veritus ne ſibi abſenti, Solymanus filius vnicus imperium adimeret, quemadmodum ipſe Baiazeti patri ſuo illud extorſerat, veſte quadam veneno tincta dono miſſa, filii vitæ pater, vt multi indicarunt, inſidiatus eſt.

EQ. Eadem diffidentia Solimannus erga filios laborauit. Cum enim anno milleſimo quingenteſimo ſecundo, Muſtapha filius maior natu (ſicut poſt alios à Bodino refertur) fractis Perſarum opib. ad patrem, accepta fide, ſine comitatu rediiſſet, tanto exercitus clamore, tantaque gratulatione exceptus eſt, vt mortalium antea nemo. Pater iſtam gloriam ferre non potuit, ſed filium ſubinde ſtrangulari mandauit in cubiculo interiore & eodem momento coram exercitu proiici, tum præconem altiſſima voce promulgare iuſſit, vnum in cælo Deum, in terris vnum Solymannum Imperatorem eſſe oportere. Totus exercitus terrore attonitus obmutuit, iunior natu biduo poſt veneno ſublatus eſt, quod ingemuiſſet. Tertius metu patris ad Regem Perſarum confugerat, at ſtatim per legatos reuocatus eſt, ac ſecuri percuſſus.

Reſtabat Selimus, cui pater minas intentauit, niſi ſolus reſtaret. Atque ita vſitatum eſt in gente Othomannorum, quia apud illos Muſulmanos Reges mos eſt perpetuus, vt ſpes imperii ad omnes, exitus ad vnum recaſurus ſit.

PH. Recte itaque dicit Augerius Busbequius, Cæſareæ Maieſtatis legatus, nihil omnino miſerius Turcicorum Imperatorum filiis eſſe, è quibus, ſi quis patri ſucceſſit, reliquos ineuitabilem mortis neceſſitatem manere: Nam neque, inquit, Turcæ imperii æmulos ferunt, nec per milites prætorianos omnino ferre

Digitized by Google

poſſunt, quin, ſi quis forte fratrum ſit, præter eum qui regnat, ſuperſtes, congiariorum petendorum nullum finem faciunt: ſi recuſantur, ſtatim audis, ſaluus frater ſit, fratrem Deus nobis ſeruet. Quo verbo deſignari illum imperio, non eſt obſcurum, adeo vt fratrum ſanguine manus polluere & parricidio regnum Turcis Imperatoribus ſit neceſſe.

Inſana regnandi cupido.

E. Q. Si hiſtorias veterum recolligamus, eandem alicubi pluſquam barbaricam ac beluinam viguiſſe regnandi libidinem comperiemus, ſiquidem vt Papirius Maſonus inquit, apud Reges nihil eſt tam ſanctum, quod non facile violetur, ſi vtilitaris quædam facies affulgeat. Qua de memorabile extat exemplum apud Plutarchum de rege Deiotaro, cui plures fuiſſe filios ſcribit.

Cum vero vni duntaxat ex omni filiorum numero imperium relinquere, atq; omne patrimonium ſuum cuperet, quo id facilius efficeret, cæteros omnes manibus ſuis trucidaſſe vinitorũ exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiſerit ſurculos, vnum modo ex eis relinquere, & alios amputare conſueuerunt, vt is qui relinquitur, maior & robuſtior fiat. Iuſtinus præterea de Herode Parthorum Rege (qui paulo ante fratrem ſuum Mithridatem, licet fiducia cognationis vltro ſe in poteſtatem ipſius tradidiſſet, in conſpectu ſuo trucidari iuſſerat) quum filius eius Pacorus vna cum toto exercitu à Venditio interfectus eſſet, ita ſcribit: Hæc quum nunciata in Parthia eſſent, Horodes pater Pacori, qui paulo ante vaſtatam Syriam, occupatam Aſiam à Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte & exercitus clade audita, ex dolore ad furorem vertitur; multis diebus non alloqui quenquam, non cibum ſumere, non vocem mittere, ita vt mutus factus videretur.

Poſt multos deinde dies vbi dolor vocẽ laxauerat, nihil aliud quam Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo conſiſtere: interdum quaſi amiſſum flebiliter dolebat, poſt longum deinde luctum alia ſolicitudo miſerandum ſenem inuadit, quem ex numero triginta filiorum in locum Pacori regem conſtituat.

Multæ pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro ſuis quæque ſolicitæ ani-

mum

mum ſenis obſidebant, ſed factum Parthiæ fecit, in qua iam quaſi ſolenne eſt Reges particidos haberi, vt ſceleratiſſimus omnium & ipſe Phrahartes nomine, Rex ſtatueretur. Itaque ſtatim, quaſi nollet mori naturaliter, patrem interfecit, fratres quoque xxx. trucidat. Sed nec in filiis ceſſant parricidia N m quũ infeſtos ſibi optimates propter aſſidua ſcelera videret, nec eſſet qui nominarim poſſet Rex creari, adultum filium in erfici iubet. Rectiſſime ig tur de hoc barbaro Rege, vel potius tyrãno dici poſſet, quod Polybius refert, Philarchum hiſtoricum de Ariſtomacho memoriæ tradidiſſe, eum nõ ſolum tyrannũ fuiſſe, verum etiã è tyrãnis genitũ, quo q.d grauius aut perniciofius dici poteſt, hoc enim nomen, inquit, quaſi ſeminarium in ſe continet crudelitatis, & omnes hominum iniurias ſceleraq; complectitur.

TH. Extant etiam in ſacris literis ſceleratæ huiuſmodi regnãdi libidinis exempla, & notũ eſt illud de Abſolomo, patris optimi, Dauidis, filio degenero. Is namq; non tantum Ammonem fratrem (quãuis alia prætenſa cauſa) obtruncauit, ſed etiã ipſius parentis vitæ, quantis potuit viribus inſidiatus eſt; adeoq; ſi conat⁹ ipſius ſpectes, vere parricida fuit. Et q.d vero Adonias ipſius frater conſanguineus aliud meditatus eſt, quum opera Ioabi præfecti militum & Ioathari ſummi ſacerdotis, Solomoni deſignato Regi, regnum & vitam præripere, nimia regnãdi libidine conaretur, ſicut ſacra hiſtoria expreſſe teſtatur.

E Q. Mites ſane animo ſunt reges Æthiopum vel Albiſſinorum in Africa omnium potentiſſimi. Ii enim regnante legitimo ſucceſſore reliquos filios ſuos & conſanguineos, ne ad regnum aſpirent, neve habeant occaſionẽ turbas libidine imperii excitandi, procul remotos, in monte altiſſimo, qui ab Aluereſio Anga vocatur; ad quem propter præcipitia vnus tantum aditus eſſe dicitur, (ſcribit enim Hieron. Oſorius: Multos in ea regione montes editos & excelſos contineri, vndique prærupt s, aditu perangusto, adeo vt vnus tãtum homo per oſtium pen rrare poſſit, in ſummo autem faſtigio eſſe miras planicies, late patentes, aquas perennes, pabula & fruges lętiſſimas, amnes pellucidos, pecorum & boum multitudinem, aluearia ex quibus ingens vis mellis exprimitur) perpetuus, ſed liberis cuſtodiis potius incolumes detinere, quam parricidia committere malunt, inde nulli niſi qui ad imperium magis idoneus ex filiis, & iis deficientibus, ex pximis agnatis, optimatibus videtur, egredi,

&habenas imperii abſq; æmulo liberas capeſſere, mortuo tamen ante rege, licet. Experiẽtia enim docuit, quod plerique orientales populi impatiẽtes oligarchiæ, ariſtocratiæ vel democratiæ, monarchiæ ſemper deditiſſimi fuerint, neq; potuerint vno eodemq; tempore pati plures Reges & dominos.

Omnes fere conſortii impatientes ſunt.

PH. Eſt hoc hominum naturis fere inſitum, vt ſoli potius quã cũ regiminis ſocio dominari malint. Quo ſpectat exemplũ illud memorabile, quod Stobæus ex Serini apomnemoneumatibus refert. Nam cum Lydis Crœſus imperaret, fratremq; in conſortium imperii aſſumpſiſſet, tum quidam ex Lydis accedens, dixit: Omnium in terrra bonorum, ô rex, maximum eſt ſol: neq; quicquam extaret in terra, ſole non illuſtrante. At ſi gemini ſoles forent, periculum immineret, ne omnia cõflagrantia perditum irent. Ita & regẽ vnũ quidem accipiunt Lydi, & ſeruatorem eſſe credunt: duos vero ſimul tolerare nõ poſſunt; &c. *Stob. ſerm. 45.* Huc quoq; Homeri illud ſpectare videtur.

Haud bonum multorum dominatio.
Vnus dominus eſto,
Vnus rex; cui dedit Saturni filius calli-
di ingenij
Sceptrum atq; iura vt his regnet.

Idipſum haud dubie etiã Alexandro Magno in mentẽ venit in attentata illa Darii regis cum Alexandro Magno tranſactione. Darius namq; obtulit has conditiones Alexandro, vt ab ipſo acciperet talentorum decem millia, & inſuper Aſiam ſecũ ex æquo partiretur. Id cum recuſaret Alexander; Ego, inquit Parmenio, accepiſſem, ſi Alexãder eſſem; Et ego, inquit Alexander, ſi Parmenio eſſem. Dario autem hũc in modũ reſpondit: Neq; terrã duos ſoles, neq; Aſiã duos reges ferre poſſe.

EQ. Niſi reſponſum hoc Alexandri Magni impotentiã quandam dominandi ſaperet, quippe quẽ conſtat dominandi fuiſſe cupidiſſimum, animi celſitudo probari exinde atq; commendari in ipſo ſummopere poſſet. Et ſane omnib. hoc fere innatũ eſt vitiũ, vt nemo intra terminos debitos cõſiſtere libenter velit; in quibus ſi tamen mens humana cõtineri ſe poſſet, multis ſæpenumero via obſtrueretur incõmoditatibus, quæ cum non fiat, fit haud raro, vt inconſultæ iſtiuſmodi ad maiora prætentiones in exoſam illã apud omnes cordatos tranſeant ambitionem. Hinc adeo verum eſt, quod Thomas Morus Anglus cecinit:

Regibus ex multis regnum cui ſufficit
vnum,
Vix rex vnus erit ſi tamẽ vnus erit.
Regibus è multis regnum bene qui re-
gat vnum,
Vix tamẽ vnus erit, ſi tamẽ vnꝰ erit.

PH Fuit,

Ambitionis deteſtatio.

PH. Fuit, ſi in vllo alio, certe in Alexandro Magno inclyta animi celſitudo, & feruor in aggrediundis quibuſvis difficultatib. plane heroicus, & quandoq; etiā in viris principibus rarus. Conſtat ſane. id q. Agrippa familiaribus ſuis dicere ſolebat, hūc eſſe morē principum vt nolint habere quem q̃ ſe potiorē. Interim ea duntaxat, q̃ facilem & explorat ā victoriā eſſe videntur habitura, ipſi gerere ſtatuunt: peſſima vero quæq; & difficillima aliis cōmittunt. Quod ſi eueniat, vt opportuna negotia aliis mandare cogantur, grauiter ferunt, propter laudem & gloriā eorum q ea geſſerunt, ſed ſibiipſi rerum bene geſtarum gloriam liberer aſſcribunt *Xiphilinus in Aug.*

EQ. De Iulio Cæſare vero extat generoſa Alexandri Magni æmulatio. Cum enim aliquando in Hiſpania per otium res Alexandri geſtas legeret, diu cogitabundum ad extremū illachrymaſſe, & amicis cauſam quærentibus dixiſſe fertur, an non dolendum vobis videtur, me cum id ætatis ſim, qua Alexander tot nationibus imperauit, nihil dum memoratu dignum geſſiſſe? *Plut. in Cæſ.*

PH. Idem tū Iulius Cæſar ambitioſus minime fuit, id q. vel ex vnico hoc exemplo, q. referam, planum eſt, narrant namq; eum, cum aliquando Alpes tranſiſſet, & præter oppidulum quoddam barbaricum paucis & miſeris habitatum hominib. iter faceret, amicis p iocum ex ipſo quærentibus, an & hic de magiſtratibus eſſent contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmulationes, ſerio reſpōdiſſe. Malle ſe hic primum, q̃ Romæ ſecundum eſſe.

TH. Agnouit nimirum Imperator prudentiſſimus & reipſa deguſtauit inexhauſtos illos negotiorū omnimodorū in tanta Imperii amplitudine labores, quib. rite omnib. numeris defungi vix quisq̃ ſatis queat. Huc quadrat, q. Bernh *in epiſt.* Multi inq̄t, nō tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi & ſe ſentirent onere grauari, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Eſtq; omnino verum, quod Seneca *tragœdia 10.* ait:

Pauci reges non regna colunt,
Plures fulgor conuocat aulæ,
Cupit hic regi proximus ipſi,
Clarusq; latas ire per vrbes:
Vrit miſerum gloria pectus,
Cupit hic gazis implere famem.

Et idem Seneca eadem Trag.

Colit hic reges calcet vt omnes,
Perdatq; aliquos, nullumq; leuet,
Tantum vt noceat cupit eſſe potēs.

EQ. Recte itaq; Stobæus, *ſerm. 2.* homines partim eſſe ridiculos, partim odioſos, partim miſerabiles dixit. Ridiculos q. dem, q. ambitio ſe

bitioſe ad maiora aſpirant. Odioſos, qui ea conſequuntur. Miſerabiles autẽ, qui ſpe falluntur. *Stob. ſer. 2.* Nam vt ait Innocentius *de vilitate conditionis humanæ.* Ambitioſus ſtatim vt eſt ad honorem promotus, in ſuperbiam extollitur, in iactantiam effrenatur, non curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe, præſumit ſe meliorem, quia cernit ſe ſuperiorem, priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos vultum auertit, ceruicẽ erigit, faſtum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur, ſubeſſe non patitur, præeſſe molitur, ſubditis oneroſus, arrogans, grauis, & importunus.

PH. Miſerabiles omnino ſunt, quod paulo ſupra dixiſti, qui ſpe falluntur. Atque hinc eſt inſignis ac prudens iſta Henrici Claudi Cæſaris cõmonefactio, nihil impenſe quenquam cupere oportere, ita nanque fieri poſſe, vt in nullo vnquam contriſtetur. Ferturque hæc ſententia ipſius Cæſaris fuiſſe ſymbolum. Cæterum vitium hoc familiare eſt adoleſcentiæ, cuius animus eſt, ſecundum Horatium. *ſublimis cupidusq; & amata relinquere pernix.* Nam & ob vehementiã affectuum adoleſcentes vt impenſe concupiſcunt ac vehementer; ita celeriter & ſubito languent. Siquidem autore Platone, his natura maxime profudit cupiditates: & ſecundum Senecam:

Iuuenile vitium eſt, regere nõ poſſ. impetum.

Quorũ idcirco cupiditas mature reprimenda eſt, & ad modeſtiam flectenda, vt modum ac decus in omni vita teneat, ſine quo nihil rectum aut laudabile eſſe poteſt. Ex quo Socrates percunctanti cuidam, quænam adoleſcenti virtus eſſet maxima, reſpondit, *Ne quid nimis.* Maxime vero opus eſt moderatione quadam & mediocritate in compeſcendis affectibus, ne ſcilicet nimium aliquid cupias, ex quo nimium aliquando doleas aut contriſteris. Siquidem vt Flaccus ait: *Latius regnes auidum domando ſpiritum: contracta* ſcilicet (vt alias loquitur) *cupidine,* & ſecundum Plinium, *Hoc eſt regnare, nolle regnare cum poſſis*; cum imperare magis poſſe quã velle, quiſque debeat, authore Cornelio Tacito. Magnæ enim cupiditatis, ſi quis ea fruſtretur, indiuiduus fere comes eſt dolor ac mœror, quoniã teſte Val. Maximo, inutiliter aliquid cõcupiſcere & in eo perſeueranter morari, exitio ea dulcedo vicina eſt: præſertim cum nihil æque gratũ eſſe ſoleat adeptis quam cõcupiſcentibus, vt C. Plinius ſecundus ſcripſit. Omnium vero facilimũ eſt, ſeipſum quemq; decipere, quando vnuſquiſque quod cupit, in

animum

animum inducit ſuum, & plane hoc ſibi perſuadet, teſte Demetrio. Nec tamen magna res eſt (vt Thucydides loquitur) aſſequi quod quis deſiderat, ſed potius nō deſiderare id quo carere poteſt.

EQ. Fuit certe in matre Neronis inſana prorſus atq; inconſulta dominandi libido. Cũ enim primum natus eſſet Nero, quidã Aſtrologus prædixit eum regnaturum eſſe & matrem necaturũ; idq; cum Agrippina mater intellexiſſet, ſubito exclamare cœpit: occidat dũ regnet: Præſagio votoque reſpondit euentus, inquit Suetonius.

TH. O ſtultas hominum mentes, ô pectora vana!
Regni infauſta fames quid nō mortalia cogis
Pectora?

Annon ſatius foret prudenti illi ac memorabili Epicuri conſilio, quod eſt, λαθὲ βιώσας, imitando ſeſe conformare, quod ita potius viuendum homini monet, vt nemo ipſum vixiſſe ſentiat. Quo etiam alluſit Poëta Ouidius, cum ait.

Bene qui latuit, bene vixit.

Et Horatius: *Nec vixit male qui natus moriensq; fefellit.* Satius nimirũ eſſe cenſeas, in otio rebus ſic ſtãtibus viuere domi, quam publice in negotio: propterea quod is demum bene viuat, qui ſic viuit: & quidem ſine inuidia, vt & ſine gloria. Ex quo alterum illud Naſonis præceptum eſt:

Viue ſine inuidia, molleſq; inglorius annos
Exige. Et Horatii hoc in Epiſtolis:
Fuge magna: licet ſub paupere tecto,
Reges & regum vita præcurrere amicos.

Cuius generis eſt Senecæ quoq; illud in Hercule furente:

Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per vrbes
Garrula laudet, cœloq; parem
Tollat & aſtris: alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare ſecreto, tutoq; tegat.
Venit ad pigros cana ſenectus,
Humiliq; loco, ſed certa ſedet
Sordida parua fortuna domus:
Alte virtus animoſa cadit.

Et eiuſdem hoc in Thyeſte:

Stet quicunq; volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies:
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.

PH. Recte quidem iſta ſuo loco dicũtur, verumtamen quãdoque fortaſſis cupide nimis & arroganter. Nam vt inquit Ariſt. *lib. 4. Eth. cap. 4.* Et ambitioſum vituperamus, & eum qui nulla

gloria ducitur. Illum, quia nimio honoris ſtudio trahitur, & iis in rebus gloriam conſectatur, quibus quærenda nõ eſt: hunc, quoniam ne ex recte quidem factis, inſtituit gloriam quærere. Cumque iuxta eundem Ariſtotelem, homo animal ſit natura πολιτικὸν & ſociabile, omnino operã is dare debet, vt adiuuet ac tueatur, quãtum in ſe eſt, ciuilem hanc ſocietatem hominum, & in eam conferat aliquid ſuo labore & ſtudio: quo melius & commodius illa habeat. Quod qui non facit, ſed qui viuit ſolum, non reipublicæ, & in ocio ac voluptate vitam brutorum inſtar ſilentio tranſigit: nõ magis ornat ſtationem ſuam, in qua à Deo collocatus eſt, quam fuci aluearia & apum ſocietatẽ.

Quantum etenim diſtant à morte ſilentia vitæ?

Vt Hannibal apud Silium loquitur. Et, vt Horatius:

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Itaq; recte Menander:

Hoc viuere eſt, ſoli ſibi non viuere.

Nam (vt ad Architam ſcribit Plato) nõ ſibi ſoli natum ſe homo meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars illi relinquatur. Et M. Cicero in Officiis: Non ſolum nobis nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Itaq; inter homines, non inter arbores homini viuendum eſt, vt idem monet Plato: vt non ſolum nobis vtiles eſſe velimus: ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipubl. Sic boni viri eſt, munus reipubl. quodcunque fuerit commiſſum, libenter admittere: & pro virili hoc curare, & in eo adminiſtrando nihil temere deſperare. Non n. tam decet rempublicam geſſiſſe, quam gerere: vt Simonides ait apud Plutarchũ. Sic Plato in Epiſtolis monet, patriæ ad reipubl. officium aliquod ſuſcipiẽdum vocãti, omnino parendũ eſſe: præſertim cum ſimul accidit, vt aditus paucis hominibus relinquatur.

TH. Non eo fine priuatam vitam commendaui, quaſi velim eos qui vitã atq; actiones ſuas ad commune bonum conferunt, carpere atque damnare. Abſit hoc. Omnino namque bono publico inſeruire omnes tenentur, neq; dubiũ eſt, diuinitus excitari in quibuſdam motus heroicos, quorum inſtinctu res magnas ſæpenumero & ſuſcipiunt & conficiunt, quos motus heroicos vti vehementer laudo atq; admiror, ſi iuſta adhibeatur moderatio neque temere aliqd ſuſcipiatur: ita e conuerſo omnem arrogantiam atq; ambitionem, de qua ſermo veſter erat, impbo atq; deteſtor, ſatiuſque dixi eſſe, priuatim atq;

extra

extra ſtrepitum victitare, quã auſu temerario grandia eaq; infelici vtplurimum ſucceſſu moliri, aut ſi quãdo proſpero ſucceſſu aliqd conficitur, protinus efferri, aut cultum prope diuinum qui ipſis ob id exhibeatur, & admittere, & inſolenter etiam appetere.

EQ. φιλαυτία, cæcuſque ſui amor atq; admiratio ſæpenumero quoſdã in tranſuerſum ita rapit, vt nullius quãtumuis prudentiſſimi admonitionem commonefactionemve admittere, ſed ſoli ſibi ſapere velint, q̃ inſolẽtia haud raro in ſummũ omnium ſuarum rerum ac fortunarum diſcrimen eos induxit. Cuius rei extat exẽplum de Pyrrho Epirotarũ rege, qui nullis etiam prudentiſſimorũ virorum rationib. perſuaderi ſibi paſſus fuit, vt à bello, quod aduerſus Italiã parabat, abſiſteret. Atq; inter cæteros ipſius conſiliarios *Inconſulta temeritas.* Cyneas cumprimis, vt de ſententia ipſum deduceret, his verbis vſus fuit: Noſti Pyrrhe, Romanos imperio potentes, animo corporeq; pollere, multaſq; feras gẽtes domuiſſe. Si autẽ Dii fauerẽt nobis adeo, vt victoria potiremur, quid quæſo tibi vltra agendũ putares? reſpondente Pyrrho, ſe cũ Romanis militibus in Siciliã tum traiecturum, tum Cyneas: His ẽt deuictis, ait, quid vltra agetur? Aphricã traiiciemus, inqt Pyrrhus. Cui Cyneas, ſed his demum partis, quibus rebus tempora noſtra tranſigemus? Tum Pyrrhus: Læti vna inter feſtos dies, ludosq; agemus. Cyneas autẽ: Quis ꝓhibet, ſine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac ipſa hora, cũ tu magnus, atq; opulentus rex ſis, læte ſimul viuamus? Argute ſimul, ſapienterq; hominum inexplebilẽ cupiditatẽ oſtendens, q̃ incognita, eos ad infinita pericula deducit. Huic ſi Pyrrhus obtemperaſſet, neq; in Italia vulnꝰ accepiſſet, neq; ab Argis poſtea oppreſſꝰ vitã amiſiſſet. Si alii quoq; quos orbis terrarũ habet, principes iſta quæ Cyneas ſapiẽter Pyrrhum monebat, metiri vellẽt, ambitioſas curas magis frenarent, atq; ſibi, terrarumq; orbi ad quietioris vitæ curſum rectius cõſulerent. Nunc prauos maiora habendi impulſus ſequentes, nõ modo id aſſequuntur, vt anxii ſemꝑ viuant: verum etiam vt in grauiſſimas calamitates, atq; in ipſam mortẽ ſine vllius remedii ſpe, cũ populorum perturbatione incurrãt. *Ex Plutarch. in vita Pyrrhi.*

PH. Temerarias huiuſcemodi atq; inconſultas machinationes prudens antiquitas eleganti hoc apologo peſſundedit: Lupꝰ piſcis robore & magnitudine eximia ꝑditus, fluuii cuiuſdã imperium tenebat. Hunc ſuperbia & faſtidiũ ꝑſentis fortunæ ad cupiditatẽ extulit regni marini. De oſtio

igitur fluminis in pelagus enatat, atque ibi Delphino regnatori occurrens, cum & forma & mole inſueta terreretur, adoriente etiam hunc hoſtiliter Delphino, fuga ſe in amnem ſuum recepit, neq; poſtea vnquam extra oſtium excurrere auſus fuit.

PH. Eſt hæc humani ingenii intemperies, omnibus bonis exoſa pariter ſuisque autoribus exitioſa. Extat hac de re hiſtoria memorabilis eademq; execranda de Menecrate medico. Is enim, quum deſperatæ quædam curationes ipſi feliciter ceſſiſſet, populari adulatione dictus eſt Iupiter. Hoc cognomento vir arrogātis ingenii delectatus, inſolentius vſus eſt eo titulo. Tandem cū & Ageſilao (qui vti ſingulari modeſtia erat prędıtus, ita in aliis nō tulit arrogantiam) ſcriberet, nec veritus eſſet, hac vti ſalutatione. Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem: rex eo offenſus proœmio, præterea nihil dignatꝰ eſt legere, ſed reſcripſit in hunc modum: Rex Ageſilaus Menecrati ὑγιαίνειν, id eſt, bene valere, ac ſi dixiſſet, ſanam mētem tibi precor: χαίρειν Græci dicunt, quibus bene precantur, ὑγιαίνειν, ambiguum verbum, fere in malū ſonat, quo ſignificamꝰ abeſſe ſanitatē mētis.

EQ. Archidamus etiam, huius Ageſilai haud degener filius, ad eundem ferme modū, poſt conflictum apud Chæroneā, quum à Philippo rege Macedonū literas accepiſſet acerbius ſcriptas, reſcripſit: Si meriaris (inquit) vmbrā tuam, haud quaq̄ reperies illam factā maiorem q̄ erat ante victoriam. Grauiter admonens, non eſſe prudentis ob fortunæ ſucceſſum intumeſcere, cum ipſe ſit nihilo maior. Æquum autem eſt, vt homo ſe ſuis & propriis bonis metiatur potius quam externis, quæ fortuna cū libet dat, cum viſum eſt eripit. *Plutarch in Lacon.*

Gloria humana vanitas.

TH. Humanæ prauitatis inſolenria eſt, vt laudem & gloriā, vndecunq; aucupari geſtiat, adeoq; ſibi indulgeat, vt eorum quos pro adulandi ſtudio multa ſępe mentiri probe nouit, dicta nihilominus approbet, ꝙ quidem valde ſeruile eſt atq; indecorum. Vera namq; gloria, cōſcientiæ propriæ teſtimonio & bonorum omnium recte iudicantium approbatione conſtat. Eſtque vt inquit Cicero, conſentiens laus bonorum & incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute. Si quis igitur reuera is fuerit, qui eſſe & vult & debet, & qualis ab omnib. cupit celebrari, hunc demum ad veræ gloriæ culmē aſcendiſſe dixerim, & perpetuum nomini ſuo decus & ſplendorem acquiſiuiſſe. Is vere dignus eſt, quem omni laudum genere, & honore proſequantur oēs. Huc reſpiciunt ſacræ literæ, dum

dum pietatem & timorem Dei, gloriam & gloriationem & lætitiam & coronam exultationis appellant, atque inſigni hoc Elogio ornant, *Syr. 1.* quod initium dicunt eſſe omnis ſapientiæ: & quod nata ſit cum fidelibus, ſeu in intimis cordium penetralibus ſedem ſuam, non in labiis aut thraſonica factorum ſuorum iactantia conſtitutam habeat: & cum lectiſſimis fœminis gradiatur: & cum iuſtis & fidelibus conuerſetur. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatum ſedere illum facit Corona ſapientiæ timor Domini, reddens pacem & ſalutis fructum. *Syr. 11.* Eadem ad gloriam media monſtrat D. Paulus *Philip. 4.* dum inquit: Quæcunq; ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni ominis: Si qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate. Et veteres dixerunt, verum decus in virtute poſitum eſſe, nõ ſimulata illa & vmbratili, ſed vera, qua nominis noſtri famam ab obliuione vindicamus, claraque in luce reponimus, adeoque in ſtuporem nominis noſtri poſteros adducimus.

Cum igitur vera virtus nihil moretur hominum laudes, inuenti multi ſunt qui à populari gratia, & multitudinis applauſu, ita abhorruerunt, vt omni ſtudio cauerint, ne ad populares aures vitam inſtituerent ſuam, malueruntque viri boni eſſe, quam prædicari. Omnes igitur actiones ſuas ita inſtituerunt, vt ſoli Deo & conſcientiæ ſuæ ſatis facerent, Deoque ſoli probarentur, Non nobis, inquit vates, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Et *Pſalm. 28.* Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nominis eius: Qui gloriatur in Domino glorietur. Quo in negotio ipſe filius Dei ſuo nos inſtruens exemplo, miracula edidit innumera, & maieſtas atq; potentia ipſius omnium votis reſpondebat: Tantum tamen aberat, quo inde ſibi gloriam aucuparetur, vt potius occultari illa voluerit, ſæpius ſanitati reſtitutis præcipiens ne cui dicerent. Hinc Petrus, Iohannes, & cæteri Apoſtoli in ſummo Doctore modeſtiam imitati, quoties claudos erigebant, mortuos in vitam reuocabant, & alia ſtupenda miracula edebant, toties clara voce profeſſi ſunt, ſe ea edere in nomine Domini Ieſu Chriſti filii Dei, cui ſoli, non ſuę virtuti acceptum referebant, ſi quid bene & laudabiliter feciſſent: & in occulto magis quam aperte operati ſunt, prorſus ab omni inani laude alieni. Ita D. Paulus, etiamſi plus reliquis laboraſſet, omium tamen

ſe minimum appellauit. Et in Epiſtola ad Theſſal. Deum teſtem inuocat, quod in omnibus laboribus ſuis non quæſiuerit gloriam ab hominibus, neq; à Theſſalonicenſibus, neque ab aliis, cum tamen potuiſſet non in minori authoritate eſſe, quam reliqui Chriſti Apoſtoli.

Diuus Bartholomæus quamuis Regio ſtemmate oriundus, piſcatoribus tamen ſe adiunxit, tanto maior in regno cœlorum, quanto in terris abiectior. Neq; D. Bernhardi hic omittenda mentio videtur, qui in tantis donis ſummos oblatos honores, ſumma cum modeſtia declinauit ſemper, cumq; ab omnibus ſummus reputaretur, ipſe tamen ſeſe omnium infimum eſſe iudicauit, vt teſtatur autor vitæ eius in fine primi libri. Cumque Gregorius Pontifex Romanus aliquando à quodam impenſius laudaretur: Precare, inquit, hoſpes Deum, vt ſiã aliquando iis dignus, quę mihi tribuis, ac tu non indignus, vt opinio iſta improbari non poſſit.

PH. In hunc catalogum merito & Socratem referimus, qui quamuis virtutem in omni vita coleret, inanes tamen de ſe vulgi rumuſculos ita fugit, vt gloriæ contemptor ſummus ſit habitus, & quotidianis congreſſib. omnium ſe humillimum præſtiterit, quemadmodum Dialogi Platonis teſtantur: Et tamen omnium glorioſiſſimus euaſit, retinente erga eum proprio gloria ingenio, quæ fugientem ſequitur, ſequentem fugit.

EQ. Sed multo magis Fabium Maximum quam Philoſophos miramur, hominem politicum in ſummo rerum humanarum faſtigio collocatum, qui Imperator Romanus, ne cunctatoris quidem appellationẽ horruit, modo cũctatio illa patriæ profutura eſſet. Non igitur prætuliſſe ſe ait rumores hominũ publicæ vtilitati, & maluiſſe Ducem vtilem eſſe, quam vana & ſtulta prędicatione nobilitari.

TH. Tolerari aliquo modo hic hominum, virtutis fuco, laudem quærentium, vel error vel vanitas poſſet: niſi in eum furorẽ morbus iſte, & vana gloriæ cupido eos adigeret, vt inuerſo plane rerum ordine, ex iis reb. vnde vel maxime tetram infamiæ notam homines contrahunt, ex ipſis inquam turpiſſimis vitiis & execrandis flagitiis laudem & gloriam captare niterentur. Exemplis quod dixi, planum fiet. Annon enim multi hodie faſtu & inhumana toruitate, quum nec faciles viſu nec affabiles dictu ſint, ac tauricum & toruum tueantur; autoritatem & ſplendorẽ ſibi parare nituntur. Multis ſuis

artibus,

Digitized by Google

artibus, technis, impoſtura & fraudib. ingenii & induſtriæ laudem quærũt. Pleriq; diuites, cum auaritia, vſura, & dolo, pauperumque expilationibus, mediocres opes congeſſerunt, putant ſe dignoſeſſe, vt gloria ſint illuſtres, honore conſpicui. Hi ſcilic. neceſſario viri ſunt ſapientes, docti, facundi, multa rerum experientia prædití, & nullis non dignitatibus præficiendi.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores:
Inde grauis Iudex, inde ſeuerus eques.

Quanta hodie gloria eſt, quanta virtus, facile reliquos bibẽdo vincere & plenis Cyathis exhauriẽdis victoriam atq; palmã obtinere? Hic qui excellit, ad quæuis obeunda idoneus eſſe ducitur, huic honores deferũtur ſummi. Inuenies & alios, qui vſq; adeo omnẽ exuere pudorem, vt de malitia etiã ſua, de flagitiis, de libidinib. helluationibus, ſcortationibus, impoſturis & aliis ſceleribus impune atq; adeo lepide auſint gloriari. At diuina vltio has hominum laruas iam dudum auerſata eſt. Quid gloriatis, inquit, in malitia tua, qui potens es in iniquitate? tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum, iniquitatem magis quam loqui æquitatẽ. Dilexiſti omnia verba perditionis: lingua doloſa. Proptere. Deus deſtruet te in æternum, conteret te, & euellet te de tabernaculo, & radicem tuã de terra viuentium *Pſalm 52. 92.*

E. Q. Atque hinc eſt, quod ſæpenumero accidit, vt qui immodico laudis & gloriæ ſtudio flagrant, dum res ab ſe geſtas nimium extollunt, & immodice celebrant, plane ridiculi fiant & inepti, & quibus rebus gloriam & nominis ſplendorem affectabant, ex illis ipſis maximam inuidiam atq; ignominiam lucrentur. Cuius rei vel ſolus Cicero nobis exemplo eſſe poſſet, qui quantam φιλοτιμίᾳ ſua ſibi inuidiam attraxerit, & quantum lucis & ſplendoris nomini ſuo, alioquin ſplendidiſſimis virtutum ornamentis decorato, detraxerit, teſtatur Plutarchus: Nam cum poſt oppreſſum Catilinam maxima eius eſſet in ciuitate auctoritas, ipſe eam creberrima, & aſſidua prædicatione inſigniter minuiſſe, eiq; non minutulam labẽ, ſed plane ineluibilem aſperſiſſe: Cum vbique ſiue in ſenatu, ſiue in concionibus, ſiue in iudiciis, in ore haberet nihil niſi Catilinam & Lentulum, cũque libros ſuos & ſcripta laudibus compleret ſuis, iucundiſſimam ſuam & venuſtiſſimam dictionem, odioſam & ingratam auditorib. reddidiſſe. Teſtatur

tur etiam Epiſtola ad L. Lucceium, teſtatur oratio pro Archia, & alia eius ſcripta, quantopere gloriæ fuerit cupidus, quid quod multa eius præclara conſilia frequenter impediuiſſe, hiſtoria ipſius oſtendit.

TH. Nimirum gloriæ & honoris œſtro ſemel percitus animus hominis exaturari nequit, & quo pluribus cumulatur honoribus, plures ſemper deſiderat. Recte itaque Salomon Prouerb. 27. *Infernus & perditio nunquam implentur: Similiter & oculi hominũ inſatiabiles. Venter etiam impiorum inſatiabilis.* Et *Eccleſiaſt. 1. ca.* Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. In quam fere ſententiam etiam Horatius:

At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit.

Et Seneca cor inſatiabile hominis comparat cani voraciſſimo, qui licet fauces plenas habeat, appetit tamen plura, dumque vmbræ inhiat, bolum quem faucib. tenet, vt canis ille Æſopicus, amittit. Id quod M. Craſſo olim contigit, Romanorum ditiſſimo, qui cum quod ſatis erat nũquam habebat, audiens de templi Hieroſolymitani, deque Parthorum opibus, omnia ſua conſilia huc contulit, vt his potiretur; verum ſpe ſua fruſtratus, dum aliena affectauit, ſua vnà cum vita perdidit. Capto enim & occiſo aurum infudere liquefactum mortuo Parthi, *Aurum,* dicentes, ſitiiſti, aurum bibe. Sed & Alexander Magnus totius orbis imperio immẽſam gloriæ ſitim eluere haud potuit. Et in ipſa iuuentute, poſtquam Philoſophos diſputantes audiuiſſet, plures eſſe Mundos, in lachrymas ſolutus eſt; quod nec dum vnius mundi dominus factus fuerit. Poſtea vero vbi Perſicæ Monarchiæ potiundæ animum adieciſſet: nullas omnino pacis conditiones etiam æquiſſimas, à Dario propoſitas admittere voluit: ſed illi renunciari iuſſit: ſe in Aſiam non veniſſe ab aliis vt acciperet; ſed aliis vt daret. Vtque Mundos duos ſoles ferre non poſſet: Ita nec duo ſumma regna ferre poſſe. Proinde aut imperata faciat, aut in craſtinum bellum expectet.

PH. De Mario quid reminiſcor me apud Plutarchum legiſſe? Septuagenarius ille, & primus inter mortales ſeptimum Conſul factus; ad ſummum gloriæ faſtigium aſcendit: In ipſo tamen agone mortis ambitioſi ſpiritus ſigna oſtendit; dum ſortem lamentaretur ſuam, quaſi immaturæ mortis interuentu, omnes ſibi aditus ad gloriam reſque maximas conficiendas præcluderentur. Dies noctesque cum Mithridate bellum meditabatur, cuius gerendi

gerendi formam tam valida cogitatione menti impreſſerat, vt in delirium euaſerit. Et decumbens imaginatus ſibi ſit, bellum ſe gerere cũ Mithridate, & tales geſtus ac varios corporis motus, cum crebris iubilis & clamoribus habuerit, quales in prælio exhibere ſoli us fuerat. Eodem modo de Scylla, Pompeio, Iulio Cæſ. legimus, quod nunquam tantis tam eminentib. dignitatum honorumque gradibus ornati fuerint; vt his contenti, non expetiuerint ſubinde maiores.

E Q. Cæſar ad ſummam Imperii dignitatem peruenerat; nec tamen quieſcere potuit. Cenſuram poſtquam conſecutus eſſet, cognomen Patris Patriæ (quod ante eum primus Cicero meruit) affectauit. Quo adepto, ſtatuam ſuam inter reges locare contendit. Et hoc obtento, ſellam auream in curia poſuit. Et vlterius progreſſus, dictatoris perpetui nomen & dignitatem (quod ante eum nemo) obtinuit. Nec his contentus, eo arrogantiæ proceſſit, vt ſingula verba ſua ſingulas leges eſſe voluerit. Quinimò regis nomine & titulo, quamuis id adhuc diſſimularet, delectabatur: nec coram ſenatu aſſurgere amplius ſuſtinuit. Cumque ambitio eius omnium dignitatum humanarum faſtigium ſuperaſſet, vt quo altius iret non haberet; diuinos honores fieri ſibi voluit. Ita animus humanus modum in rebus ſeruare neſcius, & quo acquieſcat non inueniens; Plus vltra deſiderat. Vnde hoc ipſum plus vltra, magnis regibus ita familiare fuit, vt loco ſymboli eo vterentur.

PH. Inexhauſta Cæſaris ambitio minime probanda eſt, qua eo vſque progreſſus eſt, vt non tantum omnem gloriæ humanæ amplitudinem vſque adeo affectarit, ita vt plane nihil fecerit aliis reliquum; ſed etiam ampliora inſuper humano faſtigio, vt Suetonii verbis vtar, decerni ſibi paſſus fuerit; Non enim omnia ea, quæ iam dixiſti, ad gloriam ei ſufficiebant; quin etiam ſedem aureã in curia collocatã, & pro tribunali thenſam, & ferculum Circenſes, pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem menſis è ſuo nomine, & alios honores ad libidinem cepit & dedit. Atque hæc omnia etiam tantæ gloriæ ruinam opinione citius accelerarunt, vnde factum: vt quo glorioſior vita fuerit; tanto deſpectior vitæ exitus.

Et quæ res huius æmulum Pompeium euertit; niſi ingens gloria humanum faſtigium ſupergreſſa, & loco ſubſiſtere neſcia. Nam cum ingenti gloriæ cu-

piditate volitaretur, & parē ferre non poſſet, iactaretque palam ſe vnius ſupploſione pedis, totam Italiam militibus completurum, & vnus omnia eſſe, vnus omnia facere contēderet; quam cunctis aliis inuidit gloriam, ipſe amiſit; tāto in morte deſpectior, quanto in vita glorioſior.

EQ. Inſana eſt hominū laudis auidorum vanitas, tamq; immodica gloriæ ſitis, vt huius quæſtu atq; cōpendio, non modo extremis ſeſe fortunarum omnium exponere periculis, ſed & vitæ ipſius, præſentiſſimū adire diſcrimen nō dubitent. Cuius vanitatis vnicū adducam exemplum, q. de Artaxerxe Perſarum rege, & Ducib. eius, Plutarchus commemorat; Cū n. ſumma inter ſe contentione de gloria interfecti Cyri, ſingulis id ſibi imputantib. dimicarent, ipſeq; rex auro & munerib. Duces expugnare niteretur, ſibi vt eam gloriā tribuerēt; Duces nō modo aurum & regia muneta contemnere, ſed & vitam & omnia tormēta, huius permutatione gloriæ, parū curare ſe, non obſcure oſtenderūt. Cumq; palā iactarēt Cares & Mithridates nō à rege, ſed à ſe Cyrum interfectū fuiſſe, multis affecti tormētis miſere perierunt.

PH. Ardua igitur eſt, & plena periculis gloriæ acquiſitio, & penè inuia ad virtutem via; ſed & identidem eiuſdē non minus difficilis, quā laborioſa poſſeſſio. Cū enim nemo tam vilis atq; abiectæ ſit cōditionis, q. vel minimā famę & honoris ſui diminutionē æquo animo ferat: ſit vt ingenti cura & ſolicitudine cōſeruandæ gloriæ & honoris, animi hominū teneātur. Hinc fratres etiam chariſſimi mutuis exardeſcunt odiis: hinc amicitiæ ſoluuntur etiam intimæ. Hinc tot certamina, cędes, bella, ſeditiones; nec vlla peſtis maior, inquit Cicero, eſſe poteſt, quam in quibuſdam honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximæ ſæpe inter amiciſſimos extiterunt.

TH. Sed multo vehementior eſt eiuſdem gloriæ amittendæ affectus plenus omnis generis doloris & triſtitiæ. Quotus enim quiſque eſt, qui æquo animo vel minimam famæ, honoris aut gloriæ ſuæ diminutionem patiatur. Non omnes eo ſunt ingenio, vt facile imitentur Dauidem regium vatem Semei incontinentiam & atrocia conuitia ingenti animo tolerantem: aut Socratem aut Platonem, aut Ariſtidem, aut Dionem εἰς χεῖρ dicteria aut in ſe conīecta ſcommata facientes: aut Alexandrum M. qui regiū eſſe dixit benefacere & male audire: Aut Alphonſum Neapolitanum, qui etiam beneficiis affecit conuitiatores: aut Scipionē, qui

qui oblatos inſuper honores reſpuit, & pene tantum in recuſandis honoribus ſe geſſit, quantum egerat in exterendis: aut quod maximum eſt cõtinentiæ exemplum, ipſius Filii Dei, qui nuſquam miraculorum ſuorum famam voluit euulgari, nec paſſus eſt ſe regem creari, ab omni prorſus æmulationis & affectatæ gloriæ affectu alienus.

At miſeri mortales impotenti prorſus animo potius vitã ipſam profundere cupiunt, quam vel minimam famæ aut gloriæ iacturam admittere: Vili iniuria læſi immenſum dolorem capiunt, & ingentem iram concipiunt, quæ ipſos, quæ alios, quæ patriam & penates in tragicas coniicit calamitates. Nonne ſacræ literæ teſtantur, quanta ira ſanctiſſimus vates Ionas exarſerit aduerſus ipſum Iehouam, maluerit que totam Niniues ciuitatem funditus interire, quam falſus vates perhiberi?

PH. De M. Coriolano Liuius ſcriptum reliquit in quas calamitates & anguſtias propriam patriam coniecerit ob illã, quam à populo tulit, iniuriam. Cumque Dionyſius Syracuſ. ex poëſi laudem captare ſolitus eſſet, & accepiſſet poëmata ſua in certamine Olympiaco decantata, ludibrio habita fuiſſe, in ſummam triſtitiã mentiſq; abalienationẽ præ dolore incidit. Quemadmodum de Lycambe Pario hiſtoriæ teſtantur, quod cũ ab Archilocho poeta, ob denegatas filiæ nuptias, ïãbico carmine laceſſitus eſſet, contẽptus impatiens, ſuſpendio vna cum filiabus ſe ſuſtulerit. Ita Cambyſes Rex Ægypti, vt ſolus fortiſſimus haberetur, fratrem Smerdem, qui Æthiopicum arcum ipſo Rege eiuſq; comitibus, ad duos digitos validius attraxerat, ſola roboris æmulatione interfici iuſſit: Ademit, inquit Sabellicus, ea vis vitam fratri, Cambyſi regnum & vitam regno chariorem. Hæc vis Aiacem ad inſaniam redegit, vtq; ſibi ipſi cruentas inferret manus, poſtquam viderat ſibi Vlyſſem præferri, cõpulit. Quot bella funeſta & cruenta extiterunt ex hac æmulatione?

EQ. Æmulatio iſthæc in regnis maximè, Imperiis ac dignitatib. gliſcit, quorum acceſſione & augmento tãtum abeſt, vt hominum mẽtes ſatientur, vt etiam quo maius imperium, quo ampliora regna homines adipiſcũtur, eo maiora deſiderẽt: quo anguſtius Dominium poſſident, & latius Imperium adminiſtrandum conſecuti ſunt: tanto magis creſcat regnãdi cupido, & ardor ille inſatiabilis: atque adeo hic quoque quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ. Fuerũt, qui- *Regna & Imperia.*

Sic atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Chriſti verbum; Qui gladium accipit, gladio perit, plerunque etiam accidit, quod dicitur:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, αἷσπερ ὑπῆρξεν.

Sic nimirum ſui cuique mores plerunq; conciliant fortunàm: vt Cornelius Nepos ſcribit in vita Pomponii Attici: adeoq; ſecundum Ciceronem, faber eſt quiſq; fortunæ ſuæ.

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgo dictitant. Itaque vt bonus ſit finis, bonum principium eſſe neceſſe eſt, quod vt bonũ ſit, à Deo & cum Deo faciendum eſt principium, nomine ſcilicet, & auxilio implorato diuino: quod cum fit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis cõſequitur, vt Accurſii verbis vtar. Nam & ſecundum Platonem in legibus, Deus omnium vniuerſitas, quæ ſunt & exiſtunt, principium & finem, & medium continet, quæ ſcilicet eſt rerum omnium vniuerſitas, vt Pindarus ait: & Nazianzenus in Apologia: Optima ſane ratio eſt cuiuſuis ſermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo deſinere.

PH. O itaque dementiam hominum alienis bonis inhiantium deteſtandam! O inexplebilem auaritiam! Animalium omnium miſerrimo animalculo, eoq; ſuperbiſſimo, q, exiguo aere clauditur, paruoq; loco continetur, nõ ſufficit totus terrarum orbis, non tot regiones & populi ad obſequium parati? Vni ex omnib. terræ mariſq; partibus nunquam q, ſatis eſt aduehitur: Vni omnia parantur: vni congeruntur omnia; nec tamen vni omnia ſufficiunt, neq; vni⁹ auaritia expleri poteſt. Hinc appoſite admodum Philippus, prudentiſſimus ille imperator, cum aliquando in hippodromo delapſus ab equo, & reſurgẽs, locum quo in arena iacuerat intueretur, ad ſuos conuerſus dixit: Ecce quã exigua area nos capiat, qui totius orbis dominium ſtulte affectamus.

TH. Experientia certe teſtatur veriſſimum eſſe, quod de Demoſthene, deque Themiſtocle, Ælianus & Plutarchus annotarunt: Quod propoſi is duab. viis, quarũm vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortẽ, potius elegerint illam, q̃ ad ipſam duceret mortem; q̃ quę ad dignitates & honores. Hi namq; ſummi Reipublicæ Rectores propria experientia edocti, nouerunt quanta

quanta curarum, laborum, & moleſtiarum mole ac negotiorum concurſu obruãtur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur, quanto in periculo verſentur, quanta prudentia & circumſpectione nego ia omnia expedire, & quanta cura atq; ſollicitudine in omnes gerendi rei partes intẽtos eſſe eos oporteat; vt diſcrimina omnia vitare, & ſe dignos Magiſtratu præſtare poſſint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorũ in Rempub. laborum? nihil inde lucrantur aliud; quã quod amiſſa omni libertate omnium ſerui facti ſint: & dum ſe omnibus impendunt, & de ſingulis bene mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtrectantium calumniis atq; dicteriis exponuntur: dumque optimorum in rempublicã fama meritorum conſpicui eſſe cupiũt, ac ſaluti Reipublicæ proſpiciunt; ſibi, vitæ ſuæ, ocio & quieti, peſſime conſulunt: Denique dum infinita hominum, fores ipſorum obſidentium, turba, multiplicibus negotiis ſuis eos tota die macerat, & varie cogitationes eorum diſtrahit; tot curis, moleſtiis & laboribus conficiuntur, quot membra cõtinet aurea qua fulgent quave cinguntur cathena, aut quot pilis toga martibus ſeu muſtelis Scythicis ſubducta nitet. Et quamuis in magna luce atque ſplendore viuant, vix tamen vixiſſe videntur.

EQ. Sunt hæ quidem ipſorum curialium, hoc eſt eorum, qui à principum virorum cõſiliis ſunt atq; ſeruitiis, miſeriæ. Hinc illud memorabile de Simele quodam vulgo fertur, quod depoſita præfectura Palatina, ſub Adriano Cæſare, q̃ dignitas Auguſtorũ magnitudini ꝓxima fuit, cum p ſeptennium in agro priuatus vixiſſet, morti vicinus tumulo ſuo inſcripſerit: Hic Simeles iacet, cuiꝰ ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantũ ſeptem vixit. At enim non eadem eſt ipſorum principũ atq; Imperatorum conditio, quippe quorũ eſt præeſſe atq; imperare, cæterorum vero imperata fideliter atq; prudenter exequi. Etſi q. ſint, q vim inferre illis, ſiue clam ſiue palam velint, habent illi parata ſua ſatellitia, quæ pro ipſorum capite depugnant, omnemque vim ab eorum ceruicib. propellunt.

PH. Solitũ eſt principibus adhibere ſatellitium, q pro cuſtodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, recepto equidem magis more, q̃ ſapiẽti aut probo: quum principes eo ipſo metum ſuum teſtentur, qui fere ex conſcientia naſcitur, nec vlla certior cuſtodia ſit, q̃ innocẽtia & populorũ amor, q non armis aut terrore extorquetur, ſed amore, fide, dili- *Satellitia principum.*

Sic atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Christi verbum: Qui gladium accipit, gladio perit, plerunque etiam accidit, quod dicitur:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλίσκεται, ἅσπερ ὑπῆρξεν.

Sic nimirum ſui cuique mores plerunq; conciliant fortunam: vt Cornelius Nepos ſcribit in vita Pomponii Attici: adeoq; ſecundum Ciceronem, faber eſt quiſq; fortunæ ſuæ.

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgo dictitant. Itaque vt bonus ſit finis, bonum principium eſſe neceſſe eſt, quod vt bonũ ſit, à Deo & cum Deo faciendum eſt principium, nomine ſcilicet, & auxilio implorato diuino: quod cum ſit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis cõſequitur, vt Accurſii verbis vtar. Nam & ſecundum Platonem in legibus, Deus omnium vniuerſitas, quæ ſunt & exiſtunt, principium & finem, & medium continet, quæ ſcilicet eſt rerum omnium vniuerſitas, vt Pindarus ait: & Nazianzenus in Apologia: Optima ſane ratio eſt cuiuſuis ſermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo deſinere.

PH. O itaque dementiam hominum alienis bonis inhiantium deteſtandam! O inexplebilem auaritiam! Animalium omnium miſerrimo animalculo, eoq; ſuperbiſſimo, q; exiguo aere clauditur, paruoq; loco continetur; nõ ſufficit totus terrarum orbis, non tot regiones & populi ad obſequium parati? Vni ex omnib. terræ mariſq; partibus nunquam q; ſatis eſt aduehitur: Vni omnia parantur: vni congeruntur omnia; nec tamen vni omnia ſufficiunt, neq; vni⁹ auaritia expleri poteſt! Hinc appoſite admodum Philippus, prudentiſſimus ille imperator, cum aliquando in hippodromo delapſus ab equo, & reſurgẽs, locum quo in arena iacuerat intueretur, ad ſuos conuerſus dixit: Ecce quã exigua area nos capiat, qui totius orbis dominium ſtulte affectamus.

TH. Experientia certe teſtatur veriſſimum eſſe, quod de Demoſthene, deque Themiſtocle, Ælianus & Plutarchus annotarunt: Quod propoſitis duab. viis, quarum vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortẽ, potius elegerint illam, q̃ ad ipſam duceret mortem, q̃ quę ad dignitates & honores. Hi namq; ſummi Reipublicæ Rectores propria experientia edocti, nouerunt quanta

quanta curarum, laborum, & moleſtiarum mole ac negotiorum concurſu obruãtur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur, quanto in periculo verſentur, quanta prudentia & circumſpectione nego ia omnia expedire, & quanta cura atq; ſollicitudine in omnes gerendi rei partes intẽtos eſſe eos oporteat; vt diſcrimina omnia vitare, & ſe dignos Magiſtratu præſtare poſſint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorũ in Rempub. laborum? nihil inde lucrantur aliud; quã quod amiſſa omni libertate omnium ſerui facti ſint: & dum ſe omnibus impendunt, & de ſingulis bene mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtrectantium calumniis atq; dicteriis exponuntur: dumque optimorum in rempublicã fama meritorum conſpicui eſſe cupiũt, ac ſaluti Reipublicæ proſpiciunt; ſibi, vitæ ſuæ, ocio & quieti, peſſime conſulunt: Denique dum infinita hominum, fores ipſorum obſidentium, turba, multiplicibus negotiis ſuis eos tota die macerat, & varie cogitationes eorum diſtrahit; tot curis, moleſtiis & laboribus conficiuntur, quot membra cõtinet aurea qua fulgent quave cinguntur cathena, aut quot pilis toga martibus ſeu muſtelis Scythicis ſubducta nitet. Et quamuis in magna luce atque ſplendore viuant, vix tamen vixiſſe videntur.

EQ. Sunt hæc quidem ipſorum curialium, hoc eſt eorum, qui à principum virorum cõſiliis ſunt atq; ſeruitiis, miſeriæ. Hinc illud memorabile de Simele quodam vulgo fertur, quod depoſita præfectura Palatina, ſub Adriano Cæſare, q̃ dignitas Auguſtorũ magnitudini ꝓxima fuit, cum ꝑ ſeptenniũ in agro priuatus vixiſſet, morti vicinus tumulo ſuo inſcripſerit: Hic *S*imeles iacet, cuiꝰ ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantũ ſeptem vixit. At enim non eadem eſt ipſorum principũ atq; Imperatorum conditio, quippe quorũ eſt præeſſe atq; imperare, cæterorum vero imperata fideliter atq; prudenter exequi. Etſi q. ſint, q. vim inferre illis, ſiue clam ſiue palam velint, habent illi parata ſua ſatellitia, quæ pro ipſorum capite depugnant, omnemque vim ab eorum ceruicib. propellunt.

PH. *S*olitũ eſt principibus adhibere ſatellitium, q. pro cuſtodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, recepto equidem magis more, q̃ ſapiẽti aut probo: quum principes eo ipſo metum ſuum teſtentur, qui fere ex conſcientia naſcitur, nec vlla certior cuſtodia ſit, q̃ innocẽtia & populorũ amor, q. non armis aut terrore extorquetur, ſed amore, fide, dili-

Satellitia principum.

Sic atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Chriſti verbum: Qui gladium accipit, gladio perit, plerunque etiam accidit, quod dicitur:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, ἅισπερ ὑπῆρξεν.

Sic nimirum ſui cuique mores plerunq; conciliant fortunam: vt Cornelius Nepos ſcribit in vita Pomponii Attici: adeoq; ſecundum Ciceronem, faber eſt quiſq; fortunæ ſuæ.

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgo dictitant. Itaque vt bonus ſit finis, bonum principium eſſe neceſſe eſt, quod vt bonũ ſit, à Deo & cum Deo faciendum eſt principium, nomine ſcilicet, & auxilio implorato diuino: quod cum fit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis cõſequitur, vt Accurſii verbis vtar. Nam & ſecundum Platonem in legibus, Deus omnium vniuerſitas, quæ ſunt & exiſtunt, principium & finem, & medium continet, quæ ſcilicet eſt rerum omnium vniuerſitas, vt Pindarus ait: & Nazianzenus in Apologia: Optima ſane ratio eſt cuiuſuis ſermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo deſinere.

PH. O itaque dementiam hominum alienis bonis inhiantium deteſtandam! O inexplebilem auaritiam! Animalium omnium miſerrimo animalculo, eoq; ſuperbiſſimo, q; exiguo aere clauditur, paruoq; loco continetur, nõ ſufficit totus terrarum orbis, non tot regiones & populi ad obſequium parati? Vni ex omnib. terræ mariſq; partibus nunquam q. ſatis eſt aduehitur: Vni omnia parantur: vni congeruntur omnia; nec tamen vni omnia ſufficiunt, neq; vni⁹ auaritia expleri poteſt! Hinc appoſite admodum Philippus, prudentiſſimus ille Imperator, cum aliquando in hippodromo delapſus ab equo, & reſurgẽs, locum quo in arena iacuerat intueretur, ad ſuos conuerſus dixit: Ecce quã exigua area nos capiat, qui totius orbis dominium ſtulte affectamus.

TH. Experientia certe teſtatur veriſſimum eſſe, quod de Demoſthene, deque Themiſtocle, Ælianus & Plutarchus annotarunt: Quod propoſi is duab. viis, quarum vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortẽ, potius elegerint illam, q̃ ad ipſam duceret mortem; q̃ quę ad dignitates & honores. Hi namq; ſummi Reipublicæ Rectores propria experientia edocti, nouerunt quanta

quanta curatum, laborum, & moleſtiarum mole ac negotiorum concurſu obruātur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur, quanto in periculo verſentur, quanta prudentia & circumſpectione nego ia omnia expedire, & quanta cura atq; ſollicitudine in omnes gerendi rei partes intētos eſſe eos oporteat; vt diſcrimina omnia vitare, & ſe dignos Magiſtratu præſtare poſſint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorū in Rempub. laborum? nihil inde lucrantur aliud; quā quod amiſſa omni libertate omnium ſerui facti ſint: & dum ſe omnibus impendunt, & de ſingulis bene mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtrectantium calumniis atq; dicteriis exponuntur: dumque optimorum in rempublicā fama meritorum conſpicui eſſe cupiūt, ac ſaluti Reipublicæ proſpiciunt; ſibi, vitæ ſuæ, ocio & quieti, peſſime conſulunt: Denique dum infinita hominum, fores ipſorum obſidentium, turba, multiplicibus negotiis ſuis eos tota die macerat, & varie cogitationes eorum diſtrahit; tot curis, moleſtiis & laboribus conficiuntur, quot membra cōtinet aurea qua fulgent quave cinguntur cathena, aut quot pilis toga martibus ſeu muſtelis Scythicis ſubducta nitet. Et quamuis in magna luce atque ſplendore viuant, vix tamen vixiſſe videntur.

EQ. Sunt hæ quidem ipſorum curialium, hoc eſt eorum, qui à principum virorum cōſiliis ſunt atq; ſeruitiis, miſeriæ. Hinc illud memorabile de Simele quodam vulgo fertur, quod depoſita præfectura Palatina, ſub Adriano Cęſare, q̄ dignitas Auguſtorū magnitudini ꝓxima fuit, cum ꝑ ſeptennıū in agro priuatus vixiſſet, morti vicinus tumulo ſuo inſcripſerit: Hic *Simeles* iacet, cuius ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantū ſeptem vixit. At enim non eadem eſt ipſorum principū atq; Imperatorum conditio, quippe quorū eſt præeſſe atq; imperare, cæterorum vero imperata fideliter atq; prudenter exequi. Etſi q. ſint, q. vim inferre illis, ſiue clam ſiue palam velint, habent illi parata ſua ſatellitia, quæ pro ipſorum capite depugnant, omnemque vim ab eorum ceruicib. propellunt.

PH. Solitū eſt principibus adhibere ſatellitium, q. pro cuſtodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, recepto equidem magis more, q̄ ſapiēti aut probo: quum principes eo ipſo metum ſuum teſtentur, qui fere ex conſcientia naſcitur, nec vlla certior cuſtodia ſit, q̄ innocētia & populorū amor, q. non armis aut terrore extorquetur, ſed amore, fide, dili-

Satellitia principum.

Sic atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Chriſti verbum: Qui gladium accipit, gladio perit, plerunque etiam accidit, quod dicitur:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, ἅιςπερ ὑπῆρξεν.

Sic nimirum ſui cuique mores plerunq; conciliant fortunàm: vt Cornelius Nepos ſcribit in vita Pomponii Attici: adeoq; ſecundum Ciceronem, faber eſt quiſq; fortunæ ſuæ.

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgo dictitant. Itaque vt bonus ſit finis, bonum principium eſſe neceſſe eſt, quod vt bonũ ſit, à Deo & cum Deo faciendum eſt principium, nomine ſcilicet, & auxilio implorato diuino: quod cum fit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis cõſequitur, vt Accurſii verbis vtar. Nam & ſecundum Platonem in legibus, Deus omnium vniuerſitas, quæ ſunt & exiſtunt, principium & finem, & medium continet, quæ ſcilicet eſt rerum omnium vniuerſitas, vt Pindarus ait: & Nazianzenus in Apologia: Optima ſane ratio eſt cuiuſuis ſermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo deſinere.

PH. O itaque dementiam hominum alienis bonis inhiantium deteſtandam! O inexplebilem auaritiam! Animalium omnium miſerrimo animalculo, eoq; ſuperbiſſimo, q̄ exiguo aere clauditur, paruoq́; loco continetur; nõ ſufficit totus terrarum orbis, non tot regiones & populi ad obſequium parati? Vni ex omnib. terræ mariſq́; partibus nunquam q̄ ſatis eſt aduehitur: Vni omnia parantur: vni congeruntur omnia; nec tamen vni omnia ſufficiunt, neq; vni⁹ auaritia expleri poteſt. Hinc apposite admodum Philippus, prudentiſſimus ille imperator, cum aliquando in hippodromo delapſus ab equo, & reſurgẽs, locum quo in arena iacuerat intueretur, ad ſuos conuerſus dixit: Ecce quã exigua area nos capiat, qui totius orbis dominium ſtulte affectamus.

TH. Experientia certe teſtatur veriſſimum eſſe, quod de Demoſthene, deque Themiſtocle, Ælianus & Plutarchus annotarunt: Quod propoſi is duab. viis, quarum vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortẽ, potius elegerint illam, q̄ ad ipſam duceret mortem; q̄ quæ ad dignitates & honores. Hi namq; ſummi Reipublicæ Rectores propria experientia edocti, nouerunt

quanta

Digitized by Google

quanta curarum, laborum, & moleſtiarum mole ac negotiorum concurſu obruātur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur, quanto in periculo verſentur, quanta prudentia & circumſpectione nego ia omnia expedire, & quanta cura atq; ſollicitudine in omnes gerendi rei partes intētos eſſe eos oporteat; vt diſcrimina omnia vitare, & ſe dignos Magiſtratu præſtare poſſint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorū in Rempub. laborum? nihil inde lucrantur aliud; quā quod amiſſa omni libertate omnium ſerui facti ſint: & dum ſe omnibus impendunt, & de ſingulis bene mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtrectantium calumniis atq; dicteriis exponuntur: dumque optimorum in rempublicā fama meritorum conſpicui eſſe cupiūt, ac ſaluti Reipublicæ proſpiciunt; ſibi, vitæ ſuæ, ocio & quieti, peſſime conſulunt: Denique dum infinita hominum, fores ipſorum obſidentium, turba, multiplicibus negotiis ſuis eos tota die macerat, & varie cogitationes eorum diſtrahit; tot curis, moleſtiis & laboribus conficiuntur, quot membra cōtinet aurea qua fulgent quave cinguntur cathena, aut quot pilis toga martibus ſeu muſtelis Scythicis ſubducta nitet. Et quamuis in magna luce atque ſplendore viuant, vix tamen vixiſſe videntur.

EQ. Sunt hæ quidem ipſorum curialium, hoc eſt eorum, qui à principum virorum cōſiliis ſunt atq; ſeruitiis, miſeriæ. Hinc illud memorabile de Simele quodam vulgo fertur, quod depoſita præfectura Palatina, ſub Adriano Cęſare, q̄ dignitas Auguſtorū magnitudini ꝑxima fuit, cum ꝑ ſeptennū in agro priuatus vixiſſet, morti vicinus tumulo ſuo inſcripſerit: Hic Simeles iacet, cuiꝰ ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantū ſeptem vixit. At enim non eadem eſt ipſorum principū atq; Imperatorum conditio, quippe quorū eſt præeſſe atq; imperare, cæterorum vero imperata fideliter atq; prudenter exequi. Etſi q. ſint, q. vim inferre illis, ſiue clam ſiue palam velint, habent illi parata ſua ſatellitia, quæ pro ipſorum capite depugnant, omnemque vim ab eorum ceruicib. propellunt.

PH. Solitū eſt principibus adhibere ſatellitium, q. pro cuſtodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, receptro equidem magis more, q̄ ſapiēti aut probo: quum principes eo ipſo metum ſuum teſtentur, qui fere ex conſcientia naſcitur, nec vlla certior cuſtodia ſit, q̄ innocētia & populorū amor, q. non armis aut terrore extorquetur, ſed amore, fide, *Satellitia principum.*

dili-

ſe minimum appellauit. Et in Epiſtola ad Theſſal. Deum teſtem inuocat, quod in omnibus laboribus ſuis non quæſiuerit gloriam ab hominibus, neq; à Theſſalonicenſibus, neque ab aliis, cum tamen potuiſſet non in minori authoritate eſſe, quam reliqui Chriſti Apoſtoli.

Diuus Bartholomæus, quamuis Regio ſtemmate oriundus, piſcatoribus tamen ſe adiunxit, tanto maior in regno cœlorum, quanto in terris abiectior. Neq; D. Bernhardi hic omittenda mentio videtur, qui in tantis donis ſummos oblatos honores, ſumma cum modeſtia declinauit ſemper, cumq; ab omnibus ſummus reputaretur, ipſe tamen ſeſe omnium infimum eſſe iudicauit, vt teſtatur autor vitæ eius in fine primi libri. Cumque Gregorius Pontifex Romanus aliquando à quodam impenſius laudaretur: Precare, inquit, hoſpes Deum, vt fiã aliquando iis dignus, quę mihi tribuis, ac tu non indignus, vt opinio iſta improbari non poſſit.

PH. In hunc catalogum merito & Socratem referimus, qui quamuis virtutem in omni vita coleret, inanes tamen de ſe vulgi rumuſculos ita fugit, vt gloriæ contemptor ſummus ſit habitus, & quotidianis congreſſib. omnium ſe humillimum præſtiterit, quemadmodum Dialogi Platonis teſtantur: Et tamen omnium glorioſiſſimus euaſit, retinente erga eum proprio gloria ingenio, quæ fugientem ſequitur, ſequentem fugit.

F Q. Sed multo magis Fabium Maximum quam Philoſophos miramur, hominem politicum in ſummo rerum humanarum faſtigio collocatum, qui Imperator Romanus, ne cunctatoris quidem appellationẽ horruit, modo cũctatio illa patriæ ꝑfutura eſſet. Non igitur prætuliſſe ſe ait rumores hominũ publicæ vtilitati, & maluiſſe Ducem vtilem eſſe, quam vana & ſtulta prędicatione nobilitari.

TH. Tolerari aliquo modo hic hominum, virtutis fuco, laudem quærentium, vel error vel vanitas poſſet: niſi in eum furorẽ morbus iſte, & vana gloriæ cupido eos adigeret, vt inuerſo plane rerum ordine, ex iis reb. vnde vel maxime tetram infamiæ notam homines contrahunt, ex ipſis inquam turpiſſimis vitiis & execrandis flagitiis laudem & gloriam captare niterentur. Exemplis quod dixi, planum fiet. Annon enim multi hodie faſtu & inhumana toruitate, quum nec faciles viſu nec affabiles dictu ſint, ac tauricum & toruum tueantur; autoritatem & ſplendorẽ ſibi parare nituntur. Multis ſuis artibus,

artibus, technis, impoſtura & fraudib. ingenii & induſtriæ laudem quærũt. Plerique diuites, cum auaritia, vſura, & dolo, pauperumque expilationibus, mediocres opes congeſſerunt, putant ſe dignos eſſe, vt gloria ſint illuſtres, honore conſpicui. Hi ſcilic. neceſſario viri ſunt ſapientes, docti, facundi, multa rerum experientia præditi, & nullis non dignitatibus præficiendi.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores:
Inde grauis Iudex, inde ſeuerus eques.

Quanta hodie gloria eſt, quanta virtus, facile reliquos bibẽdo vincere & plenis Cyathis exhauriẽdis victoriam atque palmã obtinere? Hic qui excellit, ad quæuis obeunda idoneus eſſe ducitur, huic honores deferũtur ſummi. Inuenies & alios, qui vſque adeo omnẽ exuere pudorem, vt de malitia etiã ſua, de flagitiis, de libidinib. helluationibus, ſcortationibus, impoſturis & aliis ſceleribus impune atque adeo lepide auſint gloriari. At diuina vltio has hominum laruas iam dudum auerſata eſt. Quid gloriaris, inquit, in malitia tua, qui potens es in iniquitate? tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum, iniquitatem magis quam loqui æquitatẽ. Dilexiſti omnia verba perditionis: lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te in æternum, conteret te, & euellet te de tabernaculo, & radicem tuã de terra viuentium *Pſalm 52. 52.*

E. Q. Atque hinc eſt, quod ſæpenumero accidit, vt qui immodico laudis & gloriæ ſtudio flagrant, dum res ab ſe geſtas nimium extollunt, & immodice celebrant, plane ridiculi fiant & inepti, & quibus rebus gloriam & nominis ſplendorem affectabant, ex illis ipſis maximam inuidiam atque ignominiam lucrentur. Cuius rei vel ſolus Cicero nobis exemplo eſſe poſſet, qui quantam φιλοτιμίᾳ ſua ſibi inuidiam attraxerit, & quantum lucis & ſplendoris nomini ſuo, alioquin ſplendidiſſimis virtutum ornamentis decorato, detraxerit, teſtatur Plutarchus: Nam cum poſt oppreſſum Catilinam maxima eius eſſet in ciuitate auctoritas, ipſe eam creberrima, & aſſidua prædicatione inſigniter minuiſſe, eique non minutulam labẽ, ſed plane ineluibilem aſperſiſſe: Cum vbique ſiue in ſenatu, ſiue in concionibus, ſiue in iudiciis, in ore haberet nihil niſi Catilinam & Lentulum, cũque libros ſuos & ſcripta laudibus compleret ſuis, iucundiſſimam ſuam & venuſtiſſimam dictionem, odioſam & ingratam auditorib. reddidiſſe. Teſtatur

tur etiam Epiſtola ad L. Lucceium, teſtatur oratio pro Archia, & alia eius ſcripta, quantopere gloriæ fuerit cupidus, quid quod multa eius præclara conſilia frequenter impediuiſſe, hiſtoria ipſius oſtendit.

TH. Nimirum gloriæ & honoris œſtro ſemel percitus animus hominis exaturari nequit, & quo pluribus cumulatur honoribus, plures ſemper deſiderat. Recte itaque Salomon Prouerb. 27. *Infernus & perditio nunquam implentur: Similiter & oculi hominũ inſatiabiles. Venter etiam impiorum inſatiabilis.* Et *Eccleſiaſt. 1. ca.* Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. In quam fere ſententiam etiam Horatius:

At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit.

Et Seneca cor inſatiabile hominis comparat cani voraciſſimo, qui licet fauces plenas habeat, appetit tamen plura, dumque vmbræ inhiat, bolum quem faucib. tenet, vt canis ille Æſopicus, amittit. Id quod M. Craſſo olim contigit, Romanorum ditiſſimo, qui cum quod ſatis erat nũquam habebat, audiens de templi Hieroſolymitani, deque Parthorum opibus, omnia ſua conſilia huc contulit, vt his potiretur; verum ſpe ſua fruſtratus, dum aliena affectauit, ſua vnà cum vita perdidit. Capto enim & occiſo aurum infudere liquefactum mortuo Parthi, *Aurum*, dicentes, ſitiſti, aurum bibe. Sed & Alexander Magnus totius orbis imperio immēſam gloriæ ſitim eluere haud potuit. Et in ipſa iuuentute, poſtquam Philoſophos diſputantes audiuiſſet, plures eſſe Mundos, in lachrymas ſolutus eſt; quod nec dum vnius mundi dominus factus fuerit. Poſtea vero vbi Perſicæ Monarchiæ potiundæ animum adieciſſet: nullas omnino pacis conditiones etiam æquiſſimas, à Dario propoſitas admittere voluit: ſed illi renunciari iuſſit: ſe in Aſiam non veniſſe ab aliis vt acciperet; ſed aliis vt daret. Vtque Mundos duos ſoles ferre non poſſet: Ita nec duo ſumma regna ferre poſſe. Proinde aut impetata faciat, aut in craſtinum bellum expectet.

PH. De Mario quid reminiſcor me apud Plutarchum legiſſe? Septuagenarius ille, & primus inter mortales ſeptimum Conſul factus; ad ſummum gloriæ faſtigium aſcendit: In ipſo tamen agone mortis ambitioſi ſpiritus ſigna oſtendit; dum ſortem lamentaretur ſuam, quaſi immaturæ mortis interuentu, omnes ſibi aditus ad gloriam reſque maximas conficiendas præcluderentur. Dies noctesque cum Mithridate bellum meditabatur, cuius

gerendi formam tam valida cogitatione menti impreſſerat, vt in delirium euaſerit. Et decumbens imaginatus ſibi ſit, bellum ſe gerere cũ Mithridate, & tales geſtus ac varios corporis motus, cum crebris iubilis & clamoribus habuerit, quales in prælio exhibere ſoli us fuerat. Eodem modo de Scylla, Pompeio, Iulio Cæſ. legimus, quod nunquam tantis tam eminentib. dignitatum honorumque gradibus ornati fuerint; vt his contenti, non experiuerint ſubinde maiores.

E Q. Cæſar ad ſummam Imperii dignitatem peruenerat; nec tamen quieſcere potuit. Cenſuram poſtquam conſecutus eſſet, cognomen Patris Patriæ (quod ante eum primus Cicero meruit) affectauit. Quo adepto, ſtatuam ſuam inter reges locare contendit. Et hoc obtento, ſellam auream in curia poſuit. Et vlterius progreſſus, dictatoris perpetui nomen & dignitatem (quod ante eum nemo) obtinuit. Nec his contentus, eo arrogantiæ proceſſit, vt ſingula verba ſua ſingulas leges eſſe voluerit. Quinimò regis nomine & titulo, quamuis id adhuc diſſimularet, delectabatur: nec coram ſenatu aſſurgere amplius ſuſtinuit. Cumque ambitio eius omnium dignitatum humanarum faſtigium ſuperaſſet, vt quo altius iret non haberet; diuinos honores fieri ſibi voluit. Ita animus humanus modum in rebus ſeruare neſcius, & quo acquieſcat non inueniens; Plus vltra deſiderat. Vnde hoc ipſum plus vltra, magnis regibus ita familiare fuit, vt loco ſymboli eo vterentur.

PH. Inexhauſta Cæſaris ambitio minime probanda eſt, qua eo vſque progreſſus eſt, vt non tantum omnem gloriæ humanæ amplitudinem vſque adeo affectarit, ita vt plane nihil fecerit aliis reliquum; ſed etiam ampliora inſuper humano faſtigio, vt Suetonii verbis vtar, decerni ſibi paſſus fuerit; Non enim omnia ea, quæ iam dixiſti, ad gloriam ei ſufficiebant; quin etiam ſedem aureã in curia collocatã, & pro tribunali thenſam, & ferculum Circenſes, pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem menſis è ſuo nomine, & alios honores ad libidinem cepit & dedit. Atque hæc omnia etiam tantæ gloriæ ruinam opinione citius accelerarunt, vnde factum: vt quo glorioſior vita fuerit; tanto deſpectior vitæ exitus.

Et quæ res huius æmulum Pompeium euertit; niſi ingens gloria humanum faſtigium ſupergreſſa, & loco ſubſiſtere neſcia. Nam cum ingenti gloriæ cu-

piditate volitaretur, & paté ferre non poſſet, iactaretque palam ſe vnius ſupploſione pedis, totam Italiam militibus complecturum, & vnus omnia eſſe, vnus omnia facere contéderet; quam cunctis aliis inuidit gloriam, ipſe amiſit; tāto in morte deſpectior, quanto in vita glorioſior.

EQ. Inſana eſt hominū laudis auidorum vanitas, tamq; immodica gloriæ ſitis, vt huius quæſtu atq; cōpendio, non modo extremis ſeſe fortunarum omnium exponere periculis, ſed & vitæ ipſius, præſentiſſimū adire diſcrimen nō dubitent. Cuius vanitatis vnicū adducam exemplum, q̄ de Artaxerxe Perſarum rege, & Ducib. eius, Plutarchus commemorat; Cū n. ſumma inter ſe contentione de gloria interfecti Cyri, ſingulis id ſibi imputantib. dimicarent, ipſeq; rex auro & munerib. Duces expugnare niteretur, ſibi vt eam gloriā tribuerēt; Duces nō modo aurum & regia munera contemnere, ſed & vitam & omnia tormēta, huius permutatione gloriæ, parū curare ſe, non obſcure oſtenderūt. Cumq; palā iactarēt Cates & Mithridates nō à rege, ſed à ſe Cyrum interfectū fuiſſe, multis affecti tormētis miſere perierunt.

PH. Ardua igitur eſt, & plena periculis gloriæ acquiſitio, & penè inuia ad virtutem via; ſed & identidem eiuſdē non minus difficilis, quā laborioſa poſſeſſio. Cū enim nemo tam vilis atq; abiectæ ſit cōditionis, q. vel minimā famę & honoris ſui diminutionē æquo animo ferat: fit vt ingenti cura & ſolicitudine cōſeruandæ gloriæ & honoris, animi hominū teneātur. Hinc fratres etiam chariſſimi mutuis exardeſcunt odiis: hinc amicitiæ ſoluuntur etiam intimæ. Hinc tot certamina, cędes, bella, ſeditiones; nec vlla peſtis maior, inquit Cicero, eſſe poteſt, quam in quibuſdam honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximæ ſæpe inter amiciſſimos extiterunt.

TH. Sed multo vehementior eſt eiuſdem gloriæ amittendæ affectus plenus omnis generis doloris & triſtitiæ. Quotus enim quiſque eſt, qui æquo animo vel minimam famæ, honoris aut gloriæ ſuæ diminutionem patiatur. Non omnes eo ſunt ingenio, vt facile imitentur Dauidem regium vatem Semei incontinentiam & atrocia conuitia ingenti animo tolerantem: aut Socratem aut Platonem, aut Ariſtidem, aut Dionem εἰς χεῖ dicteria aut in ſe coniecta ſcommata facientes: aut Alexandrum M. qui regiū eſſe dixit benefacere & male audire: Aut Alphonſum Neapolitanum, qui etiam beneficiis affecit conuitiatores: aut Scipionē, qui

qui oblatos inſuper honores reſpuit, & pene tantum in recuſandis honoribus ſe geſſit, quantum egerat in emerendis: aut quod maximum eſt cōtinentiæ exemplum, ipſius Filii Dei, qui nuſquam miraculorum ſuorum famam voluit euulgari, nec paſſus eſt ſe regem creari, ab omni prorſus æmulationis & affectatæ gloriæ affectu alienus.

At miſeri mortales impotenti prorſus animo potius vitā ipſam profundere cupiunt, quam vel minimam famæ aut gloriæ iacturam admittere: Vili iniuria læſi immenſum dolorem capiunt, & ingentem iram concipiunt, quæ ipſos, quæ alios, quæ patriam & penates in tragicas coniicit calamitates. Nonne ſacræ literæ teſtantur, quanta ira ſanctiſſimus vates Ionas exarſerit aduerſus ipſum Iehouam, malueritque totam Niniues ciuitatem funditus interire, quam falſus vates perhiberi?

PH. De M. Coriolano Liuius ſcriptum reliquit in quas calamitates & anguſtias propriam patriam coniecerit ob illā, quam à populo tulit, iniuriam. Cumque Dionyſius Syracuſ. ex poëſi laudem captare ſolitus eſſet, & accepiſſet poëmata ſua in certamine Olympiaco decantata, ludibrio habita fuiſſe, in ſummam triſtitiā mentiſq; abalienationē ptæ dolore incidit. Quemadmodum de Lycambe Pario hiſtoriæ teſtantur, quod cū ab Archilocho poeta, ob denegatas filiæ nuptias, ïābico carmine laceſſitus eſſet, contēptus impatiens, ſuſpendio vna cum filiabus ſe ſuſtulerit. Ita Cambyſes Rex Ægypti, vt ſolu fortiſſimus haberetur, fratrem Smetdem, qui Æthiopicum arcum ipſo Rege eiuſq; comitibus, ad duos digitos validius attraxetat, ſola roboris æmulatione interfici iuſſit: Ademit, inquit Sabellicus, ea vis vitam fratri, Cambyſi regnum & vitam regno chariorem. Hæc vis Aiacem ad inſaniam redegit, vtq; ſibi ipſi cruentas inferret manus, poſtquam viderat ſibi Vlyſſem præferri, cōpulit. Quot bella funeſta & cruenta extiterunt ex hac æmulatione?

EQ. Æmulatio iſthæc in tegnis maximè, Imperiis ac dignitatib. gliſcit, quorum acceſſione & augmento tātum abeſt, vt hominum mētes ſatientur, vt etiam quo maius imperium, quo ampliora regna homines adipiſcū-tur, eo maiora deſiderēt: quo auguſtius Dominium poſſident, & latius Imperium adminiſtrandum conſecuti ſunt: tanto magis creſcat regnādi cupido, & ardor ille inſatiabilis: atque adeo hic quoque quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ. Fuetūt, qui- *Regna & Imperia.*

Digitized by Google

bus totus nõ ſufficiebat orbis terrarum. Quod ſi per Alexandrum Magnum ſtetiſſet, neque ſegnities atque vecordia militum, eius conatus impediuiſſet, quid illum non facturum fuiſſe credimus? certe non conſtituiſſet Gandem Indiæ vlterioris fluuium, terminum victoriarum & gloriæ ſuæ, neque arma depoſuiſſet; niſi prius omnibus orbis terrarũ angulis peragratis, eos ſuo imperio ſubieciſſet. Nam vt eſt autor Plutarchus, quamuis paulo aliter Curtius: cum milites Alexãdri Magni ob difficilem cum Poro Indiæ Rege pugnam, pertæſi militiæ & itinerum, & ob ſtupendã fluminis latitudinẽ duorũ videlicet & triginta ſtadiorum, & profunditatem centum vlnarum, ingentemque Indorum, eos in vlteriore ripa, cum ſex millibus Elephantorum, præſtolantium copiam; Gandem tranſire noluiſſent: Rex animi mærore & ira perculſus, in tabernaculum ſeſe abdidit, & præ furore in terram proſtratus; omnes victorias ſuas pro nihilo reputauit, pœnituitq; illum rerum ab ſe geſtarum omnium.

EQ. Idem in Cyro affectus, cui non ſatis erat totius orbis imperium, capta Babylone, & deuicto Aſtyage Medorum Rege, regno ſuo Perſico adieciſſe, & hoc modo Monarchiam nouam condidiſſe: At quæ dira Erinnys furiis eum exagitauit tam cæcis & noxiis? vt non contentus tanto imperio; opibus & regno Maſſagetarum inhiaret? à fœmina deuicta quæ gloria? At victus à fœmina tanta ſtrage, ne nuncius quidem eius ſuperſtes manſerit; ſummam reportauit pro gloria ignominiam.

PH. Xerxis quoq; idem fuit infortunium. Huic non ſufficiebant immenſæ opes à tot Regibus Perſicis collectæ, totiuſue orientis Imperiũ; Græciam inſuper anhelans ſitiuit. At illa intolerabilẽ hanc ſitim ita cõpeſcuit atq; reſtinxit, vt laceſſere eam & ſitire amplius non ſuſtinuerit.

TH. Quæ res Herodem Galileæ tetrarcham ſtimulauit, vt Agrippæ regno parum honeſtis rationibus inſidiaretur; niſi auaritia vxoris Herodiadis, indigne ferentis, Agrippam fratrem ſuum, adblandiendo Caligulę, Regiam dignitatem obtinuiſſe; ſuum vero maritum Herodem, tantummodo tetrarchia Galileæ contẽtum eſſe debere. Herodes itaque huius inſtinctu atque compulſu, ad Caium profectus, falſis & fictis criminationibus, affinem regno exuere tentauit; ſed ſpe defraudatus, mutataque fortuna, in exilium cũ vxore pulſus, tetrarchia exutus eſt: quam illi relinquere coactus fuit, cuius regnum temere

temere affectauit. Agrippa enim cognitis inſidiis, miſit qui Herodem coram Caligula proditionis & conſpirationis cum Artabano Partho, reum agerent & conuincerent.

E Q. Conſimilem propemodum hiſtoriam recenſet Cramerus *in prin. lib. 1. Chron. Polon.* de inſatiabili Vladiſlai Ducis Poloniæ æſtu inuadendi fratrum ſuorum ditiones. Nam cum eodem plane quo Herodes modo, ſuaſu & inſtinctu coniugis ſuæ Chriſtinæ Henrici 5. Imperatoris Romani filiæ, mulieris ambitioſę & auaræ, reliquos tres fratres, vt ſolus Poloniam obtineret totam (quam tamen pater Ladiſlaus teſtamento in partes æquales inter quatuor filios diuiſerat) ditionibus ſpoliare conſtituiſſet; nullis fratrum precibus, nullis obteſtationibus, nulla totius regni, factorumq; hominum interceſſione, à nefario propoſito reuocari ſe paſſus eſt. Fratres itaq; Poſnaniæ obſidione cinxit, preſſit, & in maximas anguſtias redegit. Neceſſitas deſperatis conſilium ſuppeditauit, animum addidit, arma præbuit: Quibus correptis, facta eruptione, caſtra furentes ſecura inuadunt & accidit mirabili Dei iudicio, vt q. iam triumphare ferme & fratres in poteſtatem ſuam redegiſſe videbatur, à fratribus victus, ditione propria exutus, & omni Polonia eiectus, vna cum vxore in Germania contabuerit.

TH. Nimirum mali principii malus eſt exitus. Nam & ſecundum Ouidium: *Principiis omen ineſſe ſolet.* Quanquã enim, vt Hieronymus ſcribit, ſæpe ſiniſtra principia ad finem perueniunt fælicem: tamen multo eſt verius ea, quæ malo ſunt inchoata principio, vix vnquam bono peragi exitu, vt Leo Papa reſcripſit in quodam Canone. Qui & principatum, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitio occupauit, etiãſi moribus, aut actibus non offendat, ipſius tamen initii ſui exemplo pnicioſum eſſe dicit. Quandoquidem ex malo nil niſi malũ prouenit: &, vt Iuſtinianus Imperator loquitur, vno principio illicito dato, plurima ſequuntur alia illicita. Sed & qui dat malum, rurſus accipit, vt ſit nimirum, quod vocant, Termerium malum, & quaſi vindicta Neoptolemea, in qua idem hoc quis patitur, quod fecit alteri. Nam, vt Rhadamanti ille verſus habet,

Si quis quæ fecit, patitur, iuſtiſſima pœna eſt.

Etenim verum eſt, quod dicitur, per quæ quis peccat, per eadem punitur: &, vt Græci loquuntur: δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν καὶ παιδεύεται. Cui reſpõdet Heſiodeũ illud:

Qualia vir patrat, talis manet exitus illum.

Sic atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ, etiam in hac vita, manetque immotum illud, & perpetuum Chriſti verbum: Qui gladium accipit, gladio perit, plerunque etiam accidit, quod dicitur:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, ἅισπερ ὑπῆρξεν.

Sic nimirum ſui cuique mores plerunq; conciliant fortunàm: vt Cornelius Nepos ſcribit in vita Pomponii Attici: adeoq; ſecundum Ciceronem, faber eſt quiſq; fortunæ ſuæ.

Viro bono fortunam dat Deus bonam.

Contra autem, Malis ter mala, & malus malum reperit, vt vulgo dictitant. Itaque vt bonus ſit finis, bonum principium eſſe neceſſe eſt, quod vt bonũ ſit, à Deo & cum Deo faciendum eſt principium, nomine ſcilicet, & auxilio implorato diuino: quod cum fit, ex eo bonum initium, melius medium, optimus finis cõſequitur, vt Accurſii verbis vtar. Nam & ſecundum Platonem in legibus, Deus omnium vniuerſitas, quæ ſunt & exiſtunt, principium & finem, & medium continet, quæ ſcilicet eſt rerum omnium vniuerſitas, vt Pindarus ait: & Nazianzenus in Apologia: Optima ſane ratio eſt cuiuſuis ſermonis aut operis exordiendi, à Deo facere principium, & in Deo deſinere.

PH. O itaque dementiam hominum alienis bonis inhiantium deteſtandam! O inexplebilem auaritiam! Animalium omnium miſerrimo animalculo, eoq; ſuperbiſſimo, q. exiguo aere clauditur, paruoq; loco continetur, nõ ſufficit totus terrarum orbis, non tot regiones & populi ad obſequium parati? Vni ex omnib. terræ mariſq; partibus nunquam q. ſatis eſt aduehitur: Vni omnia parantur: vni congeruntur omnia; nec tamen vni omnia ſufficiunt, neq; vni⁹ auaritia expleri poteſt. Hinc appoſite admodum Philippus, prudentiſſimus ille imperator, cum aliquando in hippodromo delapſus ab equo, & reſurgẽs, locum quo in arena iacuerat intueretur, ad ſuos conuerſus dixit: Ecce quã exigua area nos capiat, qui totius orbis dominium ſtulte affectamus.

TH. Experientia certe teſtatur veriſſimum eſſe, quod de Demoſthene, deque Themiſtocle, Ælianus & Plutarchus annotarunt: Quod propoſitis duab. viis, quarum vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortẽ, potius elegerint illam, q̃ ad ipſam duceret mortem; q̃ quę ad dignitates & honores. Hi namq; ſummi Reipublicæ Rectores propria experientia edocti, nouerunt quanta

quanta curarum, laborum, & moleſtiarum mole ac negotiorum concurſu obruãtur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur, quanto in periculo verſentur, quanta prudentia & circumſpectione nego ia omnia expedire, & quanta cura atq; ſollicitudine in omnes gerendi rei partes intẽtos eſſe eos oporteat; vt diſcrimina omnia vitare, & ſe dignos Magiſtratu præſtare poſſint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorũ in Rempub. laborum? nihil inde lucrantur aliud; quã quod amiſſa omni libertate omnium ſerui facti ſint: & dum ſe omnibus impendunt, & de ſingulis bene mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtrectantium calumniis atq; dicteriis exponuntur: dumque optimorum in rempublicã fama meritorum conſpicui eſſe cupiũt, ac ſaluti Reipublicæ proſpiciunt; ſibi, vitæ ſuæ, ocio & quieti, peſſime conſulunt: Denique dum infinita hominum, fores ipſorum obſidentium, turba, multiplicibus negotiis ſuis eos tota die macerat, & varie cogitationes eorum diſtrahit; tot curis, moleſtiis & laboribus conficiuntur, quot membra cõtinet aurea qua fulgent quave cinguntur cathena, aut quot pilis toga marti bus ſeu muſtelis Scythicis ſubducta nitet. Et quamuis in magna luce atque ſplendore viuant, vix tamen vixiſſe videntur.

E Q. Sunt hæ quidem ipſorum curialium, hoc eſt eorum, qui à principum virorum cõſiliis ſunt atq; ſeruitiis, miſeriæ. Hinc illud memorabile de Simele quodam vulgo fertur, quod depoſita præfectura Palatina, ſub Adriano Cęſare, q̃ dignitas Auguſtorũ magnitudini ꝓxima fuit, cum p ſeptenniũ in agro priuatus vixiſſet, morti vicinus tumulo ſuo inſcripſerit: Hic Simeles iacet, cuiꝰ ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantũ ſeptem vixit. At enim non eadem eſt ipſorum principũ atq; Imperatorum conditio, quippe quorũ eſt præeſſe atq; imperare, cæterorum vero imperata fideliter atq; prudenter exequi. Etſi q. ſint, q. vim inferre illis, ſiue clam ſiue palam velint, habent illi parata ſua ſatellitia, quæ pro ipſorum capite depugnant, omnemque vim ab eorum ceruicib. propellunt.

PH. Solitũ eſt principibus adhibere ſatellitium, q. pro cuſtodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, recepto equidem magis more, q̃ ſapiẽti aut probo: quum principes eo ipſo metum ſuum teſtentur, qui fere ex conſcientia naſcitur, nec vlla certior cuſtodia ſit, q̃ innocẽtia & populorũ amor, q. non armis aut terrore extorquetur, ſed amore, fide, dili-

Satellitia principum.

diligentia & cura communium commodorum elicitur. Hinc nō immerito laudata eſt Agaſiclis Lacedæmoniorum regis ſapientiſſima vox, poſſe quemuis ſine ſatellitio regnare, qui ſic ſubditis imperaret, vt filiis pater. Vnde elegāter M. Antoninꝰ Verus dixit, neque pecuniæ vim tyrannidis luxuriā explere poſſe: aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem, niſi ipſi quos regit, animū imperanti beneuolentiamq; acco mmodent. Quippe ii demum diu tutoq; imperant, qui nō metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate ciuium ſuorum animis inſtillant. Neque enim quos ſæuire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare ſua quæque voluntas adegit, ii ſunt in agendo patiendoque à ſuſpicione omni aſſentationeque vacui: nunquamque imperia detrectant, niſi violenter contumelioſeque ſint habiti. *Herodianus lib. 1.* Huc cōgruit illud Terentii *in Adelph.*

Errat longe, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum,
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet.
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingeniū redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit.
Studet par referre, præſens, abſensque idem erit.

TH. Satellitium itaq; omniū virtutum atque actionum honeſtarum, ſubditorum affectu atq; amore conſolidatum, ſi circundabūt animis ſuis viri principes, ſecuriores illos ac tutiores præſtabit, quam haſtati aut ſagittarii quicunque. Nam corporea cuſtodia, corrupta nonnunquam vel pretio, vel metu vel delitiis, imperatorem ſuum aut deſeruit, vt Neronem: aut ꝓdidit, vt Galbam: aut etiam occidit, vt Pertinacem. Hi vero quos principi cōprecamur, ſemel bona fide adſciti, pectora ſua pro ſalute illorū qui eos adſciuerunt, aduerſus impetus aſſultusque & inſidias oēs obiiciunt. Eſt enim maius animo periculum à viribus & aſtu vitiorum, quam corpori ab externis aut intimis ſimultatibus: quanto cuiq; charior eſſe debet animus quam corpus, & vitiorum callidiores inſidiæ atque occultiores, & eorum tyrannis grauior, & interitus animi acerbior ac terribilior.

Imperatoria munia.

EQ. Vere itaque Saturnius, hortantibus militibus vt imperiū ſuſciperet, ait: Neſcitis ô milites, quātum mali ſit imperare: gladii

vi

vi ceruicibus imminent, haſtæ vndique, ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non ciuibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, nõ bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. *Bruſon.lib.3.cap.13.*

PH. Cautione profecto omnimoda ac prudẽti circumſpectione vndiquaque opus habent viri principes atq; Imperatores ne inſuſurratorum deliniti lenociniis inconſulto aliquid ſtatuãt, cuius nomine ipſe Princeps ſiue Imperator male deinceps audiat, ipſumq; ſero tandem eius pœniteat. Nam haud raro vſuvenire cõſueuit, quod Flauius Vopiſcus in Aureliano tradit: Colligunt, inquit, ſe quatuor aut quinque, ſimul conſilium ad decipiendum Imperatorem capiũt, dicunt, q͞d probandum ſit. Imperator q̃ domi clauſus eſt, vera nõ nouit: cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquũtur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à republ. quos debebat retinere. Ita bonus, cautus, optimus vẽditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum ſatis eſſe putat naſci, aut eligi: naſci vtcunque, eligi emptis ſuffragiis, ac ſolennibus ceremoniis confirmari.

EQ. Non ſolum itaq;, vt inq̃t Cic. *in orat. pro lege Manilia*, bellãdi virtus in ſummo atq; pfecto Imperatore quærenda eſt, ſed multę ſunt artes eximiæ, huius adminiſtræ, comitesq; virtutis. Sunt autẽ virtutes Imperatoriæ, teſte eodem Cicer. *in eadem orat.* labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſiliũ in ꝓuidendo, quiq; ſapientia, vigilantia, ingenio, humanitate animiq; integritate cæteris antecellat.

PH. Prudentem etiam vndiquaq; diſcretionem in omnibus negotiis adhibeat neceſſe eſt. Qui enim vt inquit Plutarch. venantur beſtias, induunt exuuium cerui: qui aucupantur aues, plumatis vtuntur tunicis: cauentque ne tauris appareant in veſte purpurea, rubra: aut alba elephantis, quod hoc colore irritentur: Sic qui velit feram nationem cicurare, domareque, moribus ac veſtitu ſemet illi ad tempus accommodet, neceſſum eſt. *In Moral.* Hinc eſt, quod rex Aragoniæ *Alphonſus* ſæpenumero peroptare ſolebat, vt popularium ſuorum vnuſquiſq; rex extitiſſet, quo demum illi, vtpote experti, cognoſcerent principum occupationes & curas. Hoc vnico forſan modo fieri poſſe, vt deſinerent moleſti & importuni eſſe. Notabat autẽ, q̃ difficile eſſet imperare, cum tã diuerſa ſint hominum ingenia, diuerſi mores, quib. principes ſe accommodare neceſſe habent. *Panorm. li.4. de Alphon. reb. geſtis.*

EQ. Rara eſt in tanto fortunæ faſtigio, aut certe non ita frequens, tam mitis humanitas, quę ſubditorum ingeniis atque humoribus, imo ēt peruerſitati ſeſe accommodet, & tantum nō ſubmittat. At fuerunt tamen. Atque inter hos cum primis Diuus Auguſtus, Romanorum Imperator, mitiſſimus fuit. Cuius rei vnum è quamplurimis documentum in medium proferam. Cum enim annum quadrageſimũ tranſiſſet, & in Gallia moreretur, delatũ eſt ad eum indicium, L. Cinnam ſtolidi ingenii virũ inſidias ei ſtruere. Dictum eſt, & vbi & quando & quemadmodum aggredi vellet. Vnus ex ſociis deferebat. Conſtituit ſe ab eo vindicare. Cōſilium amicorum aduocari iuſſit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adoleſcentem nobilem hoc detracto integrũ, Cn. Pompeii nepotem damnandum. Iam vnum hominem occidere non poterat, quum M. Antonio proſcriptionis edictum inter cænam dictaret. Gemens ſubinde voces emittebat varias & inter ſe contrarias: *Quid ergo? Ego percuſſorem meum ſecurum ambulare patiar, me ſollicito. Ergo non dabit pœnas, qui tot ciuilibus bellis fruſtra petitum caput, tot naualibus, tot pedeſtribus prælis incolume, poſtquam terra marique pax parta eſt, non occidere conſtituat, ſed immolare?* (Nam ſacrificantem placuerat adoriri.) Rurſus ſilentio interpoſito, maiore multo voce ſibi, quam Cinnæ iraſcebatur. Quid viuis, ſi perire te tam multorum intereſt? Quis finis erit ſuppliciorum? Quis ſanguinis? Ego ſum nobilibus adoleſcentulis expoſitum caput, in quod mucrones acuant. Nō eſt tanti vita; ſi vt ego non peream, tam multa perdenda ſunt. Interpellauit tandem illum Liuia vxor: *Et admittis*, inquit, *muliebre conſilium? Fac quod medici ſolent, qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profeciſti: Saluidienum Lepidus ſecutus eſt, Lepidum Murana, Muranam Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceam, quos tantum auſos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignoſce L. Cinnæ. deprehenſus eſt. Iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt.* Gauiſus ſibi, quod aduocatum inuenerat, vxori quidem gratias egit: renunciari autem extemplo amicis quos in conſilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad ſe accerſit: dimiſſisque omnibus è cubiculo, cum alterã Cinnæ poni Cathedram iuſſiſſet: *Hoc*, inquit, *primum à te peto, ne me loquentem interpelles, ne meo ſermone medio proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in hoſtium caſtris inueniſſem, non factum tantum mihi inimicum, ſed natum ſeruaui.*

Digitized by Google

uaui, patrimonium tibi omne conceſſi. Hodie tam felix & tam diues, vt victo victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerāt, dedi. Cum ſic de te meruerim, occidere me conſtituiſti.

Cum ad hanc vocem exclamaſſet, procul hanc ab ſe abeſſe dementiam. *Non præſtas*, inquit, *fidem, Cinna: conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras*, adiecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum, cui cōmiſſum eſſet ferrū. Et cum defixum videret, nec ex cōuentione iam, ſed ex conſcientia tacentem: *Quo*, inquit, *hoc animo facis? Vt ipſe ſis princeps? Male mehercule cum republica agitur, ſi tibi ad imperandum nihil præter me obſtat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia, in priuato iudicio ſuperatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Cæſarem aduocare? Cedo ſi ſpes tuas ſolus impedio? Paulusne tibi & Fabius Maximus, & Coſſi & Seruilii ferent tantumque agmen nobilium non inania nomina præferentium, ſed eorum, qui imaginibus ſuis decori ſint?* Ne totam eius orationem repetendo magnam partē voluminis occupem, diutius enim, quam duabus horis locutum eſſe cōſtat, cum hanc pœnam, qua ſola erat contentus futurus, extenderet. Vitam tibi, inquit, Cinna, iterū do, prius hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas? Poſthæc detulit vltro conſulatum, queſtus, ꝗ non auderet petere. Amiciſſimū fideliſſimumq; habuit, hæres ſolus fuit illi. Nullis amplius inſidiis ab illo petitus eſt.

PH. Eodem prorſus ingenio heroico ac vere magnanimo fuit quoq; Alexāder Seuerus, de quo hanc recenſet hiſtoriam Lampridius, Roman. hiſtoriarū ſcriptor eximius: Ouinius Camillus, inq̃t, antiquæ familiæ Senator, homo delicatiſſimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renunciatū eſſet, ſtatimq; probatum, ad palatium vocato gratias egit, ꝙ reip. curam, q̄ bonis viris recuſantibus imponi ſolet, ſponte reciperet. Mox ad ſenatū proceſſit, ac tanti ſceleris cōſcientia trepidum, cō ſortem imperii appellauit, in palatium recepit, ornamētis imperialibus, & melioribus, q̄ vtebatur ipſe, decorauit, ꝓtectionis comitē adhibuit. Cumq; Imperator ipſe pedib. iter faceret, inuitauit & Ouinium delitiis aſſuetū ad laborē, quem poſt quinq; millia paſſuum cunctantem equo ſedere iuſſit. Quumque poſt duas manſiones equo etiā fatigatus eſſet, carpēto impoſuit. Hoc quoq; reſpuētem ac

ac imperium tædio laborum recuſantem, denique & mori paratum dimiſit, ac militib. à quibus Cæſar præcipue diligebatur, cõmendatum, ad villas ſuas tuto abire iuſſit. Sic illi commonſtrauit q̄d eſſet gerere imperium. *Lampridius.*

EQ. Verum itaq; eſt Ouidii illud, *lib. 3. Triſtium, eleg. 4.*

Quo quiſq; eſt maior, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Quotuſquiſq; enim eſt, qui tantum facinus æquo animo tuliſſet, ac non potius atrociter protinus puniuiſſet. Etſi vero & alii quoq; mites dicuntur, plerunque tamen tamdiu mites ſunt, quãdiu nihil dicitur vel agitur, niſi pro eorum arbitrio.

PH. Fabius Maximus dicere ſolitus fuit, abſurdum videri, ſi cum equos & canes venaticos familiaritate ciboque cicuremus potius, quam catenis ac verberibus, homines, econtra, animi ferocioris, non humanitate ac beneficiis nobis conciliemus, ſed aſperiores in illos ſimus, quam agricolę ſunt in caprificos ac malos ſylueſtres, ac oleaſtros, qui has non protinus excidunt, ſed inſitione docent miteſcere.

EQ. Habet hoc clementia inſititium, vt, autore Seneca *de clementia*, alieno parcat ſanguini tanquam ſuo. Eſtque vt inquit Cicero, nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atque clementia. Quo nomine etiam Iulium Cæſarem commendat, quod nihil obliuiſci ſoleat, præter iniurias. Hinc Ouidius, *2. de Ponto:*

Conueniens hominum eſt, hominem ſeruare voluptas:
Et melior nulla quæritur arte fauor.

Et Seneca in Hercule furente.

Quiſquis eſt placida potens
Dominuſque vitæ, ſeruat innocuas manus
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq; parcit: longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia: vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elyſii loca.

Eſtque vt Iſidorus *Soliloquiorum libro ſecundo*, inquit, magna virtus, ſi non lædas, à quo læſus es. Et magna eſt fortitudo, ſi læſus remittas. Magna eſt gloria, ſi, cui potuiſti nocere, parcas. Hinc de Pittaco proditur, quod cum poteſtatem haberet puniendi quempiam qui contumelioſus in eum fuerat, eundem dimiſerit, inquiens: venia vltione melior eſt: Illa namque mitis eſt ingenii, hæc autem ferini.

PH. Eſt

Corporis pulchritudo aut deformitas.

PH. Eſt omnino hoc viri cuiuſque grauis atque magnanimi cum primiſque viri Principis decus eximium; quæ ipſa animi magnitudo in quibuſdam ita eſt conſpicua, vt, eiuſdem radii ex ipſa facie atque oculis effundi atque emitti videantur; quæ etiam tunc eo magis eſt amicabilis, quo ipſa corporis habitudo magis eſt decens atq; elegans. Atque hinc eſt, quod vulgo dicitur:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Quo reſpexiſſe videtur Socrates cum ſuo illo ſpeculo ad quod vir ſapientiſſimus adducere ſolebat adoleſcentulos, vt qui ſe perſpexiſſent, corporis & ingenii dotibus, fortunæque commodis ampliter cumulatos, vel hoc ipſo ad virtutis ſtudium ſollicitarentur, cum intelligerent, ad tantam naturæ ſortem, haud mediocrem induſtriæ vſuram, tum deberi, tum expectari. Ii vero quibus hęc malignius contigiſſent, hoc impenſius ad conandum extimularentur, quo quod natura videretur diminutum, induſtria exæquarent.

TH. Non parum equidem refert, corporibus præditos eſſe decentibus atq; conſpicuis eos qui virtute aliis antecellunt. His tamen reclamare videtur Seneca, qui egregiam mentem ſub quauis cute latere poſſe autumat, inducitque exemplum Clarini cuiuſdam (ſic dicti) qui cum corpore deformi eſſet, ingenio tamen ac virtute præcelluerit. Virtus, ait, *nullo eget honeſtamento: ipſa magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt & ex humili deformique corpuſculo formoſus animus & magnus: non deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur.* Etenim

Dat probitas ſpeciem, ſed non ſpecies probitatem.

Et idem Seneca *Epiſtol. 67.* Æque laudabilis virt⁹ eſt in corpore valido atque libero poſita, atque in morbido ac vincto. Ergo ob tuam virtutem non magis laudaberis, ſi corpus tuum integrum fortuna præſtitit, quàm ſi ex aliqua parte mutilatum. Alioquin erit ex ſeruorum habitu dominum æſtimare. Omnia enim iſta, in quæ dominium caſus exercet, ſerua ſunt. Pecunia, corpus & honores imbecilla ſunt, fluida, mortalia, poſſeſſiones incertæ. Si hucuſque perueneris, vt magis diligas integrum omnibus membris & illæſum, quam debilem & luſcum, paulatim faſtidium tuum eo vſque procedet, vt è duobus æque iuſtis & prudentibus comatum & criſpum malis. Sed quis vnquam cenſurā inter filios agit, vt filiū ſanum, quam ægrū magis diligat? procerum & ex

celſum, quam breuem ac modicum? Hæc Seneca.

EQ. Æſopi certe decentia & corporis habitudo cum ipſius vi inſita ingenii minime correſpõdit, quippe qui etiamſi ad miraculum vſque eſſet ſagax atque ingenioſus, deformitate tamen corporis Homericum Therſiten pene ſuperauit. Nam vertice erat acuminato, humeris depreſſis & cõtractis, labris prominentib. lingua blæſus, ac vẽtre protenſo, poſtremo curuus & colore nigro. Quam autem ſcite hanc deformitatem excuſauerit, non opus eſſe puto, vt commemorem. Exiſtimabat is, *non formam, ſed mentẽ introſpiciendam eſſe.* Equidẽ aliter iudicare non poſſum, quam mira iſtud Dei fieri prouidentia, vt ſæpe in infirmo aut etiam informi corpuſculo, magnæ nonnunquã virtutes, ingeniiq; dotes eximiæ inueniantur. Ergo peccant, & grauiter peccant, qui quia non καλλίπυγοι, atque eleganti præditi forma ſunt, animum deſpondẽt. Longe rectius alter ille ſentiebat & loquebatur:

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna repẽdo mea.

Fuit ſimis naribus, recalua fronte, repandis cruribus Socrates, puſillus Ageſilaus, cæci multi Philoſophi: at animo pulcherrimi & viuidiſſimi.

PH. Amabilior tamen ſemper eſt virtus in corpore venuſto. Quo reſpexerunt olim Poetæ rerum omnium adumbratores ſagaciſſimi, dum in carminibus ſuis, diuinis mentibus quas vtiq; fœliciſſimas videri volunt, corpora tribuũt pulcherrima. Cuius ſententiæ ne Platonẽ quidẽ ipſum pœnituit, cum ſapiẽtiæ myſteria poeticis (vt ſolet) inuolucris obueſtiẽs, diis, id eſt, beatis mentib. & ab omni terrenæ labis cõtagio porro ſemotis & currus decoros, & equos ambroſia nectareq; nitidos attribuit. Homerus autem omnium diſciplinarum, tanquam Oceanus quidam, Achillem, Vlyſſem, Menelaũ, & ſi quos præterea virtute præſtantes heroas facit decẽtiſſima quoq; corporis ſpecie fingere cõſueuit θεοειδέας καὶ θεῷ ἰκέλους, id eſt, diuina ſpecie, & Deo ſimiles eos idẽtidem appellans. Therſitæ vero vt mentem ignauam, ac degenerem, ita corpus ad portentum vſq; deforme affinxit.

Φολκὸς ἔην χωλὸς δ' ἕτερον πόδα τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνεχηκότε αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην κεφαλὴν ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Quod Maro noſter, vt Homeri plæraq; alia, ita hoc quoq; diligenter eſt æmulatus, in Ænea, Iulo, Eurialo, multiſq; aliis. Quin & Socrates Philoſophor. nõ ſapiẽtiſſimus modo, verũ etiã incorruptiſſimus, in Phędro Platonis ſubobſcure quidẽ, ſed nimis quã elegãter

ter innuit, bonã corporis figuram bonæ mentis, aut argumentũ eſſe, aut certe adiumẽtũ, illud pulchri equi, hanc equitis ſub nomine depingẽs, ac denotans. poſtremo & Ariſtoteles ipſe de corporis & vultus indiciis, pectoris habitũ coniiciendũ exiſtimauit, idem carnium mollitudinem, ingenii neutiquã duri iudicauit ſignũ. Poſtremo fides his deſit auctoribus, niſi & hiſtoriographorũ conſenſu teſtatiſſimũ eſt, Pythagoram, Scipionem Africanum, cumq; his innumerabiles, qui ob diuinas quaſdã animi dotes pluſquã homines crediti ſunt, venuſta decentiq; forma fuiſſe. Adeo videlicet cognatæ res ſunt, corpus atq; anima, vt alterius habitũ, altera ſequantur, ac mentis quidem bonitas, in ipſa cutis ſpecie reluceat, rurſum corporis habitus diuinæ (vt ait Flaccus) auræ particulã viciſſim afficiat, vt quæ corpori penitus ſit immerſa, eiq; illigata, velut oſtream circumferat. Quanquam ego nequaquam aut corporis dotes, aut ingenii fœlicitatem ſic effero, vt vel eos quibus hæc parcius obtigerunt, à virtutis ſtudio deterream, quinimo vtroſque ad Socratis ſpeculum adduco, vt & illi hoc actius excolendo animo ſtudeant, quo minus naturæ dotibus adiuuantur, formoſoque præditus corpore cogitet, quam indignũ flagitium, quamque abſurdum futurum ſit, ſi in tam venuſto corpore mentem inuenuſtam atq; incultam eſſe patiatur, ac ſub cute nitida, carie ſituque ſqualeat animus.

Deniq; nihil iſto monſtro eſt monſtroſius, quã in delicato ſcriniolo ἀνθρακας (vt Græci dicunt) θησαυρὸν, & ſi magis cynice dicendum, in gemmata pixidula, cœnum, aut ſi quid cœno ſputcius. Proinde, ne laudati quidẽ ſe putet vbi quiſpiam formoſum illum aut generoſũ, aut bene ingeniatũ prædicat. Veriſſima enim & mordicus tenenda Epicteti ſententia prorſus extra nos eſſe, nihilque quicquam ad nos pertinere quæcunq; à fortuna, vel dari poſſunt, vel eripi.

E Q. Rariſſima extat hiſtoria quæ huc accommodari haud incommode poteſt, de Margarita Ludouici XI. regis Galliæ coniuge Heroina ac prudentiſſima. Ea namq; quodã die cum magno comitatu aſſeclarum vtriuſq; ſexus procedens, vidit Magiſtrum *Alanum*, qui habuit titulum ſapientis doctiq; viri. Vidit inquam, ſupra arcam quandam dormientem, & cũ acceſſiſſet propius, & diu contemplatetur (erat autem fœde defotmis & ea facie, qua citius pueri terreri poſſent, quam inuitari ad oſculũ puellæ) tãdem diſſuauiata fuit blandiſſime.

Qui-

Qui aderant, mirantur omnes, percunctantur cauſam. Quibus ſapiens domina ſic reſpondit : *Iſtum iſta exteriore ſpecie ita deformem & victum ſenem, occultare interius tam excellentem, & diuinum animum, vt nulla in mundo tam pretioſa & ſpecioſa res ſit, quæ ei comparari poſſit. Quod autem ipſa illam talis ſpiritus diuinitatem contingere prehendēdo nequiret, voluiſſe ſe iſta commoditate vti, vt uereretur quaſi prætereundo ſpeciem exteriorem, ad declarandam affectionem ſuam erga ea quæ in animo illius adeo præſtantis viri tantopere admiraretur.*

TH. Per ſe quidem elegans forma, Dei donum eſt, laudem meretur, & egregiis encomiis in ſacris literis ornatur, ſi adiunctā habuerit mentem pietate imbutam, & veris virtutibus ornata fuerit. Hinc de muliere ſpecioſa, auguſtè admodum loquitur Syracides : Mulier, inquit, formoſa, quæ pudoris ſui cuſtos eſt, ſicut lampas eſt ſplendida in candelabro ſancto. Et de Iuditha teſtatur ſacra hiſtoria, quod Dominus ei ſplendorem & formæ elegantiam contulerit, vt incomparabili decore omnium oculos in ſe conuerterit. At pulchritudo abſque pietate, ſedulitate reliquiſque virtutibus ne reſpicienda quidem eſt, imo deteſtanda tanto magis, quo citius ſpecie decora fallit & decipit. Fallax enim eſt gratia, & vana eſt pulcritudo, inquit Salomon *Prouerb.31.* Hinc cum videret Abſolomus, ſe omnes ſuæ ætatis homines formæ elegantia ſuperare, ingentes inde ſpiritus traxit, atque adeo ſe digniſſimum eſſe putauit, vt omnibus prçponeretur, & ad ſummum Imperii faſtigium collocaretur. Patrem vatem ſanctiſſimum faſtidire, & elato prorſus animo contemnere cœpit, tandemque regno expulit, quod propter formam ſibi deberi omni iure exiſtimauit. Et vt nunquam forma pulchritudinis ſuæ interiret, aut prorſus obliteraretur, ingentem ſtatuam, monumentum formæ ſuæ, in valle Ieroſolymitana erexit. *2. Reg.14.*

EQ. Teſtatur etiam Herodotus *lib.* 4. Darium ad Tearum amnem Thraciæ, ſtatuam ſuam erexiſſe, hac Inſcriptione : *Ad hanc peruenit exercitum ducens aduerſus Scythas, vir optimus atq; pulcherrimus cunctorum hominum, Darius Hiſtaſpis filius, Perſarum cunctæque continentis rex.*

PH. Stulta iſthæc eſt oſtentatio, qua tamen multi etiamnum hodie, quum reliquis præſtare ſeſe animaduertant, mirum in modum ſibi placent, efferuntur faſtu, & procaci ſuperbia faſtidiunt alios; non reputantes interea, quod

Forma

Digitized by Google

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

TH. Nihil igitur forma hominis externa quicquam ad eiuſdem genuinam illam facit perfectionem. Itaque homo formoſus, qui eſt ſine ingenio & genio, id eſt, ſine ſapientia & intelligentia, vere eſt, vt Flaccus loquitur, *Corpus ſine pectore*: cui, ſecundum Satyricum, *laua in parte mamilla, Nil ſalit*: adeoque viuum cadauer, & viui hominis, vel potius, vt Auguſt. loqtur, animę mortuę quoddam quaſi ſepulchrum eſt. Eſtq;, vt eſt in Prouerbio, corpus ſine pectore, id eſt, ſine mente; quippe ſapientiam & ingenium Philoſophi in pectore atque in corde conſtituunt: vnde & cordatos nominant prudentes, & væcordes ſiue excordes, ſtolidos atque imprudentes: qui ſecundum Auguſtinum, in viuo corpore animas habent mortuas. Sola enim ſapientia eſt, quæ vegetat, & quaſi animat mentem & corpus hominis, quæque animi ſanitas eſt, vt nulla iucunda eſſe poſſit vita, à qua abſit prudentia.

Nobilitatis origo. *EQ.* Multoq; minus ad veram illam Nobilitatem parãdam forma corporis externa quicquam momenti habet; ſed geſta potius ac merita illorum, qui à reliqua inerti multitudine diſtincti, illuſtri virtutis & fortitudinis, animique heroici documento reliquos ſuperarunt: aut alioquin ſapienti conſilio, virtute & induſtria, de patria ſua bene meriti fuere. Ita Dauid, cum ſuæ virtutis eximium hoc documentum edidiſſet, vt Goliathem auſus vnus fuerit adoriri, eumque ſuperaſſet; non modo hoc fortitudinis & induſtriæ præmium à mulieribus retulit, quod virtutes eius inſigni ode proſecutę ſint: verum etiam ipſe Saul antea à Deo Rex Iſraelis electus, iam vero ob impietatem reprobatus, eum ad ſublime hoc ſuſtulerit faſtigiũ, vt data filia in generum aſciſceret. Dauid rurſus Ioabum, ob inſignẽ fortitudinem, cuius documentum edidit, dum primus Iebuſęorum muros præ altitudine formidabiles aſcendit, Polemarchum conſtituit. Ita Ioſeph à Pharaone: Daniel à Dario & Balthaſare: Mardocheus ab Ahaſuero: ob eruditionem & inſignem ſapientiam fidemque, qua reliquos ſuperarunt, magnis honoribus afficiuntur: anulo Regio, catenis aureis, magnificis titulis, quibus patres patriæ dicti ſunt, purpura & eiuſmodi aliis nobilitatis inſignibus ornantur. Qui mos etiam hodie ſeruatur in aulis Regum & Principum, vt Nobilitate donẽtur, nobile qui ſpecimen virtutis & induſtriæ ſuæ ediderunt. Et

Digitized by Google

hunc honorem non ſibi ſolum; ſed & toti ipſorum poſteritati delatum, quaſi magnum magnæ virtutis referunt præmium. Virtus enim vt perpetua eſt & immortalis, & ſæpe in heroicis animis ad feros extenditur nepotes: Ita æquum eſt, vt & poſteri eorũ hoc præmio perfruantur.

PH. Fundamentum itaq; & Origo Nobilitatis Virtus eſt. Hæc, fons eſt auguſtiſſimus, limpidiſſimus, vberrimus, exquo omne nobilitatis decus promanat. Proinde vt nihil in omni vita nobilitare, virtute decorata & fulta, eſt amabilius, iucundius, auguſtius, ſanctius: Ita eadem rurſus nihil tetrius, nihil deteſtabilius, ſi virtute careat, aut ſi nobiles vitiis delectentur, hæc foueant, ſectentur & amplectantur. Amiſſa enim virtute, ipſa nobilitas amittitur, & nobilitatis nihil niſi inane remanet nomen. Proinde odioſi ſunt nobiles, q. nihil niſi inſignia ſua, & proauos & clarum nomen auorum crepant, & interim nullo virtutis ſtudio ducuntur, nullũ eiuſdem edũt documẽtũ; imo ſępenumero vitam agunt quouis mediaſtino impuriorem.

EQ. Itaq; nobilis eſt, qui nobilẽ ſtirpẽ auguſtiſſimo virtutis decore nobilitat: Ignobilis ille, qui eandem turpiſſimis vitiis inquinat, tantoq; ignobilior, quanto ſtemmate maior.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Quid n. profuit Caligulæ, quod Agrippæ ſtirpẽ negauit, Auguſti prætexuit proſapiam, adeoq; ab ipſis diis originem eſt mẽtitus, diuinamque Maieſtatem aſſeruit: quod conſiſtens inter deorum ſimulacra, adorandum ſeſe præbuit & conſtitutis peculiaribus Sacerdotibus, exquiſitiſque victimis ſibi immolari iuſſit; cum interim homo extiterit impuriſſimus & crudelis beſtia, nullis non peſſimis flagitiis obnoxius.

PH. In hunc Caligulæ infelicem ordinem referri quoque haud inconcinne poteſt Bradeas ille Thraſonicus, qui nobilitatem in aſtragalis, & nihil præterea, geſſit.

Eſt autem hiſtoria huiuſmodi: Herodi Sophiſtę Rhegilla nomine vxor, eam ob peccatum haud ita momenti magni iuſſit à liberto Alcimidonte cædi. Forte tunc geſtabat vterum, agebaturque à conceptu menſis iam octauus. Igitur hominis impudentia ingeſtis in ventrem plagis, non ferens mulier iniuriæ vim, immaturo partu naturæ conceſſit. Eo nomine poſtulatus cædis eſt Herodes apud Romanum Senatum ab vxoris fratre: nomen vero Bradeas fuit. Is maiorum claritate longe

longe princeps erat, nec minor nobilitatis oſtentator. Argumentum generis erat in calceis epiſphyrion, Menoides eburneum. Id ſignificat fibulam cornicantem, qualis ferme figura eſt in luna, cum tenuem viſitationem facit, vel etiam paulum craſſeſcit. Prodiens igitur is magno paratu ad peragendum reum, de cauſa quidem pauca fere, aut nihil: in laudibus vero propriis etiam nimius, imo vero totus. Quum multa iam de familia perilluſtri emugiiſſet homo imperitus, ſcommate illum excepit Herodes: Tu, inquiens, in aſtragalis geſtas nobilitatem. Eſt autem aſtragalus Latine talus. Hinc nobilitatem in aſtragalis habere dicitur is, qui præſtantia generis tumens, nulla ipſe propria nititur virtute. Nam in ædibus nobilitatis inſignia, ſi aliud adſit nihil, geſtare, odioſa tantum eſt & inanis oſtentatio. In quem propterea haud incongrue accommodari poſſet illud:

Sint tibi Francorum rex & regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo.
Non pluris faciam te, quam ſi ruſtica mater
Sit tibi, & ignotus ruſticus ipſe parens.

Sicut enim (quod ſimile Poggius Florentinus vſurpat) equum fortem, pulchrum atq; acrem dicimus, nō cui eiuſmodi genitor fuit, ſed quem mēbrorum conuenientia ſpectandum fecit, cui vires adſint ad ferēdum ſeſſorem, quem buccinæ cantus excitat; Ita non eum, qui parentes præclaros enumeret, ſed qui ſuis virtutib. reſplendet, nobilem appellabo. Itidem domum pulchram iudico, non ꝙ formoſus faber ædificauerit, ſed quæ ſplendida, & ſuis parietibus fuerit compoſita.

E. Q. Gentis itaq; (vt inquit Stephanus Vinandus in Hercule prod.) atque familiæ non minus quam arboris generoſitas ex fructuum probitate cognoſcitur, & ex virtutis ſuæ merito diligitur. Quod quidem meritum quo diutius in eadem ſtirpe per plures ætates transfunditur, eo certe precioſior atq; generoſior hæc haberi debet, atq; ſtemmatibus exornari ſplendidioribus. Virtus enim honore, gloriaq; nō minus in animo humano quam in agro plantarum fructus, cultu ꝓmouetur. Hinc *Lycurgus* ſtudēs ciues ſuos à morib. præſentib. ad temperatiorem viuēdi rationem traducere: Nō vobis, inquit, ô ciues nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, niſi omni ſtudio & opera illa ipſa geſſerimus, per quæ ille mortalium omnium clariſſimus ac gene-

roſiſſimus extitit, ac per omnem vitam, quæ honeſta ſunt, & diſcamus & exerceamus. Reperit vir ingenioſus viam, qua multitudini Philoſophicis rationibus non ſatis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret: magis enim mouent ac penetrant in animos, quæ cernuntur, quam quæ audiuntur. Quod autem ille fecit in ciuitate, hoc cuique patrifamilias in ſua domo, cuique moderatori in ſua grege faciendum eſt. *Plutarchus in Lacon.*

TH. Extat hac de re etiam Chryſoſto. ſimilitudo in Matth. Stannum de argento egreditur, ſed non eſt argentum. Itaque argentum colatum ſeruatur, ſtannum autem foras expellitur. Melius eſt de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem naſci. Qui enim de claro genere clarus naſcitur, gloria claritudinis eius non eſt ſolius: ſed communis videtur: qui autem de cõtemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius ſolius eſt: qui vero de cõtemptibili genere contemptibilis naſcitur, turpitudo contẽptibilitatis ſolius eius non eſt, ſed etiam generis. Qui autem de claro genere cõtemptibilis naſcitur, omnis turpitudo eſt eius ſolius. Ideo melius eſt vt in te glorientur parentes, quam tu in parentibus glorieris.

PH. Hinc nimirum enatum prouerbium; Quis patrem laudabit, niſi filius degener & infelix; quod vſurpari ſolet in eos qui ab auitis ac paternis virtutibus exorbitarunt. Cæterum multa quoque vbiuis extant & ſæpenumero etiam occurrunt exempla humili loco natorum, qui tamen ad ſũmos honores euecti fuerũt. Sic *Virgilio* pater fuit Figulus, vel, vt alii volunt, operarius. *Quinto Horatio* Flacco Lyrico, Statio vero Poetæ, patres fuere libertini. *Aeſchinis* Oratoris clariſſimi pater Athenis lucanicas vendidit publice. *Tyrtamus*, qui ob diuinam eloquentiam Theophraſtus cognominatus eſt, ſartorem habuit patrem. *Menedemo* Athenienſi Philoſopho pater fuit, qui mechanicum opus conſuendis tentoriis conficiebat. *Alphenus Varro Cremonenſis*, clariſſimus Iure Conſultus, adoleſcens tonſtrinam exercuit, deinde ſub Sulpitio paruo tempore ad tantam ciuilis diſciplinæ ſcientiam peruenit, vt Romæ conſul factus fuerit, & mortuus de publico ſepulturæ honorem conſecutus ſit. Pythagoras Philoſophus natus eſt ex Nexarcho ſculptore annulario. *Hyphicrates* Artaxerxis Regis Perſarum Ægypto bellum illaturi Dux electus

Humilium exaltatio.

electus eſt, habuit patrem ſutorem. *Eumenes Cardianus* inter Alexandri Magni ſucceſſores numeratus, in Peloponneſo natus, adeo inope abiectoque patre, vt ſe, familiamque vecturis ac curru aleret. *Viriatus Luſitanus*, qui quatuordecim annos integros cum Romanis bellum geſſit, exercitibus ducibuſque eorum victis, atque etiam captis, habuit patrem paſtorem, atque ipſe etiam paſtoritiam exercuit. *Agathocles* fortuna vilis primo fuit, habuit patrem figulum, poſtea cum factus eſſet rex Syracuſarum, illum tamen paternæ obſcuritatis non puduit. Nam in conuiuiis inter aurea vaſa, fictilia quoque adhibebat, vt eodem tempore & paternæ obſcuritatis, & magnitudinis, in quam ipſe euaſerat, ſpecies repræſentaretur. *David* ex paſtore Iudææ rex factus eſt. *Publius Aelius Pertinax*, Imperator libertino patre atque eodem mercatore natus eſt. Orbi terrarum toti perſpecta fuit inſignis *Aureliani* virtus ac fama, & tamen eius patria propter ignobilitatem adhuc in occulto manet. Quidam in Sirmio, nonnulli in Meſia, alii in Dacia ortum eſſe dicunt, & quemadmodum de patria eius diſcordes ſunt ſcriptores, ita omnes eius maiorumque humilitatem adfirmant. *C. Aurelius Valerius Diocletianus* Imperator patre notario, vel (vt alii putant) liberto ortum ſuum traxit. *Maximus Pupienus* Imperator ferrarii fabri, vel qui plauſtra conficiebat, filius fuiſſe perhibetur. *M. Iulius Licinius* Imperator in Dacia progenitus, patre admodum inope agricola, imo & is aliquo tempore patrem in aratione, cultuque agrorum adiuuit. *Bonoſus* in Britannia natus eſt, patre magiſtro ludi literarii. *Mahumetes* ſceleratæ legis author, in Arabia natus, camelos vectigales egit, deinde arte atque perfidia in eam magnitudinem conſcendit, vt rex creatus, etiam propheta putaretur. Mortuus quoque in eam exiſtimationem venit, vt dimidium terrarum orbem, ac multo plus in ſceleratam diſciplinam traxerit. *Lamuſius* Longobardorum rex tertius à matre quæſtum faciente ortus eſt. *Primiſlaus* tertius Bohemorum rex ex ruſtico patre natus, qui cum ipſe araret, à Bohemis, vt Romæ Cincinato accidit, ad ducatum vocatus eſt. *Tamburlanus* Perſarum rex longe potentiſſimus, Scytha patre paſtore genitus. *Abdelmonius* Aphricæ, ſeu, vt nunc dicitur, Barbariæ Rex, patrem habuit figulum. *Sfortia Mediolani Dux* habuit patrem inopem, Catiniolæ tenuis vici, ſiti inter Fauentiam Rauennamque vrbes, accolam.

ſeu agrorum cultorem. *Nicolao Picinio Peruſino* militari Duci celeberrimo pater fuit lanius. *Franciſcus Carmaniola* Genuæ dux porcos pauit. *Iohannis 22. Pontificis maximi*, qui Ludouico Bauaro Imperatori tantopere reſtitit, pater cerdonica arte victum conquiſiuit. *Nicolai V. Papæ* mater oua pulloſque vendidit. *Sixti IV. Papæ* pater nauticam artem exercuit. Hic Franciſcus Ruuerus minorum fratrum ordinem profeſſus, ciuis Sauonenſis, ille Thomas Sarrenenſis ante dictus. *Iohannes Campanus* patrem habuit paſtorem. *Baptiſta Fulgoſus, libro tertio capit quarto, de iis, qui humili ſorte orti clarum ſibi nomen vindicarunt.*

E Q. Atque in hunc ſenſum Seneca *de ſent. orat.* ſi poſſent homines facere ſibi ſortem naſcendi, nemo eſſet humilis, nemo egenus, vnuſquiſque felicem domum inuaderet: ſed quandiu nos ſumus, natura nos regit, & in quemcunque vult caſum, nos mittit. Quemcunque volueris reuoluere nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenſeam ſingulos, cum hanc vrbem tibi poſſem oſtendere? nudi ſt tere colles, inter quos tamen effoſſa mænia. Nihil eſt humili caſa nobilius.

PH. Recte itaque Cicero, cum ob Ciceronis nomen dicteriis inceſſeretur, ab amicis admonitus, vt aliud ſibi cognomen aſciſceret, reſpondit; ſe Ciceronis nomen illuſtrius effecturum, quam eſſet Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Nam hæ familiæ cumprimis illuſtres erant apud Romanos, quum Tullius eſſet nouus homo. Cognomen autem ideo patebat cauillis, quod à cicere viliſſimo legumine dictum videretur. Quaſi vero non & Fabii à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuiſſe viderentur. Parum illuſtris eſt, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis, pulcherrimum autem nobilitatis genus eſt, quã ſibi quiſque propriis virtutibus conciliat. Nec feſellit M. Tullius. Ciceronis enim nomen hodie decantatius eſt, quam Catuli aut Scauri, cum ſuis ſtemmatis, ſtatuis, & imaginibus. *Plutarch. in Apoph. Roman.*

E Q. Huic affinis eſt hiſtoria illa de Iohanne Hunniade. Is enim cum miſiſſet ad Huldricum Ciliæ Comitem, vt ad ſe veniret in caſtra, hoc facere plane noluit, & ad ſe miſſis reſpondit: Ego comes & princeps, & tam nobili familia natus: ad te veniam, hominem nouum, & noſtra ætate nobilitatum! quod cum accepiſſet Ioannes: Non ego (reſpondit) tuis maioribus, ſed tibi me comparo: quanquam neque illis cedam,

cedam, qui pugnando pro Chriſtiana religione nobilitatus, maius lumen poſteritati meæ comparaui: atque vt in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me domus Niſtricenſis exornatur. De quo vide Æneam Syluium de dictis Sigiſmundi & Frideric. Impp.

PH. Cum videam ex hac, de qua iam nobis ſermo eſt, materia, aliam ex alia ſubinde generari quæſtionem, longamque adeo necti catenam ac telam quæ finiri hac hora non poteſt, itaque inſtitutum noſtrum colloquium, vt vel reſpirandi etiam facultas detur, differemus in craſtinum.

EQ. Placet. Fiat.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQVIVM V.

DE DIGNITATVM AC SESSIONVM DIFFERENTIIS, VBI DE HONORVM DIGNITATVMque Titulis, familiarumque Inſignibus: & quam diræ hactenus inter Gallos & Hiſpanos deſuper contentiones; inſerta etiam Tyranni Turcici immani barbarie atque effrænata dominandi libidine. Itemque de Vactione, erectionibus in ſcuto, aureo vellere &c.

EQVES. THEOLOGVS. PHILOSOPHVS.

CVM ex heſterno noſtro colloquio præuia cerebelli motitatione, aures meæ adhuc tinniant, abſque longis ambagibus inde vnde digreſſi ſumus auſpicabor. Et ſane ſi irritati homines vnius alteriusve iniuria intra iuſtos modeſtiæ terminos cõſiſtere poſſent, magnis ſæpenumero ſeipſos leuarẽt incõmodis. Cũ vero ex offenſione irritatio, ex irritatione impatiẽtia, ex impatiẽtia ira, ex ira deniq; faſtus & ſupbia, cæteræq; huiuſmodi prauæ prauarum matrum filiæ plerunque naſcantur, hinc adeo fit, vt quod alioqui per ſe iuſtum, aliqua vitioſitate aſperſum, aceſcat.

Humilitas. TH. Rara nimirum virtus eſt humilitas; cuius ſumma in eo cõſiſtit, teſte Gregorio, ſi voluntas noſtra per omnia voluntati diuinæ ſubiecta fuit. Atq; hoc ipſum etiam, vt id obiter dicam, ſacrariſſimi atque inuictiſſimi Cæſaris Rudolphi II. ſymbolum fuit, nimirum: ***Omnia ex voluntate Dei.*** De quo ipſo etiam nos monet precandi illa formula à Chriſto præſcripta, cuius particula eſt vna: ***Fiat voluntas tua, Domine, vt in cælo, ſic & in terra.*** Qua precandi forma ipſe quoq; vſus fuit Chriſtus in maxima ſua afflictione, quando cum morte, & ira Dei conflictatus in horto Cedreno: Pater (inquit) auerte, ſi vis, à me hoc poculum, quanquam non mea, ſed tua voluntas fiat. Sic & Iudas ille Maccabæus in acie milites ſuos confirmans: Præſtat (inquit) nos in pugna mori, quam noſtræ gentis ſacrorumq; videre calamitatem:

tatem: cæterum is, q in cœlo eſt, faciet, vt ei viſum fuerit. Statuamus itaque, voluntatem humanam ſemper voluntati diuinæ ſubiectam eſſe debere. Nam ſeipſum quidem decipere, omnium facillimũ eſt, auctore Demetrio. Itaque recte facit is, qui non tam ſuæ, quam diuinæ, obtemperat voluntati. Quippe voluntas humana, quę nõ tam ad bene, quam ad male agẽdum, libera eſt, nunquam permittenda eſt ſuæ libertati aut libidini, ſecundum Auguſtinum: eaque de cauſa multo maioris eſt meriti (vt cum Gregorio loquar:) voluntatem propriam alienę ſubiicere voluntati. Semper autẽ Dei voluntas optima eſt, quippe quę nihil eſt aliud, quam lex ipſa Dei, vel potius ipſe Deus, teſte Auguſtino: quæ idcirco in omnibus operibus noſtris merito attendenda eſt: vt idem monet Gregorius. Enimuero magni profecto eſt animi, voluntatem ſuam diuinæ accommodare voluntati, & ad hanc omnia conſilia, omneſq; actiones & cogitationes ſuas conformare, & in ea omnem ſpem fiduciæ & ſalutis ſuæ collocare. Siquidem, vt Bernardus ait, nihil niſi à Deo ſperare, & nihil quærere, niſi Deum, ſingularis perfectionis eſt: contra autem ſpem in creatura ponere, de creatore deſperare eſt, ſecundũ Gregorium. Quod ſane q facit, hoc eſt, qui voluntati obſequitur diuinæ: is ſemper ſui ſimilis eſt in omni vita, & firmam in omni re ſeruat conſtantiã, vno & eodem fere vultu ac animo præditus perpetuo, quem de ſuſcepta ſemel bona cauſa propoſitaque ſententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſit depellere. Neque enim lætatur vnquam, nec mœret nimis, qui ſemper in ſeipſo, ſecundum Deum, ſpem reponit ſui, neque aut fatum incuſat, aut fortunam inuocat, ſed & in aduerſis rebus firmum, & in ſecundis moderatum ſe præſtat: vt, quicquid ei vel boni accidat vel mali, id omne acceptum ferat voluntati ac prouidentiæ diuinæ, à qua vna pendet perpetuo: adeoq; totum ſe bonitati & clementiæ diuinæ committit, vt quicquid cogitet aut agat, bene feliciterq;, hoc eſt, voluntati diuinæ congruenter eueniat.

PH. Eſt ſane ſua humilitati laus atque admiratio pro ratione ſubiectorum, circa quæ verſatur humilitas. Cæteroquin vero vt inquit Seneca, *Epiſt. 37.* neminem excelſi ingenii virũ humilia delectant, eſtq; felix is, q ad meliora impetum animi dedit.

TH. Ad meliora, recte inquis. *Prouidentia Dei.* At enim meliora nõ æſtimanda, ex opinione humana cæcoq; rationis humanę iudicio, quippe q facile

facile fallit ſimul & fallitur, ſed omnia noſtra conſilia omneſque noſtri conatus appendendi ſunt ad trutinam voluntatis diuinæ, cuius nutui atque arbitrio quicquid committitur, non poteſt nõ feliciter ſuccedere. Id q, cumprimis etiam in praxi obſeruauit optimus & ſanctiſſimus Cęſar Maximilianus II. inq; huiuſce fiduciæ Chriſtianæ certitudinē ſymbolum illud, *Dominus prouidebit*, ex ſpiritus S. ſacrario depromptũ conſtanter ac feliciter vſurpauit. De quo ſymbolo audite pręclare luculenterq; differentem virum clariſſimum & eruditiſſimum Ioannem Cratonem Archiatrum & Conſiliarium Imperatorium, qui in oratione funebri Maximiliani Cæſaris inter alia ſcribit in hunc modum: Caput (inquit) omnis virtutis pietas, Apoſtolo teſte, ad omnia vtilis merito perhibetur. Ea in æterni Dei vera cognitione atq; veneratione ſancta conſiſtit, à qua niſi homo, deprecatore Chriſto vnico, in quo æternus Pater omnia numerat & ponderat, fultus, Deo commendetur, inſignes virtutes vſq; adeo à vitio nõ abſunt, vt etiam iuſtiſſimo Dei iudicio in vitio ponantur. Quid enim ſunt virtutes ſine Deo? Certiſſimũ autem in principe virtutis argumentum eſt, firma atq; ſtabilis de diuina prouidentia animi perſuaſio, hæc ſi abſit, quæ in bonis rebus moderatio, q̃ in aduerſis conſolatio ex iſtere poteſt? Ea re vt Diu⁹ Maximilianus aduerſus omnes humanos caſus ſe diuinæ prouidentiæ firmiſſimo præſidio munitũ oſtẽderet: Symbolo iſto, Dominus ꝓuidebit (*Gen. 22*) vtebatur. Eſt q̃dem hoc dictũ anxii patris & iis miſeriis, quæ ipſa morte acerbiores & grauiores ſunt, coopri. Nã cum fidei probatiſſimum exemplum Abrahamus, filium vnicũ Iſaacum, de quo ampliſſimas ꝓmiſſiones diuinas habebat, ab ipſo Deo mactari iuſſus eſſet, incredibili luctu oppreſſus & toto corpore vacillans, montem Moriæ aſcendens, & à dulciſſimo filio iamiam immolando, cuius in lignis ferendis opera tanq̃ baiuli vtebatur, interrogat⁹ de victima, illud *Dominus prouidebit*, reſpõdit. Ad filii autẽ necem obfirmatus, & voce cæleſtis audita à cæde retractus: locum illum, in quo ſuæ inexplicabilis miſeriæ Deum ſubuenire, doloremq; optatiſſimo euentu mitigari, perſpectum re habebat, repetito quaſi oraculo, quo paulo ante filio reſponſum dederat, *Dominus prouidebit*, nominabat. In eo vero loco, cum æternus, iuſtus, & miſericors Deus vniuerſo generi hominũ, miſſo, filio coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, Meſſia vnico, quem ſacrificium pro peccatis noſtris obla-

oblatum voluit, omnib. ſeruādis ꝓuiderit: pii ſcriptores Adamū, Abelum, Seth, Nohe, ſua quoq; ſacrificia obtuliſſe, & prope hunc Hieroſolymam conditam fuiſſe referunt. Sed hæc exquirere non eſt noſtri inſtituti.

EQ. Prouidentia Dei omnia gubernātur, qua, ſecundū Tulliū, & mundus adminiſtratur & conſulitur rebus humanis, nec ſolū vniuerſis, verū ēt ſingulis. Maxime vero ea in mundo imperia conſtituuntur atque conſeruantur: in quibus, teſte Sophocle:

Fit omne, quicquid fit, curāte ſic Deo. Nam, vt Hippodamus ait, Deus reſpicit & curat genus hominū vniuerſum, ex quo ēt φιλάνθρωπος recte nominatur à Plutarcho in vita Numæ. Et Plato in legib. ꝓpriam & quaſi familiarē Dei virtutem vocat prouidētiam, cuius vi, natura, ratione, poteſtate, mēte, numine, totus hic mundus regitur & gubernatur: in cuius etiam manu cor regis eſt, teſte Salomone: cui idcirco confidere & obedire lōge eſt tutiſſimum. Sed enim hoc nō eſt noſtrum ζήτημα, nec quenquam noſtrum eſſe arbitror, qui prouidentiā Dei neget, quippe q̄ etiam in minutiſſimis rebus à Deo creatis euidentiſſime ſeſe exerit. Sed hoc quæritur, an homo non dignitatē antelationemq; tātum nominis ſui, ſed & ad altiora, adeoq; ad ſublimiores honorū gradus, quib. cæteris hominibus præemineat, aſpirare atque contendere, citra φιλαυτίας inſolentiæq; notā poſſit?

PH. Ipſa certe natura nō patitur, omnia eſſe æqualia, ſed alterū altero vbiuis eſt præſtantius. Sic æternitas præcellit tempori, intellectus rationi, & ita ſummus rerū opifex in rebus formādis aperuit, in diuinaq; cœlorū fabrica natura obſeruauit in ſtellarū pulchritudine, quibus ſolē aſtrorum principem & luminare maius, deinde Lunam, luminare minus, & alias aliis lucidiores & fructuoſiores in effectu ſtellas ipſa admirabiliter præfecit, q̄ cōcentus & ordo cœleſtis cauſa mortalium creatus eſt, exindeq; à mortalibus, vt numina imirentur, terreſtria ſeruari debent, vt in toto hominum genere aliqui illuſtres dominentur, qui in rebus humanis imperium teneant, & ex iis inter ſydera fulgentia Regū ſint alia aliis lucidiora.

Omnes eſſe æquales in dignitate, eſt contra ordinē naturæ.

TH. Certe ipſa ſcriptura ſacra priuilegium aſſerit regionis eſſe, concedi ei Regem nobilem: *Beata enim terra, cuius Rex nobilis eſt,* Eccl. 10. Et Sap. 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis enim eſt memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.* exinde clare colligitur, reges alios aliis eſſe nobiliores; eſtq; fere ita in natura cōparatū,

com-

communique gentium exiſtimatione omnique iure habetur, vt quanto antiquior nobilitas eſt à natura data, quæ naſcitur cũ homine, tanto excellentior & illuſtrior exiſtimetur; Atq; hinc etiã eſt, quod vt habetur, Eſdræ *lib. 1. cap. 2.* filii Berzelai è templo eiecti fuerunt, quod ex antiqua genealogia non deſcenderent: fere enim, vt inquit Horatius in Odis:

Fortes creantur fortibus,
Neq; imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.

Fieri enim vix poteſt, vt aliqs honeſta exempla maiorum ſuorum intuens, a deo ſit demens, qui non aſſentiatur tacita quadam ſenſus voluptate rebus præclare geſtis, & imitari illas ſtudeat. Cæterum quantopere antiquioris nobilitatis rationẽ habuerint vetuſtiores, inde elucet, quod Poëtæ heroum, quos carminibus extollebant, originem à diis trahere canebant, vt initium quodammodo immortale Diis ſimile pberetur, quod apud Homerum, Virgilium & alios paſſim in vſu eſſe conſtat. Atque hinc nimirum acerrimæ illæ inter ipſos etiam reges ac principes, vtra ſtirps nobilior ſit atque præeminentior, contentiones, quę multo ſępenumero conſtant ſanguine, neutra tamen pars de iure ſuo prætenſo vt aliquid remittat, adduci ſeſe facile patitur.

E. Q. Sunt hæc animorum generoſorum plerunq; fauſta indicia, quippe qui pro innato animi impetu, excelſique ingenii conamine, grandia attentant, & quæ alioquin apud alios ſunt admiranda, magno animo deſpiciunt. Atque hinc etiam eſt, quod nobilitas regia multis paraſangis eminentior eſt vulgari illa nobilitate, dum enim regium genus appellamus, illico nobile & illuſtre intelligimus, & ſi quis velit comparare ſubditorum nobilitatem & ſplendorem generis cum regio ſanguine, præter dignitatem ageret, cum enim rex ſit ipſa nobilitas, & fons à quo dimanat omnis regni dignitas, quomodo riuus cum fonte, & membrum cum capite æquari poterit, nec comparari qui accipit, cum eo q tribuit *Hic namq; honorabitur, quem rex voluerit honorare*, Eſther 1. Ex quo, & Plinio & aliis optimis autoribus Tiraquellus oſtendit, nobilitatem è regib. pendere, q eam tribuunt, cõſeruant & honorant.

PH. Extat oratio Caroli Magni, Romanorum Imperatoris ad nobiles Francos & Germanos, quã ſubactis Saxonib. ad illos habuit: Ite (inquit) mei milites, vos heroes vocabimini, ſocii regum, iudices criminum. Viri repoſthac laboris expertes, conſulite regibus publico nomine, fauete orpha- *Caroli Magni oratio ad nobiles Francos.*

orphanis, iuuate pupillos, conſilio circundate Principes, ab his victum & veſtitum & ſtipendium petite: ſi quis negauerit, inglorius infamiſque eſto. Si quis iniuriam vobis intulerit, reum ſe maieſtatis agnoſcat. Vos autem cauete, ne tantum decus tantumq; priuilegium, iuſto bellorum labore partum aut ebrietatis, aut ſcurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis, ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis ſumendam, ſi forte exceſſeritis, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum regibus perpetuo reſeruamus. Hactenus oratio Caroli Magni, quæ & magnanitatem militum ipſius, eiuſdemque munificentiam erga benemeritos ſatis arguit quam vtrinque vti quiſq; ſuo loco imitetur, votum & operæ pretium eſt, ne in pretio antiquitas ſolum, ſed & poſteritas fiet.

EQ. Arcanum olim militiæ inter alia, fuit, è tribunali publice alloqui milites. Atque hæc ipſa Caroli Magni, quam modo recenſuiſti, oratio ſimulacrum quoddam referre videtur orationis illius Alexandri Magni, apud Curtium libro tertio, in qua Macedones appellat tot bellorum in Europa victores ad ſubigendam Aſiam, item terrarum orbis liberatores, & omnibus gentibus impoſituros iugũ; & illa Cerialis apud Tacitum: Ipſi plerumque regionibus hiſce præſidetis, ipſi has aliaſque prouincias regitis, & illa Germanici: Primanè an viceſima legiones illa ſignis à Tiberio acceptis, tum tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta, &c. Et Catilina: Vel me duce, vel milite vtemini, & Cæſaris; quoties milites pro cõcione commilitones ſuos appellauit. Et Eumenes ille apud Iuſtinum ſingulos ſuppliciter alloqui nũc commilitones ſuos, nunc ſuos patronos appellans, & ait, non tam Ducem ſe quam commilitonem recipient, vnumque ex corpore ſuo eſſe velint. Et Datames Perſarum Dux cum partem equitũ ſuorum transfugere comperiſſet, cæteros omnes venire ſecum iuſſit, aſſecutuſque transfugas, collaudauit, quod eũ alacrius præceſſiſſent, hortatuſque eſt eos vt fortiter pugnam adorirentur.

PH. Sunt hæc humanitatis ac beneuolentiæ, in tanto præſertim fortunæ faſtigio, exempla tam rara quam admiranda; ſed enim & merita identidem, quorum intuitu tam honorifica ipſorum fuit habita ratio, inſignia fuerunt atque illuſtria; quæ cum vtrinque ſæpenumero labaſcant, hinc adeo fit, vt tot vbiuis extent & moueantur lites ac querimoniæ, quæ in mutuam eamque damnoſam omnino animorum

exacerbationem deſinunt.

Nobilium teſtimonia.

E Q. Memini ego paſſim inter Nobiles dubitari ac quæri; quo tempore & Imperatore, tribus circulis Franconiæ, Sueuiæ & Rhenenſium ſcilicet Nobilib. Imperii contributione exemptis libertas conceſſa ſit. De tempore itaque huiuſce immunitatis cum non ſatis conſtet, non raræ deſuper motæ fuerunt controuerſiæ, præſertim quia non vna eademque immunitatum ac priuilegiorum, quibus nobiles in Germania cumprimis, gaudeāt, eſt ratio. Sed & non minus odioſe quæritur, Quis fuerit ſtatus iuriſdictionis tam Cētarum, quam Vegtheyæ, in primis feudorum Burgkenſium, qui nunc ad Longobardorum conſuetudinem, & ſimilitudinem caſtrenſium, magno cum nobilitatis detrimento transformatus eſt.

PH. Diuerſi vt opinor, reperiuntur ritus & mores nobilium, ſecundum diuerſas patrias & prouincias. Quoniam quælibet patria in ritu viuēdi quoad nobiles ſuo ſenſu abundat. Et ita inter nobiles habetur & conſideratur laus nobilitatis diuerſa (cum multiplex & varia ſit illius obſeruatio) ſecundum diuerſos vſus & mores patriarum, vt ſcribit Pogius *in tract. de nobilitate*, Chaſſanæus, *in Catalogo gloriæ mundi, parte octaua, folio mihi trecenteſimo vigeſimo nono.* Hinc alia Neapolitanorum, Venetorum, Romanorum, Ianuenſium, Germanorum, Gallorum, Britānorum, Hiſpanorum, Græcorum, &c. ratio eſt. Sed & Romæ duplex olim erat hominum genus. Alii namq; fauebāt dominationi principum quos Gunterus fideles appellat, hodie Liebe getrewen. Alii memores adhuc priſtinæ libertatis antiq̄ Remp. reſtitutam cupiebāt. Germani diſtinguūt per gut Keyſeriſch vnnd gut Stättiſch. Principes eiuſcemodi circa ſe habebant, qui nō tantū ipſis erant amici; verū etiā imperii, quiq; nolebant præſentem ſtatum euerſum. His imperia & iuriſdictiones dedit & continuauit, in quorum numero fuit Vitellius, in cuius ſtatua fuit hæc inſcriptio: *Pietatis immobilis erga principem.*

E Q. Periculoſum eſt in huiuſmodi controuerſiis ſiue publicè, ſiue priuatim arbitrari aliquid aut ſtatuere. Itaque ſufficiat nobis, nude duntaxat iſthæc propoſuiſſe, eorum diſcuſſionibus ad aliud forum remiſſis, quippe quæ integro vix poſſent finiri ſeculo.

TH. Probe mones. Nec enim animus nobis eſt, prætoriam quandam in rebus præſertim ſublimioribus, vſurpare diffiniendi poteſtatem, quin potius tutiori progredimur via, ſi quod hactenus à nobis eſt factitatum, aliorum

Digitized by Google

rum ſententias, ac reſponſa ad quæſtiones, ſi quæ incidenter proponuntur, allegamus atque inferimus. Abſit interim à me, vt quenquam carpere, ſiniſtreque interpretari mihi præſumam, ſi quis honorem, iuſque adeo atque intereſſe ſuum tueri velit; quin potius omnes Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles, & ſi qui ſunt inferioris etiam ſortis homines, iure naturali, diuino & humano deuinctos eſſe ad regni ſui conditioniſque cuiuſque ſuæ dignitatem & antelationem defendendam conſtanter profiteor.

PH. Ex omnibus certe quæſtionibus, quæ hiſce & ante actis temporibus vbiuis verſantur, haud ſcio, an vlla alia ſit frequentior, quam quæ de excelſiori loco & ſede in conuentibus pręſertim virorum illuſtrium agitatur.

De ſeſſionis præeminentia.

Et quamuis plena ambitionis & ſuperbiæ (vt eſt humana mens contentionis auida) controuerſia iſta non exactè rem aduertentibus fortaſſe videatur: magiſque audaciſſime pugna, quam lite de iure diſertiſſime diſceptando decernenda: Si quis tamen rem attentius rerumque momenta accuratius conſiderat, non de lana quod aiunt caprina, ſed de rebus, etiamſi non in fronte, tamen in receſſu longe maximis quæſtiones in huiuſmodi præeminentiæ negotiis moueri vltro fatebitur.

TH. Eſt hæc honorum ac prę-eminẽtiæ concertatio, modo debitos limites non excedat, omnino iuſta, iuriq; omni diuino, naturali & humano conſona. Vtq; rem altius aliquãto exordiar: *Honeſtum* certe, *vtile* ac *iucũdum* tres ſunt ingenii excelſique animi ſtimuli, quos ita aſſiduo, & vbiq; ſibi comites ac familiares vera gloria adiunxit, vt non tantum ſocietatẽ atq; amicitiam, ſed quandam cum eis ingenitam cognationem contraxiſſe videatur. Ex quibus ſi honeſtatem vt principem & reginam, attendamus, ad quam quęrendam ſemina quædã à Deo nobis ac virtutis igniculi dati ſunt, ita honos vt diuinus, ſacroſanctus, ac honeſtus, in ſacra pagina commẽdatur, & omni iure recẽſetur; Deuſq; ipſe Optimus Maximus nullum aliud recto ac iuſto viro præclarius præmium pollicetur, vt Dauid cecinit, quam quod in memoria ęterna erit iuſtus & ab auditione mala non timebit. Nulla igitur maior cura habenda homini eſt, quam animi honoriſque: Nam alia humana bona aut natura aut caſu à nobis abeunt atque ſecedunt, ſemper ſuperſtite anima & honore viuente, ita vt ſublato corpore terræq; ſubmiſſo

anima

anima & honores vigeant. Et ita illi omnino probandi ſunt, qui maiorem rationem honoris quã vitæ habent, cum ineſſe animæ honor, non minus quam anima corpori, & ſpiritus animæ videatur, & cum dedecore vitam agere, turpiſſima mors apud homines iudicetur, nulla enim alia res propinquior eſt ſpiritualibus bonis, quam honos, *ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 73.* Vnde merito ipſa Chriſtiana pietas iuſque diuinum ſuum cuiq; tribui honorem vt à Deo elargitum iubent, & vt quiſque conſeruet, vt rem, excepta anima, pretioſiorem, teſte diuino Gregorio conſtituunt.

PH. Præter diuini verbi præſcriptum eiuſq; exempla, etiam naturæ bonitatem atque induſtriam, quam Ducem in omnibus vi quadam rationis ſequi debemus, intuebimur. Sicut ergo natura in humano corpore alia aliis nobiliora membra diſtribuit: Ita in Reipubl. ſtatu non omnes exæquare patitur, ſed quantum homo homini præſtet, ſatis indicat, cum alios ad imperandum, alios ad parendum, alios ad docẽdum, alios ad diſcendum, natos oſtendat: vt inferiores non de hoc debeant conqueri, ſed naturæ vi & iure, cedant ſuperioribus & obediant: ita enim concentus & ordo naturæ à beato Auguſtino diffinitur, vt ſit parium diſpariumque rerum, in ſua loca cuique tribuens diſpoſitio. Ius autem humanum ex diuini & naturalis iuris fontibus hauſtum, eorum præcepta exequitur.

TH. Idipſum ego altius adhuc ex D. Gregorio infero: Ad quam (inquam ego ex D. Gregorio) normam & regulam, aptius rectiuſque terra ſe continere ac moderari iuſtiꝰ eſt, quã ad cælorum exemplar, in quorũ thronis alii inferiores, alii ſuperiores, & Angelorum beatorum gradus conſtituuntur.

PH. Quin ipſæ quoq; honoris leges ac præmia, ad excelſa trophæa apperenda acuti admodum ſunt ſtimuli atque incentiua. Hinc eſt, quod nihil magis adoleſcentiæ habenas comprimit, furoremque & impetum in flore iuuentutis cohibet quam pudor. Qui ita corrector eſt noſtri, vt affectus & appetitus magis ardentes detineat, & temperet generoſa quadam verecundia, quam Plato diuinam vocat, & quæ in nobilib. & ingenuis animis præcipuam ſibi ſedem collocat; qui turpe & ignominioſum recte iudicant, nequid indecore effæminateue faciant, ne quid libidinoſe aut molliter cogitent, ex quo honos tam à ſe quam à maiorib. partus & quæſitus iacturam patiatur. Eſt enim pudor vehemẽs

motus

Digitized by Google

motus animi dedecus fugiens, laudemq; maxime conſequens roburque color habetur virtutis & nobilitatis, vt tecte Plautus ait. *Ego illum periiſſe duco cui quidem periit pudor.*

Cum igitur honoris cum virtute coniuncti honeſtum & vtile deſiderium habeatur, nō inferiorem locum ſibi iucundi pars vendicat. Nulla etenim ex humanis rebus ita animæ (quæ ſemper ad æternam beatitudinem aſpirat) ſatisfacit, neque gaudiis cæleſtibus exequari videtur, ſicut honos verum & legitimum virtutis præmium, vt eſſe cecinit Iuuenalis Satyra 10.

Tanto maior famæ ſitis eſt quam virtutis,
Quis enim virtutem amplectitur ipſam?
Præmia ſi tollas.

TH. Imo etiam ipſe noſter Saluator, Ieſus Chriſtus, nihil aliud quærere ſeſe profitebatur in terris, niſi gloriam Patris ſui, nullumque ſibi elegit præclarius munus, quam nomen ſuper omne nomen, in quo Pater exaltauit illum, idque beatorum ſpirituum officium in cælis eſſe, & ſacra pagina, & diuini eius interpretes docent, gloriam Deo aſſidue canere, ad quorum normam nullum aliud Deo gratius in orbe offerre ſacrificium poſſumus, quam ſoli Deo honorem, laudem & gloriam pu to ac ſincero corde ſemper & vbique præſtare, iuxta illud Pſalmi vigeſimi octaui. *Afferte Domino gloriam & honorem.* Apocalypſis capite quinto. *Honor & gloria Deo noſtro ſedenti in throno*; quod Concilium Toletanum quartum, Canone decimo quinto, demonſtrat. Et cum nomina ad exprimendum aptè & proprie conceptum mētis ſint inuenta, nullum nomen inueniri aptius honori potuit, quam gloriam nuncupare, ſicut gloriam etiam vocamus, qua cæleſtes & beati in cælis ſempiterno gaudio fruūtur, eſt enim fama, corona Principum, Regum, Dominorum, Doctorum, religioſorum, mulierum, virginum & pauperū, & ita teſte Auguſtino *de bono viduitatis, can. non ſunt audiendi. 11. quaſt. 3. & can. nolo 12. quaſt. 1. Non ſunt audiendi, ſiue viri ſancti ſiue fœminæ, qui quando reprehēduntur ex ſuſpicione, ſufficere ſibi coram Deo tutam conſcientiam reſpondent, contemnentes hominum aſtimationem, crudeliter, cum occidant animas aliorum, quia nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra, conſcientia nobis, fama proximo*: & Gregorius ſuper Eezechielem homilia nona, id indicat, & Pontifices ſunt exemplo, qui Concilia ad ſe purgandum congregauerunt.

E Q. Singula quaque locum teneant ſortita decenter. Vt ex Horatii verſu quodam *de arte poetica*, eo vnde digreſſi eſtis, reuocem. De honoribus ac præeminentiis, quales eæ vigent apud principes atque rectores regnorum ac prouinciarum huius mundi, ab iiſdemque diuerſimode vſurpantur, nobis ſermo eſt.

TH. Recte, atq; idipſum ego intendo. Nec ſane video, num vſpiam, præterquam ex ſacris literis exactior huius quæſtionis deciſio proferri poſſit. Honoris atque præeminentiæ ambitionem ac φιλαυλίαν & ſententiis & exemplis diſertiſſimis ſacra ſcriptura improbat. Sententiæ extant quarto Reg. decimo quarto. *Contentus eſto gloria, & ſede in domo tua.* Eccleſiaſt. ſeptimo. *Noli quærere ab homine Ducatum, neque à rege cathedram honoris.* Ibid. cap. vigeſimo. *Qui poteſtatem ſibi aſſumit iniuſte, odietur.* Ierem. vigeſimo ſecundo. *Numquid regnabis, quia conferes te cedro?* Matth. vigeſimo tertio. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Galat. tertio. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Heb. quinto. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo.* En ſententias! Exempla vero ambitionis extant in Bibliis de Adamo & Eua, de extructoribus turris Babylonicæ, de Miriam & Aarone, de Choran, Dathan & Abirone, de Abimelecho, Gedeonis filio, de Abſolomo, de Seba Bochri filio, de Adonia, de Zambri, de Athalia, de Sellum, de Nabuchodonoſoro, de Hamano, de Sobna, de Ezechia, de Seron, de Alcimo, de Ptolomæo rege Ægypti, de Ptolomæo filio Abubi, de Iaſone, de diſcipulis Chriſti, de filiis Zebedæi, de Scribis & Phariſæis, de Iudæis, de Simone Mago, de Pſeudo Apoſtolis, de falſis Doctoribus, de Diotrephe & ſimilibus.

P H. Gloriam, honorem ac præeminentiam bonus æque ac ignauus ſibi exoptant, iiſque inhiant, ſed diuerſis viis atque gradibus: ille namque vera via nititur, alter vero, dolis ac fallaciis contendit; ex vſu itaque & fine quo tendunt, vterque metiendus.

T H. Deus Optimus Maximus certe, vt flagitioſum & turpe prohibet cum aliorum damno primas cathedras, primas in foro ſalutationes, primas in Rebuſpublicis ſedes more Phariſæorum populari gloria exquirere, & cum eis tumeſcere; quum non temeritate, quæ immanitas potius appellanda eſt, neque iniuria, quærendus optanduſque ſit honos, ſed vigilantia, labore, duceque virtute, quæ ſemper veluti corpus vmbram,

fortunam

fortunam comitem & honorem habet, laudataque creſcit.

Quemadmodum vero ambitionem prohibet atque improbat Deus, ita econuerſo iuſtam honoris præeminentiã idem probat ac promouet. Sic namq; *libro primo Samuelis, cap. nono* extat: *Aſſumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui erant inuitati.* Et illud Symboli. *Sedet ad dextram Patris.* Et illud Pſalmi centeſimi noni. *Sede à dextris meis.* Arguere emi nentiam loci, eruditi Doctores explicant, cum ex maiori ſede maior dignitas cognoſcatur, idq; tum etiam humano, canonico, & ciuili iure, patet.

E Q. Ex ſeſſione certe de præeminentia dignitatis iudicium ſumitur. Inter ſigna namque maioris dignitatis potiſſimum refertur ſedere altiori loco, vt inquit Freccia *de orig. Baron. verſ. alta etiam fuit, num. 3.*

P H. Et dextræ manus, cuius dominus Theologus iam modo meminit, ſignificatio, eximiæ poteſtatis, & quandoque etiam regiæ maieſtatis ſignum fuit; quandoq; etiam paternam poſſeſſionem & dominium ſignificauit. *l. 2. iuncta gl. de orig. iur. l. fin. de emancip. cum gl. l. manumiſſiones, vbi Iaſon de iuſtit. & iure.* Atque hinc grauis illa contentio, cum nimirũ Plautius triumphans Romam rediret Britannis ab eo deuictis, an Cæſar ad dexteram vel læuam cum eo incedere deberet, quam retulit Dionyſius Halicarnaſſæus *antiquitatum Romanarum volumine*, cum latus dextrum honorabilius iudicetur, *ex gloſſa tertia l. decernimus Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis, vbi Baldus notab. 3. Caſtaldus de Imperatore, quæſt. ſexageſima ſexta.* Eamque primam ſedem licere omni iure armis defendere ex iuris interpretibus docent, & grauiſſimi & diligentiſſimi auctores, idemque iudicant, de quolibet gradu eminentiori honorem ſuperiorem indicant, vt in ſubſcriptione honoratiori loco facienda, & prius ſcribenda in ſuffragio, & voce priori loco emittenda, & omni ſimili vſu, prout cuiuſque regionis poſtulat conſuetudo, in his præcedentiis ſit attendenda. *ca. legimus. diſtinct. nonageſima tertia. Vinius libro ſecundo, deciſi. ne vltim. nu. 2.*

E Q. Frequens certe eſt etiam inter ipſos Imperii principes de ordine & ſeſſione concertatio, quando in Comitiis conueniunt, quæ tamen res, quoad Electores, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, plana eſt, vt quam definit & determinat Aurea bulla *tit. tertio & quarto.* Secus quoad merè ſeculares. Horum aliqui proteſtando ius ſuum con-

Digitized by Google

conſeruant, inter quoſdam veto ita conuenit, vt alternatim hunc vel illum locum ſiue ſeſſionem occupent. Qui vero nec proteſtatione nec alternis ſedendi iuribus contenti ſunt, illi, vt inquit Andreas Knichen, in abſtemiorum concedunt caſtra. Sed hæc extremis duntaxat labris delibo.

PH. Celebritate omnino digni ſunt, qui publico honori ac decori ſtudentes ſumma diligentia, quæ patrii honoris publicæque dignitatis ſunt, exquirunt, quippe quæ omnibus communia adeoque ſummis pariter atque infimis & mediocribus viris tuenda ſunt & conſeruanda. Eſt enim hæc contentio in qua non ambitio priuata, ſed publicus regni, & patrius honos eſt, diſputationis argumentum; quod ſacra pagina commendatur Iſaia capite vigeſimo quarto præcipiente, *Gloriam meam alteri non dabo.* & cap. 4. Baruch. *Ne tradideris alteri gloriam tuam, dignitatem tuam genti alienæ.* Prædoq; ſui ipſius à iure iudicatur, qui honorem à virtute profectum cum iactura ſua alteri relinquit. Cum pro religione, pro regibus, pro patria, pro parentibus defenſionem ſuſcipere, legitimum ac naturale ius ſit, idque omni æuo vter alteri præferendus eſſet, decertatum, & controuerſum extitit apud omnes gentes, ex quibus ius gentium iudicabitur, vt de legatis Samnitum, & Campanorum Liuius *libro quadrageſimo ſeptimo*, commemorat, magnumq; Alexandrum in ludis Græciæ totum fuiſſe occupatum in dirimendis circa primas ſedes quæſtionibus excitatis, Quintus Currius *libro primo* recitat.

Hiſpanorũ & Gallorum de ſeſſionum præeminentia cõcertatio.

EQ. Iamdudum etiam inter Hiſpaniæ & Galliæ reges, de excelſiori & ſublimiori ſede, vtri illorum competat, concertatum eſt; atque inter alios hanc controuerſiam cumprimis inter legatos Philippi ſecundi Hiſpaniarum, & Henrici Gallorum regis diſceptatam refert Marzarius *conſ. 26.* quinetiam inter Franciſcum Mourinum cancellarium Maximi illius Caroli Quinti Imperatoris, antequam imperii culmen & coronam adeptus eſſet, & Antonium Prato, Franciſci regis Gallorum cancellarium, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo in ciuitate Cales eandem controuerſiam excitatam memorat Chaſſaneus, *in Catalogo gloriæ mundi, part. 5. conſid. 29. & 45.* & Pacianus *de probationibus. libro ſecundo, capite trigeſimo quinto, nu. trigeſimo octauo.* Sed & olim & hodierna die inter Toletanã vrbem, & Burgenſem in omni curiarum congregatione circa primam vocem proferendam controuerſia viget, quæ à regibus compo-

componi ſolet. Eandem inter Salernum & Surrentum Campaniam,& Coſſentiam, Neapolitano regno, & inter Cataloniæ & Valentiæ regna extare litẽ, Velluga & Frechia diſputant, & de republica Venetorum conſuluerunt Menochius,*conſ. 126.lib.2.*& liberius Decianus *conſ. 7. lib.3.* & quæſtionem inter Duces Florentiæ, & Ferrariæ recitat Comes Natalis *lib.14. in fine eius hiſtoriæ ſui temporis*, & conſiliis illuſtrarunt huius ſeculi excellentes iuris vtriuſque Doctores, partes Ferrariæ ſuſtinendo collegium Bononienſe,& Paduanum Philippum Pottium,& Decianum, Florentinam autem ſuſcepere defenſionem Marzarius & alii quod antea controuerſum extitit inter duces Mediolanenſes,& Sabaudiæ, Ægidio Boſſio referẽte,& inter Duces Burgundiæ in ea re victores, & electores imperii, recẽſet quæſtionẽ Chaſſaneus, *5. parte, quæſt. 29.* & inter Ferdinandum Regem Apuliæ cum rege Scotiæ memorat Hieronymus Paulus *in practica cancellariæ Apoſtolica. c. de ſumma doctrinali*; de regno Scotiæ & de regno Gothorum cum aliis contendens agit Ioannes Magnus in proteſtatione concilii Baſilienſis edita in hiſtoria eius, *nu. 16. à c. 28.* ſimileſque diſſenſiones inter Poloniæ & Luſitaniæ Reges & duces Vrbini ac Mantuæ memorat Comes Natalis *in hiſtoria ſui temporis lib. 11. anno 1558.* & inter Ducem Burgundiæ & Andegauenſem refert cõtentionem circa ſedem Boerius *de auctoritate magni conſilii num. 207. & num. 110.* inter Marchionem de Tranſio & vicecomitem de Tallardo, Ioannes Garſia *de nobilitate gloſ. 35. num. 59.* priuataſq; alias diſſenſiones Moguntiæ apud Henricum III. Imperatorem,& Galliæ apud Carolum VI. Gallorum regem narrant Sanctus Antoninus, & Carolus Guaguinus, *lib 9. in Carolo VI.* diſcordięque huiuſmodi ſpirituales monachos, ſolitudinem, ac humilitatem eligentes perturbant, ad forumq; circa eas iudicandas trahunt, vt Menochius *conſ. 51. lib. 1.* & Chaſſaneus *vbi ſup.* aduertũt, & concilium Tridentinum, *ſeſſ. 25. cap. 12. de regular.* ſedandas & componendas in pompis publicis ordinariis reliquit.

TH. Frequens admodum eſt hæc diſputatio, vt dicitur *l. decernimus, C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, vbi gloſ. *verbo, reſidendi*, frequentior tamen in conciliis vniuerſalibus, quæ aliquandiu ſuſpendit ea & diſtulit, ſicut occaſione legatorũ Caſtellæ, Aragoniæ,& Angliæ in Conſtantienſi ſynodo euenit, *vt patet ſeſſione 21.* donec ſeſſione 26. decretum eſt, ne loci ratio haberetur, in qua diſceptatione domeſtici hoſtes bello ciuili ardentes,

tes; reges propinquitate & fœdere amicitiæ coniunctiſſimi iudicabātur, nam Ioannes ſecundus rex Caſtellæ prior in ſede & voce iudicari contendebat. Alfonſus quintus rex Aragoniæ ſe cum patre de honoris cōtrouerſia dimicaturum pollicebatur, vt ex annalibus Aragoniæ conſtat. Et tādem depoſita paterna obſeruantia ac regia maieſtate induta, Ferdinandus Caſtellæ rex cum coniuge Eliſabeth patrem ſuum Ioannem Aragoniæ regem ad ſiniſtram collocauit, dum in Vitoria vrbe ambo cōuenirent, vt narrat Antonius Nebriſſenſis in *hiſtoria regum Catholicorum, decade 1. lib. 7. c. 10.* Cumque antiqua hæc eſſet pugna inter Angliam, & Caſtellam: tandem Baſilienſis Concilii diffinitione decretum extitit, vt præcedat rex Caſtellæ, & eius legatus, quod obtinuit regnum Hiſpanum ope & diligentia Alfonſi Garſiæ à ſancta Maria & Carthagena, primum decani Compoſtellani, & Segobienſis, deinde Epiſcopi Burgenſis, q ita ſtrenue, & cum omnium admiratione & conſenſu partes Caſtellani regni egit, vt merito eius beneficium erga rempublicā hiſtoriis omnibus prædicetur, & de hac re eius tractatus *de ſeſſionibus*, extat anno 1434. editus, quo victoriā reportauit.

E Q. Sed neque in ea lite reticenda eſt Ioan. Syluę Comitis Ciſontani animi magnitudo. Nā cum Henrici regis Angliæ legatus dexteram occupaſſet, ſua valida dextera eū à loco diuulſum eiecit, ibidemq; vt legatus regis Caſtellæ ſedit, vt rem geſtā Ferdinandus Pulgar. *cap. 8. illuſtrium virorum* memoriæ prodidit.

PH. Diſceptationem inter Gallos, & Hiſpanos iam antea mille ſeculis cœptam iterum etiam excitarunt legati vtriuſque regis in Tridentina Synodo, in qua omnium patrum mentes ita turbauit contentio, vt in fine eiuſdem Concilii hæc ſint prolata verba: *Declarat ſancta ſynodus ex loco aſſignato oratoribus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus in ſedendo, incedendo, aut quibuſcunq; aliis actibus, nullum cuiquam eorum fuiſſe factum præiudicium, ſed omnia illorum Imperatoris, regum, rerumpublicarum, ac principum ſuorum iura, & prærogatiuas illæſas, & ſaluas eſſe, in eodemque ſtatu permanere, prout ante præſens concilium reperiebantur.* Quæ etiam lis adhuc ſub iudice, nec adhuc dum determinata eſt.

E Q. Imo vero lis hæc non eſt ſub iudice, ſed iamdudum deciſa & terminata, cum anno 1564. Pius IV. Pontifex inter legatos Philippi II. regis Hiſpaniæ, & Caroli IX. regis Francorum id decreuerit, locū præſtantiorem Gallo tribuens, quod recitat Papyrius

pyrius Mauſonius *in vita Pii IV.* & quidam Mediolanenſis auctor Italica lingua, *lib. 8 hiſtoria generali, anno 1564.*

PH. Etſi in anno 1564. à Pio IV. circa momentaneam poſſeſſionem inter Galliæ & Hiſpaniæ reges quædam compoſitio fuerit tractata, tamen ſupplicatione ab ea interpoſita, & nō pronunciata ſententia, in eodem ſtatu, conciliaq; & Pontifices, & Eccleſiam vniuerſam in eadem ſolicitudine conſtituit, & omnium oculos, & animos in vniuerſo orbis theatro attentos, & auidos expectantes habet. Ideoq; cum de aris, & focis inuicem dimicent, ac de Palladio eccleſię periclitētur, deq; magna virtute, atq; gloria vtriuſq; nationis agatur. proinde non ita facile controuerſia hæc terminari poteſt; quum vtraq; pars pro innata atque obſtinata animorum contentione ius ſuum quod habere ſeſe putat ac prætēdit, ad rauim vſque tueri haud dubie nitatur.

TH. Satius foret iſthæc in foro conſcientię componi, ad propulſandam inter has duas adeo ſanguine longo & arctiſſima propinquitate coniunctas nationes diſcordiam ac ſimultatem; quod facili negotio fieri poſſet, ſi B. Gregorii ſententia, quæ extat *cap. ecce, diſtinct. 99.* vtrinque obſeruaretur. *Non honorem*, inquit, *eſſe deputo, in quo fratres meos honorem perdere cognoſco.* At ſi recte noui vtriuſque nationis humores & ingenia, neutra pars in has, vti ipſis quidem videntur, ſeſe arctari ſinet anguſtias, quin ius in armis potius quærendum proclamabunt. Eſtque cumprimis gens Gallorum, quos Paulus Iouius *lib. 1. hiſt.* his verbis deſcribit, atq; commendat, alacritatis & perampla fiduciæ plena, mirumque in modum dedita regibus ſuis, quibus diuinum quendam animi vigorem ꝑſuaſum habent; quinetiā ſcriptores Gallici non pauci integris voluminibus regum Galliæ tuentur dignitatem. Hiſpani identidem, etſi non tot ſcriptis voluminibus (quippe qbus dextra, vt doctiſſimus aduertit Nauarrus, potius ad arma exercenda, q̄ ad calamū nata videtur) tn̄ virium opibus gloriam q̄rētes ꝓ patrio honore atq; exiſtimatione dimicando promptiſſimi ſunt, & caput fortunaſq; facile ꝓ victoriæ corona exponunt.

PH. Atque hæc nimirum fere tatio fuit, quod controuerſia hęc per ſententiam Pontificis anno 1564. de qua paulo ante, lata, non fuit dirempta. Præterquam enim quod Hiſpano minime placuit, etiam contra eam per legatos Hiſpanorum regis Philippi II. expreſſe fuit appellatum, per quam etiā appellationem extincta fuit vel ſuſpenſa, atq; ad eum effectum

effectum inſtituta ad rem attentius deliberandam, & maturius decernendam, & ita interim, donec confirmetur vel reuocetur ſentẽtia, in pendenti manet quæſtio, & ſuſpẽditur cauſa in eo ſtatu, quo antea erat manens. Et q̃, hæc ſupplicatio ſit interpoſita, p̃ter id quod ex actis proceſſus notiſſimũ eſt, recitat Onuphrius Panuinus, Gallorum ſtudioſus auctor in ſupplemento ad Platinam de vitis Pontificũ in Pio IV. hiſce verbis narrans, vt Proteſtatio facta & admiſſa à Pontifice fuerit: *Haud longe poſt controuerſia de honoratiori in conſeſſibus publicis loco, inter oratores, Gallum & Hiſpanum, diu ante Franciſci Vargæ opera excitata, Pontifex poſt longas tergiuerſationes, ſummum Gallo locum aſſignauit, cũ de concordiæ forma multum conſuluiſſet, nec vllam reperiſſet; Hiſpanus enim ſuperiorem conſeſſum Gallo negabat, Gallus Hiſpanum recuſabat. In Tridentino quoque concilio, quia Pontificis iuſſu vtriſq; oratoribus in ſacris thuris ſuffimenta ſimul oblata erant, magna diſcordia orta fuerat. Ob eã rem Ludouicus Requeſens, magnus Caſtellæ commendator, Hiſpanus orator, irritatus, poſt publicam conteſtationẽ regis ſui nomine Pontifici factam quam Pontifex ſuſcepit, & iudicium pollicitus eſt, Roma abiit.* Cęterum quod ſententia Pii IV. in cõtrouerſia excitata de primo conſidendi loco & pręcedentia inter legatos Hiſpaniæ & Galliæ, non ſententia iudicialis extiterit, ſed ſolum quædam compoſitio acta, in mediumque propoſita & tractata, non vero deciſa fuerit. teſtis eſt locupletiſſimus Comes Natalis in hiſtoria ſui temporis ab anno 1545. vſque ad annum 1581. *lib.* 14. in fine anno 1564. cuius verba, ne aliquid ex capite fingere videar, recenſere libet. Perturbabant, (inquit) in Italia magnopere animum Pontificis poſt patefactam tam periculoſam ſtultorũ coniurationem, diſſenſiones cohortæ in Tridentina ſynodo, inter duos potentiſſimos Chriſtianorum reges, vtrius orator Regis honorificentiorem locum obtineret ac præcederet. Nam rex Gallorum inſignem ſibi fieri iniuriam & nõ ferendam cenſebat, ſi cum priorem locum tot annos ipſe obtinuiſſet, & antiquiſſimus atque Chriſtianiſſimus rex cæteros omnes reges anteiret nobilitate, potentia, dignitate, ſub cuius imperio quatuor Reges, & triginta ac duo Duces continerentur, qui multa pręclare pro Chriſtiana fide feciſſet, q; diuinis miraculis cælitus fuiſſet confirmatus, nũc cogeretur Philippo nouo regi cedere. Imperat igitur hic Rex per literas ſuo oratori, quem aſſiduum Romæ habebat, niſi perantiquus ſibi & vſitatus locus publice concedatur apud Pon-

Pontificem, & cæteris honorificentior poſt Cæſarem, vel ſi quid in huiuſmodi negotio innouetur pter id vnũ, ſi legatio Hiſpana ſcil. excluderetur, vti continuo obnunciata perpetua Galliæ ab Apoſtolica ſede abalienatione, Roma excederet. At contra iubetur Hiſpanus orator nullo modo perferre, ſi concederetur Gallico oratori, vt præcederet; atque omnino vel honorificentiorem locum poſt Cæſarem procuraret, vel certe parẽ Gallico, dignitate. Contendebant idcirco, enixeq; demonſtrare nitebantur Hiſpanas partes cõplexi, regnũ Hiſpaniæ antiquius eſſe & nobilius Gallia, quippe quod Hiſpania caput ſit Europæ, q̃ poſt ruinas, euerſioneſq; Gothorum ac Maurorum apparet iure debere redire ad priſtinam auitamq; dignitatem. Nam eius prouinciæ Rex, q̃ prior Chriſtianam fidem complexa eſt, quæ plura beneficia in Chriſtianam Rempub. contulit, quæ latius imperat, quæ digniores regis electores habet, iure optimo locis omnibus & temporibus dignitate præcedere debet. At Hiſpania per multos annos ante Gallos complexa eſt Chriſtianam fidem, multaq; bella per noningentos fere annos pro fide Chriſtiana aduerſus barbaras & immanes natiões geſſit, multaſq; ciuitates, & bellicoſos populos ad Chriſtianam fidem, ſanctęq; Romanę Eccleſiæ Catholicæ obedientiam compulit, cum Galli reges contra perdomitis & ſubiugatis tantũ finitimis Chriſtianis nationib. ſui regni fines ampliauerint, qui cum ſemel Põtificem defenderint; mox Chriſtianiſſimi nomẽ ſibi ſumpſerint. Quod vero attinet ad dignitatem electionis, contendebant Hiſpani, poſt clades & calamitates acceptas à Mauris, Hiſpaniã fuiſſe vniuerſam in duodecim regna diuiſam, regemq; ipſum Hiſpanũ ab hiſce regibus fuiſſe delectum, cum rex Galliarum contra non quidem à regibus, ſed à Ducibus totidem delectus fuerit, qui certe fuerunt inferiores dignitate. Nũc autem cum res ad vnum redierit regem, opus eſſe ad integritatem prioremque ſtatum rem redire, cum hactenus non extincta quidem, ſed in multorum amplexu conſopita quodãmodo fuerint, quare & antiquor & nobilior erit Hiſpanus Gallo rege cẽſendus. His addebantur vetera iura Hiſpana in regnũ Galliæ, & recentia præterea propter Burgundiam familiã, cum tamen Gallus rex contra nullum ius habeat in Hiſpaniã. Contendebant rurſus Hiſpani, Gallũ regem neq; vnctum eſſe, vt afferebatur, neq; lilia diuinitus accepiſſe, ſicuti rex Hiſpanus accipit crucem rubram, neq; fuiſſe legi-

Digitized by Google

legitime Christianiſſimum appellatũ, à Pontificibus, cum ſolus Imperator legitimus ſit diſpenſator & largitor titulorum. Quibus accedebant ampliſſima Siciliæ Neapoliſq; regna, & tot opulentiſſimi principatus, & Indiarum, nouiq; orbis poſſeſſio, & tãta Imperii amplitudo, vt rex Hiſpanus dignus potius q̃ imperatorio nomine inſigniretur, q̃ cui rex Gallus præferretur: quippe cum titulorum & imperiorũ amplitudo & antiquitas atq; opulentia non parum faciat ad dignitatem & præſtantiam ipſorum regum. Scribit præterea Philippus ipſe ad Pontificẽ, niſi conueniens locus ſuo oratori aſſignetur, ſe nõ oratorẽ modo, verum ẽt omnes ſubditos Roma euocaturum. Monet oratorem vt primum locum procuret à ſiniſtra Põtificis, cum locus à dextra Cæſari conueniat, vel Gallo; ſi abſit Cæſaris orator; quẽ locum ſi obtinere non poſſit, aut ſi contra fuiſſet pronunciatum à Pontifice, iubet non Roma quidem excedere, ſed non amplius tanquam oratorem regium negotiari. His æque validę rationes a Gallis defenſoribus, ſi non ſuperiores, aduerſus Hiſpanas afferebantur, quas cum non potuerim aſſequi vt cupiebam, malui ſilentio inuoluere, quàm imperfectas ad poſteros tranſmittere, cum alii ſcriptores illud efficere poſſint. Conſimilis contentio inter Florentiæ Ferrariæque Duces verſabatur, quoniam alter per quaſdam occaſiones primũ locum ſibi deberi putauerat, at alteri legitimum videbatur per antiquũ gradum honoris & auitam poſſeſſionem conſeruare, ac ius eius reipublicæ retinere, quæ ſemper ſine vlla dubitatione vel controuerſia primum nominis, exiſtimationis, dignitatiſque locum obtinuerat. In hanc controuerſiam proprias rationes vtriuſque Principis recenſere prętermiſi, eadem ratione commotus, qua Gallicas etiam pręteriui. Accidit quod auctus viribus Florentinæ Dux & dignitate, dilatatoq; Imperio p optimum animi ſui affectu n reb. præclare geſtis explicatum multa & non leuia contulerit auxilia ad defenſionẽ & incrementum Chriſtianæ religionis, primum à Pio Quinto ſummo Pontifice ob ingẽtia merita, deinde à Cæſare, duobus ſupremis principib. Chriſtiani nominis, ad ſublimiorem dignitatis gradum, digniorem q; titulum, prouectus eſt, quo facto omnis illa controuerſia de medio ſublata iure videri poteſt, vt magis opportune à nobis explicabitur. Enimuero ſummus Pontifex, qui intelligeret, Reges ac Principes propenſos eſſe magis ad iram, q̃ ad cognoſcendã æquitatem ſuarum

rum petitionum, plerunq; multis rationib. de regib. iudicium differt. Rem indies ꝓtrahit, multiplicibus tergiuerſationib. negotium cõperendinat. Sententiam quoquo modo poteſt, deuitat ꝓferre, nihil aliud ſtudioſius molitur, q̃ vt illud iudicium ſilentio inuoluatur. Sed cũ Gallus omnino Roma eſſet exceſſurus, niſi ſuus locus ſibi aſſignaretur, indicuntur comitia ſacratorũ patrũ purpuratorum. Conueniunt frequentes, explicantur in comitiis facultates & mandata vtriuſque regis ꝓcuratorio nomine ſuis oratoribus conceſſa. Diſputatur diu pro vtroq; Rege, pro animis magis huic q̃ illi propẽſis. Deniq; cum ad ferendam ſententiã ventum eſt, illa perobſcura & noctis plena lata eſt, diſſentientib. pleriſque in vtramque partem. Non placuit peritio Philippi regis quibuſdam purpuratis, cũ parem locũ videretur poſtulare, & tamen honorificentiorem clam aucuparetur, quippe quia primus locus à ſiniſtra ſit honorificentior ſecundo à dextra. Sic enim fiebat vt Hiſpanus cum pari loco contentus eſſe appareret, fieret ſuperior atque hæc pluribus diſputata ſunt. Pontifex in tanta ſententiarum varietate dubio erat animo, quid eſſet faciendum, quare cum nollet primum locum Gallo aſſignare poſt Cæſarem, decernit vt in ſacello locus inter ſacra Hiſpano aſsignaretur ſupra omnes purpuratos diaconos, at paulo tamen humilior & contractior, qua ratione viſus eſt Pontifici ſuum locum obtinere, at non præcedere Gallus Hiſpano. Quod attinebat ad exoſculationem ſacræ imaginis, quam pacem vocant, & ſuffitum thuris, ita ſtatuit, vt imago primum Cæſareo, deinde cæteris ab eo oratoribus porrigeretur, poſtmodo daretur Hiſpano. Thuris ſuffimentum omnib. ſimul primum, poſtea Hiſpano offerretur; cum manus eſſent lauandæ, quod ſemel aut bis certe ad ſummum quotannis accidit, decernitur, ne Hiſpanus accedat. Illud quoniam neſcio quid nouum & hactenus inuſitatum haberet præter antiquam cõſuetudinem, fecit vt Gallus orator locum recuſaret, qui erat perpetuam Galliæ abalienationem obnuntiaturus, ſicuti iuſſus fuerat à rege, niſi Hiſpanus mutandi conſilii opportunitatem obtuliſſet.

Nam diſceſſuro Gallo par eſſe videbatur, vt per quãdam comitatem & facilitatem verborum optatum locum aucuparetur ſedis, ſuperbe recuſauit. Gallo contra per eam opportunitatem locum oblatum humaniter acceptante, omnis pontificia indignatio à Gallo con-

conuerſa eſt in Hiſpanum. Nam Pontifex iratus ait ſe Hiſpano conceſſiſſe humanitatis cauſa, quod dignitas & iura antiqua non poſſent obtinere: quare ſi locum nolit, abeat vt lubet. Enim vero hæc non legitima ſententia cuiquam videri poteſt, ſed amica quædam & paterna potius compoſitio tanquam inter filios diſſidentes, cum omnis iudicatio hoc æquum, illud iniquum eſſe ſtatuat, ac vix fieri poſſit, vt pares ſint vtrinque rationes. Florentiæ autem & Ferrariæ ducum controuerſia minime fuit iudicata. Hactenus Natalis Comes.

TH Nimirum ex duobus malis, quæ neceſſitate cogente euenire debent, illud quod minus eſt, fuit eligendum, præſertim quod proteſtatus fuerat rex Franciæ, ni ſublimior ſibi aſſignetur locus, ſe & regni ſui incolas obedientiam Pontifici in poſterum denegaturos, ideo Pontifex, non quidem in vim decreti ſententiæ, ſed cuiuſdam compoſitionis, & iuxta calamitatem temporis inſtante occaſione illud declarauit, vt rex Galliæ ſublimiorem occuparet locum, qui alioqui, & ſi ſecus Pontifex pronunciaſſet, non ſolum temporalem ubi negotiationem, ſed omnem etiam obedientiam ſpiritualem denegaſſet.

EQ. Memini equidem ego, litem hanc inter Hiſpanum & Gallum, per ſententiam Pontificis non plane fuiſſe ſopitã, ægre namque ius, etiam per interualla duntaxat vſurpatum, deſeritur; fundamenta tamen compoſitionis iſtius ac ſententiæ diffinitiuæ tunc iacta fuerũt minime aſpernanda, donec tandem plene ac plane lis diffinita, & per Pontificem alioſque Præſules ac proceres, idque viuo ac regnante Henrico, rege Galliæ, iterato pronunciatum fuit, quod Gallus Hiſpanum præcedere, prioremque in ſeſſione locum occupare debeat, quod recenſet Paulus Matthias Wehnerus *in Metamorphoſi rerumpubl. cap. 7. fol. 89.*

TH. Foret hæc compoſitio, modo vere amica ſit, ex re vtriuſque gentis. Verum enimvero vt rubigine ferrũ, ſic animi rancore haud raro reinficiuntur; præſertim quando, quod quidẽ magni eſt animi, impare affectibus, ductuque rationis agi neſciũt, ſed cupiditatũ incõſulto quodã raptu atque ambitionis œſtro ferũtur homines.

PH. Miſerrima omnino eſt, vt etiam Cic. *lib. 1. Offic.* ait, ambitio honorumque cõtentio. Quicquid n. eſt huiuſmodi (vt idẽ inquit *1. Off.*) in quo non poſſunt plures excellere: in eo plerunque tanta fit contentio, vt difficilimũ ſit ſanctam ſeruare ſocietatẽ: difficile n. eſt, cũ præſtare cæteris cõcupiueris, ſerua-

ſeruare æquitatem. Peſtiſq; nulla eſſe maior in amicitiis poteſt, q̃ in quibuſdam honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitiæ maximæ ſæpe inter amiciſſimos extiterunt, *Cicer. in Lælio.* Maxime namque adducuntur plerique vt eos iuſtitiæ capiat obliuio: cũ in imperiorum, honorum gloriæque cupiditatem inciderint, *Ci. 1. offic.* facilimeq; ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupido, *Cic. 1. offic.* At vero vt venti deſituri, vt inqt Seneca, vehementiſſime ſpirare ſolent, ita mortales, cum maxime efferunt ſeſe, tum proximi exitio ſolent eſſe.

TH. Idipſum vero exitium iamdudum ambitioſis minatus eſt Dominus: *Glorioſos* inquit, *terra humiliabo, Eſa. 45.* quam humiliationem ſæpius ſecutam eſſe, omnium ætatum hiſtoriæ teſtantur, eoque ipſo Dominus commonefacere homines vult, nihil eſſe leuius, nihil inconſtantius, nihil vanius gloria humana, quã tamen plerique tanta contentione affectant; nec quiſquã fere eſt, vt etiam Auguſtinus ait, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Eſtq; hoc ipſo pernitioſior ambitio, inquit Ambroſius, quod blanda eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpe quos vita nulla delectat: quos nulla potuit mouere luxutia, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos, habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, & vt aliis dominetur, prius ſeruit: curuatur obſequio, vt honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior. O igitur ambitio, inquit Bernhardus, ambientium crux? quomodo omnes torques? omnibus places? nihil acrius cruciat: nihil moleſtius inquietat, nil tamen apud miſeros mortales celebrius negotiis eius.

EQ. Nimirum veram gloriam multi non ſentiunt, ſimileſq; mihi videntur iſtiuſmodi affectus quibuſdam cibis, qui vt perhibẽt medici, nullas corporis partes neque augent neq; conſeruant, vẽtri modo inflationem faciunt. *Stulta ambitio.* Nam quidam ſunt homines, qui vt nulla honeſtæ laudis cupiditate tenentur, ita circa res friuolas & inanes ambitioſi ſunt, illis ignauis canibus ſimiles, qui domi aduerſum cicures audent, in ſylua ne leporem quidem allatrant. Nam vbi nefas eſt, gloriam affectant, vbi decus, ibi vero obdormiſcunt. Et tamen paraſiti eorum & vel ſputum lingere prompti magnifice de his loquuntur; & adulationis ſtudio, Arma virumque canunt; & inuicto prædicant, quos tamen arma contrectaſſe nunquam, virumque vidiſſe pene nullum probe norunt. Idque

que ſæpius ita euenire, in procliui eſt. Qualia enim ſunt illa quæ diſſidere ſæpenumero illos faciunt? Aliqui de finibus ſibi ſuis aliquid detractũ, adeoq; ſe maxima affectos eſſe iniuria queruntur. Atq; hæc fere cauſa potior ac maior nulla eſt. Reliquæ viles, contemnendæ & quæ nihil fere momẽti habent, q̄ in magni viri animum cadere dignũ ſit; vt quod aliquis prætexit, ius ſibi ſuũ detractũ, in ſuã ditionem conceſſum; q̄ alius arguitur temerè ſe reb. immiſcuiſſe alienis, alius turbatas ſibi poſſeſſiones clamat, pulſatum villicũ aut homuncioni vim illatã. Alius ob præreptum inanẽ titulũ, ob ſuperiorem petitum in cõſeſſu locum, ob aliquod arrogãtius prolatũ verbum, ob eam quæ ex ſtẽmatũ oritur iactatione, offenſionẽ; Hæc inquã præclara illa ſunt, quę ferro & igni proſequenda, ob quæ vindicanda cælum terræ miſcendum, omnia ferociter agi, omnia hoſtiliter, omnia crudeliter biliosi quidam inconſulto quodam feruore exiſtimant.

TH. Stemmata quidẽ & imagines quas iactant, magna ſunt ornamẽta, ſed maiorũ. Quippe nullo iure virtus hæreditaria fit, quin potius neceſſitudo impoſita videtur poſteris, vt niſi velint maiorũ imaginib. peſſimam maculam aſpergere, veris pietatis & fortitudinis officiis genus ſuũ illuſtrent. Quanto namq; maiorum gloria, eſt maior, tanto maius ſuſtinent onus, cũ per lubricã & pene inuiã virtutis viam, ad glorię & honoris faſtigium ſit ipſis aſcendendum: tantiſque maioribus ſiunt expoſiti periculis, cum hæc via ardua & difficilis, multis ſentibus & ſpinis ſit obducta, & non niſi magno vitæ periculo peruia.

PH. Fruſtra domi ſtẽmata ſeruat, qui nullo foris præclaro facinore nobilitatem aſſerit. Quanq̃ eſt honor vetuſtati generis, ſed ſpe quadã in nobiles coniecta, vt progenitoribus ſuis fiant ſimiles. Quod niſi contendũt, nihil magnoopere titulis, nihil nominibus diutius mouebuntur homines. Nec idcirco magnus quiſq; putabitur, quia aurũ habeat, quia purpura veſtiatur, quia ſatellitib. ſtipetur. Foris iſta adſunt, & cũ antiquis coloſſis cõmunia. Nam & illi quia vaſti & artificio exculti, foris ſpecioſi ſunt, intus ſordibus ac vaſtitate deformes. Virtute opus eſt iis qui claritudinem affectant, hac duce eminere licet, & egregiam de ſe famã ad poſteros tranſmittere. Tantus n. quiſq; cẽſetur, quantũ ſe morib. ac animo oſtendit, nõ quantũ generis antiquitas probat. Videmus, coloſſos ſi male librati ſint, corruere; nihilo magis φίλαυτοι, niſi ab animis ipſorũ pendeat magnitudo, cõſiſtẽt. Vnica iſtiuſmodi molis baſis,

virtus eſt. Atq; hęc verã fulcit magnitudinẽ. In hac vera nobilitas radices agit, qua ſubmota, quicquid reliquum eſt, corruit, ac omnis repẽte extincta eſt claritas. Imperitorum ſane oculi veſtes ac reliquũ extra ornatum probant; qui ſapiunt, non perinde iudicãt. Nam hi mẽbrorum compaginẽ & corporis habitudinẽ ſpectant. Sic ea quæ à fortuna adſunt, non mirantur, niſi quibus nullum eſt iudicium. Nam prudentes ab animo æſtimant.

TH. Abſtinendũ ergo ab omni vmbratili magnificẽtia; quin potius in medio etiam gloriæ & dignitatis curſu, memores eſſe debent omnes humanę fragilitatis, ne tumeſcant ſuperbia, inanes eructent fumos, alioſue deſpiciãt: ſint etiã procul ab omni ferocia; ne abutentes ſua potẽtia, Deum ſuæ dignitatis autorem offendãt, ac ſibi totiq; generi ſuo calamitates triſtiſſimas attrahant. Cõſueuit n. Deus ſublimia cuncta mutilare, & potentes ſedib. ſuis deturbare, quã primũ ſuæ originis immemores, faſtuoſe efferuntur.

EQ. Recte quidem hæc à vobis dicũtur, omninoq; moraliter; at interim vero quęſtio atq; controuerſia, cuiuſnam rei intuitu, duobus inter ſe de [...] tu c[...] dentib. alteru[...] f[...] Bald. ſanè *in* [...] *de offic. proc*[...]

ſuetudo aſſignet locum ſedendi & ſtandi, idque ea etiam ratione, quod tempus immemoriale vim priuilegii atq; conſtituti, nec non legis obtineat. *l. 1. §. fin. de aqua plu. arcen.* Sic eum qui plures habet dignitates, vtpote qui Marchio & Comes ſimul, anteferendũ eſſe ei, qui vna ſolum gaudet, vt q. Marchio tantum ſit, concludunt cõmuniter Doctores, cum is qui nobilior ſit, cenſeatur etiã dignior, *l. decurionib. in prin. C. de ſilent. lib. 12. & l. 1. C. de primicer. li. 12.* Dux tamen præfertur Marchioni, & hic Comiti, hic Baroni. *H*[...]*g p. 1. q. 2. n. 53.* Aliud eſt in Comite Palatino, qui anteuertit Marchionem, *Crauetta conſ. 855. n. 2.*

PH. Docet Tiraquell. nobilitatẽ maiorem eſſe, quanto eſt antiquior *in tract. de nobilit. c. 19.* Et Auguſtus quoq; eã rẽpubl. voluit eſſe priorẽ, quę eſſet antiquior. *Bodin. l. 1. de repu. c. 8. n. 149.* Et antiq tatẽ ſupiorẽ vt maxime cõſiderari ꝓbat *l. 1. C. de cõſul. lib. 10. c. quorũdam, & c. ſtatuim' de maior & obed* Hinc eſt, q. dicit Barto. *in l. 2. § prius. de vulg. & pupil. ſubſtit.* q. in honorib. diſtribuendis inter ordinatos inuicem pręferendos, attẽdendus ſit ordo tempõris, v[...] *or adeptus eſt* dignitate[...] *n honore*[...] *EQ.* C[...] *ſtiori fami*[...] iæ vel d[...] *lis origine* quæſti[...] *lla potent*[...] maior[...] *caſio orti,* cum

An antiquiori, an vero ditiori familia excelſior ſedes debeatur.

cum alii à Romanis antiquioribus ducant originem, *Crantz. in Vandal. cap. 33. libro 14.* alii longe aliter.

PH. Sunt qui dicunt, eum qui potentiorem amplioremque Ducatum vel Principatum habet, præferri debere ei, qui anguſtiorem Ducatum vel Principatum poſſidet. *l. 1. & 2. de alb. ſcrib.* Alii contra dicunt, ordinem ſeſſionis ex latiori finium vel territorii amplitudine nec deſumi poſſe: nec eo ipſo effici principatum digniorem, vt is qui latius territorium habet, illuſtrior in proceſſione ſit eo, qui anguſtius habet, *arg. cap. legimus, 93. diſtinct. Choppin. de doman. lib. 3. tit. 7. n. 13.* Nec prærogatiuæ honoris quæ ex tēpore oritur, præualere maioritatem autoritatis ſeu adminiſtrationis, vt ſentit Platea *in l. 1. C. de conſu. lib. 10.*

EQ. Extat inſignis *l. bene à Zenone, C. de quadriennij præſcriptione,* quæ huic quæſtioni optime quadrat: Verba legis hæc ſunt: *Qui cum magnis conſilijs ſuiſque laboribus pro toto orbe terrarum die noctuque laborant, quare non habeant dignam ſuæ prærogatiuæ fortunam?*

PH. Dignam, inquit lex, id enim iuſtum eſt operæpretium, proinde per hanc legem non eſt ſatisfactum huic quæſtioni. Videtur itaque ſtatuendum, quod in huiuſmodi controuerſiis, cui nimirum excelſior ſedes debeatur, Ditionum multitudo, opum affluentia, potentiæque magnitudo quæ forſan in aliis priuatis exitioſæ ſunt, in regibus adeo excellunt, vt vna hæc ratio alias ſuperet, quod potentior regnis excelſior ſede eſſe debeat, quum omni iure diuino, naturali & humano maioribus maior & honoratior locus debeatur, adeoque ſuperior & excellentior iudicetur is, qui magnitudine regnorum, multitudine populorum, diuitiis, dominio & nobilitate & abundantia ſubditorum alios ſuperet. Hinc Salomon Prouerb. 15. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Quod & iure ſtatutum eſt, & apud bonos authores tam Græcos quam Latinos id frequens eſt argumentum. Atque hinc eſt, quod Neſtor lib. 9. Iliados de Achille loquens, apud Homerum ſic ait:

Qui tu pluribus vnus imperas, populoſque regis,
Tibi ſceptra ferenda Iuppiter ipſe dedit.
Qui dubijs omnibus eſſes, conſi'ijſq; Dux & Rex.

Vnde dignior & nobilior iudicatur homo, qui pluribus hominibus imperat, eoſque ſecundum ius recte moderatur & gubernat. *l. 2. C. vt dignit. ord. ſeruetur. lib. 10.* Inde etiam in principibus experimur,

rimur, quantum potentia attendatur, quum trib. coronis Imperator ideo ornetur, vt ſignificent in tribus orbis partibus, Aſia, Africa & Europa, ditionem & poteſtatem Imperatorē exercere; eaq; etiā ratione in principib. inferiorib. qui dux & comes ſimul eſt duobus titulis decoratus, illi qui ſolo vno titulo ornatur, præfertur; vti etiā Doctor & Licētiatus præfertur ſoli Licentiato antiquiori, & ſic de cæteris.

E. Q. Si igitur potentiori in regnorū magnitudine excelſior ſedes debetur; debebitur ergo ſedes illa Impatori Turcico, de cui⁹ imperii ac regiminis amplitudine nemini obſcurū eſt; qui etiam amplitudinis huiuſce intuitu, cūprimis vero ſub ſpecie occupati Imperii Bizantini, Monarchæ atque adeo ipſius Romani imperii vſurpare nomen ac titulum, imo Cæſarum Cæſarem ſeſe nominare non erubuit.

PH. Proiicit nimirum ille, pro more ſuo, ampullas & ſeſquipedalia verba Et ſane nō ignota eſt mihi titulorū, quib. ſeipſum deprædicat, magnificētia, atq; gloriatio. Eaq; inter alia extat, in copia quadā iurameuti ſiue confæderationis inter Iohannē regem Vngariæ, & Solymannū Imperatorē Turcarū, initę Anno Chriſti 1530. quam audire, quanquā cum iuſta eiuſdē exectatione, haud opinor erit vobis graue. Verba autē illius iuramenti hæc ſunt quæ ſequuntur: Donator donorum & gratiarū, ille ſummus creator Deus, qui eſt magnus & potens, & per conceſſionem diuinæ prouidentiæ, qui vtriuſque Paradiſi eſt Sultanus, & omnium regnorum iſtius machinæ gubernator, & alterius hemiſphærii caput, & exercituum principalis gubernator, qui eſt noſter Propheta Machumetus, ſuper quem Prophetā ſit ſemper beatificatio, & charitas diuinæ excelſæ clementiæ; per cuius bonam gratiam, & ſuorum quatuor familiarium doctorum & magnorum ſectetariorum Ebrobekyr, Vreer, Oſrean, & Allydo, quibus benignus & excelſus Deus, per ſuam infinitam clementiam, ſit ſemper lætus & contentus, & omnipotentis Dei & omnium ſanctorum & beatorum ſpirituum ipſum laudantium: quorum conceſſione & gratia ego Sultan Solimannus Sabyack, Cæſar Cæſarum, Dei gratia, glorioſus, magnus & inuictiſſimus Imperator Conſtantinopolitanus, Rex Regum, dator coronarum, Vmbraculum Dei ſuper terram, dominator magni maris & inferioris Europæ, Syriæ, Arabiæ, Iudææ, Cananeæ & Galilææ, & Phenices, Alexandriæ & Ægypti, & magni Chayris & Æthiopiæ, Mediæ & Libyæ, &

Imperat. Turcarum titulus.

& Lanchæ, Indici & Rubri Maris, & regni Hieroſolymitani, Samariæ, & maris Tyberiadis, & Damaſci, & Alepii, & magnæ Antiochię, Meſopotamiæ, Chaldææ, & magnæ Babyloniæ, cum maiore & minore Armenia, Parthiæ, Perſiæ, Hyberniæ, Georgianæ, Maris Caſpi, Trapezuntiæ, Tauriſiæ, Cappadociæ, Cæſareæ, Pamphiliæ, Ciliciæ, & Tharſis, Caramaniæ, Amaſiæ, Paphlagiæ, Lydiæ, Phrygiæ, Bithiniæ, & magnæ ciuitatis Nicææ, Nicomediæ, Magnæ Calcedoniæ, & totius magnæ Anatoliæ, Græciæ, Thraciæ, & magnæ Romaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Peloponneſi, Corinthi, Cherſoneſi, Albaniæ, Bounæ, Bulgariæ, VValachiæ, Moldauiæ, Scythiæ, & Tartariæ: Et multarum aliarum infinitarum Prouinciarum, Regnorum, & imperiorum acquiſitorum vi & armis, & virtute bellica, noſtræ fulminantis frameæ vere diu s à noſtris prędeceſſorib. Imperatoribus Sultano Mahumete Schyack, & abauo noſtro Sultano Bayazethe Schyack, & à filio ſuo Sultano Selymo Schyack, noſtro beatificato patre, ad requiem, quorum immenſa & excelſa clementia & beatificatio diuina, cum animabus, & ſpiritibus ipſorum in ſempiternum ſit: Vobis ſereniſſimo Ioanni Dei gratia Regi Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Morauiæ, &c. Ego præfatus Sultanus Soleymanus Schyack Imperator Turcarum inuictiſſimus, iuro ad omnipotentiam Dei altiſſimi omnipotentis, ſanctitatem, ſplendorem, & bonitatem diuinitatis ſuæ, ad firmamentum cæli, Solem, Lunam, ſtellas, terram, & ſuperficiem terræ, ac ad regnum & ſanctiſſimum Machumetum, Proauum, auum, Patrem, matrem, & lac maternum, ac panem meum, gladium, animam, & vitam meam ac omnium Bozermannorum circumciſorum ſalutem: Quod te fratrem meum iuratum Iohannem, videlicet Regem quaque neceſſitate non derelinquam; ſi etiam omnia imperia, regna, & poteſtates meæ vniuerſæ peſſundarent, annihilarenturque, ac remanerem ſolus, vel vnico ſaltem circumciſo Bozorman vocato, ſiue cum duobus, tribus, vel ad ſummum quatuor perſonis: Et ſaltem cum iſtis quoque obliger & tenear te requirere atque perquirere; tibiq; eadicam, Hic adſum ego paratus, ſi quid me velis, præſto ſum ad omnia tibi gratificari: Et ſi promiſſioni meæ nõ ſatisfacerem; ex tunc ira ſummi Dei, & eius iuſtitia, ſupra caput meum veniat, & me totum diſperdat: Et quid quid

quid corpus meum attingeret, altiſſimus Deus omnia in petram conuertat, ac firmamentum terræ me ambulantem non ſufferat; ſed terra ipſa in duas partes diuidatur, ac me totũ corpore & anima mea dehiſcat atq; abſorbeat. Datũ in Imp porta noſtra Conſtantinopolit. Die 3 de Rabiel. anno Prophetæ noſtri, 937. Hucuſq; iuramenti verba.

TH. Tantanè eũ generis tenuit fiducia ſpurci, vt vitta quam Imperatoris Romani auguſtiſſimum nomen ac titulum vſurpare frontis perfrictæ non homo, ſed im manus ac fœda beſtia, non erubeſcat? quid n. in iſta Scythica barbarie ſimile, vel potius quid non diſſimile imperii, quod Apoſtolus definit eſſe ordinationem Dei, in œconomica & politica vita bonam: quæ terrori malo ſit operi, & honori bono. Vt quieta vita cum omni pietate atque honeſtate degi poſſit. Horum autem omnium quod ſimulacrum, veſtigium, nomen, quænam vmbra denique in nefaria illa atque infeſta barbarie vſpiam extat? quæ non illa inter impia arma ſilent iura & honeſtæ leges? ſilent dico? imo vero demerſæ iacent, oppreſſæque ἐν ἀδικίᾳ pro ludo ac delectamento habentur. Quę domeſticæ labis nota in eorum non apparet vita? quod priuatarum ibi rerum dedecus non adhæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus, quod flagitii genus à toto corpore abeſt? illic petulantia pro pudore, ſtuprum pro pudicitia, fraudatio pro fide, ſcelus pro pietate dominatur: Furor præ intelligentia, turpitudo pro honeſtate, libido præ continentia laudi ducitur: Denique pietas, ſapientia, doctrina, æquitas, iuſtitia, virtutes ſummatim arteſque liberales omnes, tetro ignorantiæ & viciorum carcere concluſæ, aut ignorantur prorſus, aut pro nihilo putantur. Vſq; adeo, vt quicquid vnq̃ & vſpiam iam inde vſq; ab initio fuit confuſionum & ſcelerum, in hanc velut imam mũdi fecẽ & omniũ vitiorum extremã voraginem ac ſentinã, vno quaſi æſtu cõfluxiſſe, ac tanq̃ in fretis videtur ſubſediſſe. Quid n. flagitiorũ & turpitudinis ad Turcicũ latrocinium, q. legib. & diſciplinæ omni honeſtæ, naturæ deniq; & Deo ipſi bellum ἄσπονδον indixit, adiici poteſt? quam vel maiorem vel diuturniorem Eccleſiæ vaſtationem, reipubl. oppreſſionem, gentes ſeruitutem vnq̃ ſunt ꝑpeſſæ? quæ infelici huic ſeculo maior peſtis atq; clades erit vnq̃ expectanda? Obrutæ iacent in floretiſſima gene is humani parte per illuſtres Eccleſiæ: extincta vera de Deo doctrina: euerſa regna: Reſpubl. afflictæ: Denique quic

...ni Tur... barba-...um.

quicquid fuit Deo gratum & hominib. ſalutare: quicquid ſpecioſum, ordinatum, moratum: id omne Turcicum hoc incendium corripuit, corrupit, vaſtauit, depaſtum eſt: atque in cinere tot Eccleſiarum, in vaſtatione tot prouinciarũ, in ſepultura tot populorum vrbiumque, caſtra immaniſſimi regni, cœlo inuiſa, & orbi terrarum exitioſa, ſunt locata. Quæ cum tanta ſint, quanta non ſolum oratione proloqui, ſed etiam cogitatione complecti difficile ſit, cui dubium eſſe poteſt, quin in tali colluuie, nulla ſit aut eſſe poſſit Imperii diuinitus ordinati forma aut ratio, ſed impuri tantum ſpiritus, qui ipſis in facinoribus exultantes, extremo hoc ſuo latrocinio, eodemq; crudeliſſimo, corpora ſimul & animas præſentibus æterniſq; pœnis mactent.

PH. Nimis vera ſunt quæ dicis. Etenim cum omnes omnium gẽtium hiſtorias, populorum mores, militiam, domeſticã aut caſtrenſem diſciplinã, res geſtas atque imperia colligo & conſidero, inuenio nullam nationẽ extitiſſe, in qua plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitioſarum libidinũ, deniq; immanitatis in omni genere, quam in Turcis. Alii reges ac populi ita geſſerũt bella, vt poſtea reſpubl. legibus, morib. & religione ornarent. At Turcę nullis iuſtis de cauſis bella mouent, gerunt crudeliſſime, poſtquam vicerunt, religiones, bonos mores, & totam ciuilem diſciplinam tollũt, & deuictas nationes ad miſerrimam & fœdam ſeruitutem redigunt. Dicã paucis: Deum ignorant, nihil niſi arma cogitant, vaſtationes crepant, cædes & incẽdia ſpirãt, tantumq; veræ religionis concuſſione, iuſtorum imperiorum exciſione omniſq; honeſtatis oppreſſione gaudent atq; paſcuntur.

E. Q. Ab antiquo Turcarum genti conſuetudo eſt, latrociniis ac rapina vitam tolerare. Quorum occaſio ſi deeſſet, in feras graſſabatur, venationi operam dans. Nam potiorem ſemper hominum capturam duxit. Domi in omnẽ libidinum ac turpitudinum fœditatem profuſa, ad extremum ferox, efferata, crudelis, libidinoſa, infida, ac truculenta. Neq; fidem ſeruans, neq; fœdera ſancta habens, ſuæ ſuperſtitionis ad extremũ vſq; ſpiritum tenax, verę alioqui religioni hoſtis, ſacra & prophana, fas & nephas perinde ducens. Atq; hos mores quantum nulla alia gens ſuos, & diu & immutatos retinuit. Septingenteſim⁹ ac ſeptuageſim⁹ a Chriſto nato annus agebatur, cũ primũ è Scythia pertranſitis Caſpiis portis, fruſtra obnixis Auaribus, in Aſia minori malum hoc cõſedit.

Vbi

Vbi patum profectum putantes, ſi melioris cœli regionem nacti, regnum ſibi communirent, finitima primum latrociniis infeſtarunt. Deinde vt ſe occaſio dedit, aut libido ſuaſit, bellum gesserunt. Quibus artibus, nō ita multos intra annos, opulentiſſima Aſiæ regna ſuæ ditionis fecerunt. Quippe Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Pyſidam, vtramq; Phrygiam, Ciliciam, Cares, Lydiam, & quæ circa ſunt, ad oras vſque Ionii maris, ſubegerunt. Interim cum Saracenis conflictati, eorum etiam religionem imbiberunt. Ac nobilis illius Chriſtianorum in Saracenos expeditionis procella icti, aliquamdiu Hieroſolymitanorum regum metu, intra ſua ſe continuerunt, donec Othomanno principe, quaſi quam tot annos diſſimulaſſent, ſolito maior erupit ferocia. Nihil non ſtrenue in hunc vſque diem, ex ea familia principibus, Turcarum arma exercentibus, actum. Victi tunc Thraces, omnibus in ſeruitutē ciuitatibus, præter Conſtantinopolim & Peram, deiectis. Inde Macedoniam cum vniuerſam ſubiugaſſent, Græciæ inuadendæ conſilium ceperūt. Cuius, non magno admodum negotio, ſubactis Theſſalia, Phocide, Bœotia, ac vt plurimū Attica, Myſiam inferiorem vaſtarūt, Illyricum ac Tribalos incurſionibus vexarunt, ingens Rhodiis periculum intentarunt. Quibus ſucceſſibus elati, magna Orientalis imperii potiundi ſpe Conſtantinopolim obſederunt, atq; inde rurſus Scytharum Tamerlane principe, armis pulſi, capto ac poſtq̄ multo ludibrio diuexatus eſſet, etiam occiſo eorum imperatore Baiazete, iterum ſub Mahumete tributa Myſiis imperarunt. Inde Amuratis ductu Theſſalonicā debellarunt ac diripuerunt, Epirum atq; Ætoliam ſuperarunt, Illyricum afflixerunt. Et cum Pannonias quoque tentaſſent, pugna profligati, decennales cum maiorib. noſtris inducias admiſerunt. Quas cum Eugenii pontificis hortatu noſtri violaſſent, ingens ſibi malū, reor Chriſto perfidiam ſuorum puniente, conciliarunt, luctuoſo apud Varnam prælio, cæſis (vt ferūt) Chriſtiani ſanguinis cētum millibus, interque eos Vladislao Polonorum rege. Atq; hæc obiter, pauca è multis, quæ Turcæ geſſerunt, ad tempora vſque Mahumetis, eius qui à magnitudine rerum à ſe geſtarum, Magni cognomentum meruit, deprompſi. Nam Magnus omnium ſuperiorum gloriam, bellica virtute longe ſuperauit.

TH. Hic ille eſt qui breui tempore maxima cōfecit bella. Qui

conuerſa eſt in Hiſpanum. Nam Pontifex iratus ait ſe Hiſpano conceſſiſſe humanitatis cauſa, quod dignitas & iura antiqua non poſſent obtinere: quare ſi locum nolit, abeat vt lubet. Enim vero hæc non legitima ſententia cuiquam videri poteſt, ſed amica quædam & paterna potius compoſitio tanquam inter filios diſſidentes, cum omnis iudicatio hoc æquum, illud iniquum eſſe ſtatuat, ac vix fieri poſſit, vt pares ſint vtrinque rationes. Florentiæ autem & Ferrariæ ducum controuerſia minime fuit iudicata. Hactenus Natalis Comes.

TH. Nimirum ex duobus malis, quæ neceſſitate cogente euenire debent, illud quod min⁹ eſt, fuit eligendum, præſertim quod proteſtatus fuerat rex Franciæ, ni ſublimior ſibi aſſignetur locus, ſe & regni ſui incolas obedientiam Pontifici in poſterum denegaturos, ideo Pontifex, non quidem in vim decreti ſententiæ, ſed cuiuſdam compoſitionis, & iuxta calamitatem temporis inſtante occaſione illud declarauit, vt rex Galliæ ſublimiorem occuparet locum, qui alioqui, & ſi ſecus Pontifex pronunciaſſet, non ſolum temporalem negotiationem, ſed omnem etiam obedientiam ſpiritualem denegaſſet.

EQ. Memini equidem ego, litem hanc inter Hiſpanum & Gallum, per ſententiam Pontificis non plane fuiſſe ſopitã, ægre namque ius, etiam per interualla duntaxat vſurpatum, deſeritur; fundamenta tamen compoſitionis iſtius ac ſententiæ diffinitiuæ tunc iacta fuerũt minime aſpernanda, donec tandem plene ac plane lis diffinita, & per Pontificem alioſque Præſules ac proceres, idque viuo ac regnante Henrico, rege Galliæ, iterato pronunciatum fuit, quod Gallus Hiſpanum præcedere, prioremque in ſeſſione locum occupare debeat, quod recenſet Paulus Matthias Wehnerus *in Metamorphoſi rerumpubl. cap. 7. fol. 89.*

TH. Foret hæc compoſitio, modo vere amica ſit, ex re vtriuſque gentis. Verum enimvero vt rubigine ferrũ, ſic animi rancore haud raro reinficiuntur; præſertim quando, quod quidẽ magni eſt animi, impare affectibus, ductuque rationis agi neſciũt, ſed cupiditatũ incõſulto quodã raptu atque ambitionis œſtro ferũtur homines.

PH. Miſerrima omnino eſt, vt etiam Cic. *lib. 1. Offic.* ait, ambitio honorumque cõtentio. Quicquid n. eſt huiuſmodi (vt idẽ inquit *1. Off.*) in quo non poſſunt plures excellere: in eo plerunque tanta fit contentio, vt difficilimũ ſit ſanctam ſeruare ſocietatẽ: difficile n. eſt, cũ præſtare cæteris cõcupiueris, ſeruan-

ſeruare æquitatem. Peſtiſq; nulla eſſe maior in amicitiis poteſt, q̃ in quibuſdam honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitiæ maximæ ſæpe inter amiciſſimos extiterunt, *Cicer. in Lælio.* Maxime namque adducuntur plerique vt eos iuſtitiæ capiat obliuio: cũ in imperiorum, honorum gloriæque cupiditatem inciderint, *Ci. 1. offic.* facilimeq; ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupido, *Cic. 1. offic.* At vero vt venti defituri, vt inqt Seneca, vehementiſſime ſpirare ſolent, ita mortales, cum maxime efferunt ſeſe, tum proximi exitio ſolent eſſe.

TH. Idipſum vero exitium iamdudum ambitioſis minatus eſt Dominus: *Glorioſos* inquit, *terra humiliabo, Eſa. 45.* quam humiliationem ſæpius ſecutam eſſe, omnium ætatum hiſtoriæ teſtantur, eoque ipſo Dominus commonefacere homines vult, nihil eſſe leuius, nihil inconſtantius nihil vanius gloria humana; quã tamen plerique tanta contentione affectanr; nec quiſquã fere eſt, vt etiam Auguſtinus ait, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Eſtq; hoc ipſo pernitioſior ambitio, inquit Ambroſius, quod blanda eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpe quos vita nulla delectat: quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos, habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, & vt aliis dominetur, prius ſeruit: curuatur obſequio, vt honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior. O igitur ambitio, inquit Bernhardus, ambientium crux? quomodo omnes torques? omnibus places? nihil acrius cruciat: nihil moleſtius inquietat, nil tamen apud miſeros mortales celebrius negotiis eius.

E. Q. Nimirum veram gloriam multi non ſentiunt, ſimileſq; mihi videntur iſtiuſmodi affectus quibuſdam cibis, qui vt perhibẽt medici, nullas corporis partes neque augent neq; conſeruant, vẽtri modo inflationem faciunt. *Stulta ambitio.* Nam quidam ſunt homines, qui vt nulla honeſtæ laudis cupiditate tenentur, ita circa res friuolas & inanes ambitioſi ſunt, illis ignauis canibus ſimiles, qui domi aduerſum cicures audent, in ſylua ne leporem quidem allatrant. Nam vbi nefas eſt, gloriam affectant, vbi decus, ibi vero obdormiſcunt. Et tamen paraſiti eorum & vel ſpurum lingere prompti magnifice de his loquuntur; & adulationis ſtudio, Arma virumque canunt, & inuicto prædicant, quos tamen arma contrectaſſe nunquam, virumque vidiſſe pene nullum probe norunt. Idque

que ſæpius ita euenire, in procliui eſt. Qualia enim ſunt illa quæ diffidere ſæpenumero illos faciunt? Aliqui de finibus ſibi ſuis aliquid detractũ, adeoq; ſe maxima affectos eſſe iniuria queruntur. Atq; hæc fere cauſa potior ac maior nulla eſt. Reliquæ viles, contemnendæ & quæ nihil fere momẽti habent, q̃ in magni viri animum cadere dignũ ſit; vt quod aliquis prætexit, ius ſibi ſuũ detractũ, in ſuã ditionem conceſſum; q̃ alius arguitur temerè ſe reb. immiſcuiſſe alienis, alius turbatas ſibi poſſeſſiones clamat, pulſatum villicũ aut homuncioni vim illatã. Alius ob præreptum inanẽ titulũ, ob ſuperiorem petitum in cõſeſſu locum, ob aliquod arrogãtius prolatũ verbum, ob eam quæ ex ſtẽmatũ oritur iactatione, offenſionẽ; Hæc inquã præclara illa ſunt, quę ferro & igni proſequenda, ob quæ vindicanda cælum terræ miſcendum, omnia ferociter agi, omnia hoſtiliter, omnia crudeliter bilioſi quidam inconſulto quodam feruore exiſtimant.

TH. Stemmata quidẽ & imagines quas iactant, magna ſunt ornamẽta, ſed maiorũ. Quippe nullo iure virtus hæreditaria fit, quin poti⁹ neceſſitudo impoſita videtur poſteris, vt niſi velint maiorũ imaginib. peſſimam maculam aſpergere, veris pietatis & fortitudinis officiis genus ſuũ illuſtrent. Quanto namq; maiorum gloria, eſt maior, tanto maius ſuſtinent onus, cũ per lubricã & pene inuiã virtutis viam, ad gloriç & honoris faſtigium ſit ipſis aſcendendum: tantiſque maioribus ſiunt expoſiti periculis, cum hæc via ardua & difficilis, multis ſentibus & ſpinis ſit obducta, & non niſi magno vitæ periculo peruia.

PH. Fruſtra domi ſtẽmata ſeruat, qui nullo foris præclaro facinore nobilitatem aſſerit. Quanq̃ eſt honor vetuſtati generis, ſed ſpe quadã in nobiles coniecta, vt progenitoribus ſuis fiant ſimiles. Quod niſi contendũt, nihil magnopere titulis, nihil nominibus diutius mouebuntur homines. Nec idcirco magnus quiſq; putabitur, quia aurũ habeat, quia purpura veſtiatur, quia ſatellitib. ſtipetur. Foris iſta adſunt, & cũ antiquis coloſſis cõmunia. Nam & illi quia vaſti & artificio exculti, foris ſpecioſi ſunt, intus ſordibus ac vaſtitate deformes. Virtute opus eſt iis qui claritudinem affectant, hac duce eminere licet, & egregiam de ſe famã ad poſteros tranſmittere. Tantus n. quiſq; cẽſetur, quantũ ſe morib. ac animo oſtendit, nõ quantũ generis antiquitas probat. Videmus, coloſſos ſi male librati ſint, corruere; nihilo magis φίλαυτοι, niſi ab animis ipſorũ pendeat magnitudo, cõſiſtẽt. Vnica iſtiuſmodi molis baſis,

virtus

virtus eſt. Atq; hęc verã fulcit magnitudinẽ. In hac vera nobilitas radices agit, qua ſubmota, quicquid reliquum eſt, corruit, ac ōmnis repẽte extincta eſt claritas. Imperitorum ſane oculi veſtes ac reliquũ extra ornatum probant; qui ſapiunt, non perinde iudicãt. Nam hi mẽbrorum compaginẽ & corporis habitudinẽ ſpectant. Sic ea quæ à fortuna adſunt, non mirantur, niſi quibus nullum eſt iudicium. Nam prudentes ab animo æſtimant.

TH. Abſtinendũ ergo ab omni vmbratili magnificẽtia; quin potius in medio etiam gloriæ & dignitatis curſu, memores eſſe debent omnes humanę fragilitatis, ne tumeſcant ſuperbia, inanes eructent fumos, alioſue deſpiciãt: ſint etiã procul ab omni ferocia; ne abutentes ſua potẽtia, Deum ſuæ dignitatis autorem offendãt, ac ſibi totiq; generi ſuo calamitates triſtiſſimas attrahant. Cõſueuit n. Deus ſublimia cuncta mutilare, & potentes ſedib. ſuis deturbare, quã primũ ſuæ originis immemores, faſtuoſe efferuntur.

EQ. Recte quidem hæc à vobis dicũtur, omninoq; moraliter; at interim vero quęſtio atq; controuerſia, cuiuſnam rei intuitu, duobus inter ſe de prioratu contendentib. alteruter ſit præferendus? Bald. ſanè *in l. obſeruare. § antequã. de offic. proconſ.* videri ſibi ait, vt cõſuetudo aſſignet locum ſedendi & ſtandi, idque ea etiam ratione, quod tempus immemoriale vim priuilegii atq; conſtituti, nec non legis obtineat. *l. 1. §. fin. de aqua plu. arcen.* Sic eum qui plures habet dignitates, vtpote qui Marchio & Comes ſimul, anteferendũ eſſe ei, qui vna ſolum gaudet, vt q, Marchio tantum ſit, concludunt cõmuniter Doctores, cum is qui nobilior ſit, cenſeatur etiã dignior, *l. decurionib. in prin. C. de ſilent. lib. 12. & l 1. C. de primicer. li. 12.* Dux tamen præfertur Marchioni, & hic Comiti, hic Baroni. *Hęg p. 1. q. 2. n. 53.* Aliud eſt in Comite Palatino, qui anteuertit Marchionem, *Crauetta conſ. 855. n. 2.*

PH. Docet Tiraquell. nobilitatẽ maiorem eſſe, quanto eſt antiqor *in tract. de nobilit. c. 19.* Et Auguſtus quoq; eã rẽpubl. voluit eſſe priorẽ, quę eſſet antiquior. *Bodin. l. 1. de repu. c. 8. n. 149.* Et antiqtatẽ ſupiorẽ vt maxime cõſiderari ꝓbat *l. 1. C. de cõſul. lib. 10. c. quorũdam, & c. ſtatuim⁹, de maior & obed.* Hinc eſt, q, dicit Barto. *in l. 2. § prius. de vulg. & pupil. ſubſtit.* q, in honorib. diſtribuendis inter ordinatos inuicem pręferendos, attẽdendus ſit ordo temporis, vt is q. prior adeptus eſt dignitatem, prior ſit in honore.

An antiquiori, an vero ditiori familia excelſior ſedes debeatur.

EQ. Certe ſi de vetuſtiori familiæ vel domus principalis origine quæſtio inſtituatur, nulla poterit maior diſceptandi occaſio oriri, cum

cum alii à Romanis antiquioribus ducant originem, *Crantz. in Vandal. cap. 33. libro 14.* alii longe aliter.

PH. Sunt qui dicunt, eum qui potentiorem ampliremque Ducatum vel Principatum habet, præferri debere ei, qui anguſtiorem Ducatum vel Principatum poſſidet. *l. 1. & 2. de alb. ſcrib.* Alii contra dicunt, ordinem ſeſſionis ex latiori finium vel territorii amplitudine nec deſumi poſſe: nec eo ipſo effici principatum digniorem, vt is qui latius territorium habet, illuſtrior in proceſſione ſit eo, qui anguſtius habet, *arg. cap. legimus, 93. diſtinct. Choppin. de doman. lib. 3. tit. 7. n. 13.* Nec prærogatiuæ honoris quæ ex tẽpore oritur, præualere maioritatem autoritatis ſeu adminiſtrationis, vt ſentit Platea *in l. 1. C. de conſu. lib. 10.*

EQ. Extat inſignis *l. bene à Zenone, C. de quadriennij præſcriptione,* quæ huic quæſtioni optime quadrat: Verba legis hæc ſunt: *Qui cum magnis conſilijs ſuiſque laboribus pro toto orbe terrarum die noctuque laborant, quare non habeant dignam ſuæ prærogatiuæ fortunam?*

PH. Dignam, inquit lex, id enim iuſtum eſt operæpretium, proinde per hanc legem non eſt ſatisfactum huic quæſtioni. Videtur itaque ſtatuendum, quod in huiuſmodi controuerſiis, cui nimirum excelſior ſedes debeatur, Ditionum multitudo, opum affluentia, potentiæque magnitudo quæ forſan in aliis priuatis exitioſæ ſunt, in regibus adeo excellunt, vt vna hæc ratio alias ſuperet, quod potentior regnis excelſior ſede eſſe debeat, quum omni iure diuino, naturali & humano maioribus maior & honoratior locus debeatur, adeoque ſuperior & excellentior iudicetur is, qui magnitudine regnorum, multitudine populorum, diuitiis, dominio & nobilitate & abundantia ſubditorum alios ſuperet. Hinc Salomon Prouerb. 15. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Quod & iure ſtatutum eſt, & apud bonos authores tam Græcos quam Latinos id frequens eſt argumentum. Atque hinc eſt, quod Neſtor lib. 9. Iliados de Achille loquens, apud Homerum ſic ait:

Qui tu pluribus vnus imperas, populoſque regis,
Tibi ſceptra ferenda Iuppiter ipſe dedit.
Qui dubijs omnibus eſſes, conſi'ijſq; Dux & Rex.

Vnde dignior & nobilior iudicatur homo, qui pluribus hominibus imperat, eoſque ſecundum ius recte moderatur & gubernat. *l. 2. C. vt dignit. ord. ſeruetur. lib. 10.* Inde etiam in principibus experimur,

rimur, quantum potentia atten-datur, quum trib. coronis Imperator ideo ornetur, vt ſignificent in tribus orbis partibus, Aſia, Africa & Europa, ditionem & poteſtatem Imperatorē exercere; eaq; etiā ratione in principib. inferiorib. qui dux & comes ſimul eſt duobus titulis decoratus, illi qui ſolo vno titulo ornatur, præfertur; vti etiā Doctor & Licētiatus præfertur ſoli Licentiato antiquiori, & ſic de cæteris.

E. Q. Si igitur potentiori in regnorū magnitudine excelſior ſedes debetur; debebitur ergo ſedes illa Impatori Turcico, de cuius imperii ac regiminis amplitudine nemini obſcurū eſt; qui etiam amplitudinis huiuſce intuitu, cūprimis vero ſub ſpecie occupati Imperii Bizantini, Monarchæ atque adeo ipſius Romani imperii vſurpare nomen ac titulum, imo Cæſarum Cæſarem ſeſe nominare non erubuit.

PH. Proiicit nimirum ille, pro more ſuo, ampullas & ſeſquipedalia verba Et ſane nō ignota eſt mihi titulorū, quib. ſeipſum deprædicat, magnificētia, atq; gloriatio. Eaq; inter alia extat, in copia quadā iuramenti ſiue confæderationis inter Iohannē regem Vngariæ, & Solymannū Imperatorē Turcarū, initę Anno Chriſti 1530. quam audire, quanquā cum iuſta eiuſdē execratione, haud opinor erit vobis graue. Verba autē illius iuramenti hæc ſunt quæ ſequuntur: Donator donorum & gratiarū, ille ſummus creator Deus, qui eſt magnus & potens, & per conceſſionem diuinæ prouidentiæ, qui vtriuſque Paradiſi eſt Sultanus, & omnium regnorum iſtius machinæ gubernator, & alterius hemiſphærii caput, & exercituum principalis gubernator, qui eſt noſter Propheta Machumetus, ſuper quem Prophetā ſit ſemper beatificatio, & charitas diuinæ excelſæ elementiæ, per cuius bonam gratiam, & ſuorum quatuor familiarium doctorum & magnorum ſecretariorum Ebrobekyr, Vreer, Oſtean, & Allydo, quibus benignus & excelſus Deus, per ſuam infinitam clementiam, ſit ſemper lætus & contentus, & omnipotentis Dei & omnium ſanctorum & beatorum ſpirituum ipſum laudantium: quorum conceſſione & gratia ego Sultan Solimannus Sabyack, Cæſar Cæſarum, Dei gratia, glorioſus, magnus & inuictiſſimus Imperator Conſtantinopolitanus, Rex Regum, dator coronarum, Vmbraculum Dei ſuper terram, dominator magni maris & inferioris Europæ, Syriæ, Arabiæ, Iudææ, Cananeæ & Galilææ, & Phenices, Alexandriæ & Ægypti, & magni Chayris & Æthiopiæ, Mediæ & Libyæ, &

Imperat. Turcarum titulus.

& Lanchæ, Indici & Rubri Maris, & regni Hieroſolymitani, Samariæ, & maris Tyberiadis, & Damaſci, & Alepii, & magnæ Antiochię, Meſopotamiæ, Chaldææ, & magnæ Babyloniæ, cum maiore & minore Armenia, Parthiæ, Perſiæ, Hyberniæ, Georgianæ, Maris Caſpi, Trapezuntiæ, Tauriſiæ, Cappadociæ, Cæſareæ, Pamphiliæ, Ciliciæ, & Tharſis, Caramaniæ, Amaſiæ, Paphlagiæ, Lydiæ, Phrygiæ, Bithiniæ, & magnæ ciuitatis Nicææ, Nicomediæ, Magnæ Calcedoniæ, & totius magnæ Anatoliæ, Græciæ, Thraciæ, & magnæ Romaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Peloponneſi, Corinthi, Cherſoneſi, Albaniæ, Bounæ, Bulgariæ, VValachiæ, Moldauiæ, Scythiæ, & Tartariæ: Et multarum aliarum infinitatum Prouinciarum, Regnorum, & imperiorum acquiſitorum vi & armis, & virtute bellica, noſtræ fulminantis frameæ vere diu s à noſtris prędeceſſorib. Imperatoribus Sultano Mahumete Schyack, & abauo noſtro Sultano Bayazethe Schyack, & à filio ſuo Sultano Selymo Schyack, noſtro beatificato patre, ad requiem, quorum immenſa & excelſa clementia & beatificatio diuina, cum animabus, & ſpiritibus ipſorum in ſempiternum ſit: Vobis ſereniſſimo Ioanni Dei gratia Regi Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Morauiæ, &c. Ego præfatus Sultanus Soleymanus Schyack Imperator Turcarum inuictiſſimus, iuro ad omnipotentiam Dei altiſſimi omnipotentis, ſanctitatem, ſplendorem, & bonitatem diuinitatis ſuæ, ad firmamentum cæli, Solem, Lunam, ſtellas, terram, & ſuperficiem terræ, ac ad regnum & ſanctiſſimum Machumetum, Proauum, auum, Patrem, matrem, & lac maternum, ac panem meum, gladium, animam, & vitam meam ac omnium Bozermannorum circumciſorum ſalutem: Quod te fratrem meum iuratum Iohannem, videlicet Regem quaque neceſſitate non derelinquam; ſi etiam omnia imperia, regna, & poteſtates meæ vniuerſæ peſſundarent, annihilarenturque, ac remanerem ſolus, vel vnico ſaltem circumciſo Bozorman vocato, ſiue cum duobus, tribus, vel ad ſummum quatuor perſonis: Et ſaltem cum iſtis quoque obliger & teneat te requirere atque perquirere; tibiq; ea dicam, Hic adſum ego paratus, ſi quid me velis, præſto ſum ad omnia tibi gratificari: Et ſi promiſſioni meæ nõ ſatisfacerem; ex tunc ira ſummi Dei, & eius iuſtitia, ſupra caput meum veniat, & me totum diſperdat: Et quid

quid

quid corpus meum attingeret, altiſſimus Deus omnia in petram conuertat, ac firmamentum terræ me ambulantem non ſufferat; ſed terra ipſa in duas partes diuidatur, ac me totũ corpore &anima mea dehiſcat atq; abſorbeat. Datũ in Imp porta noſtra Conſtantinopolit. Die 3 de Rabiel. anno Prophetæ noſtri, 937. Hucuſq; iuramenti verba.

TH. Tantanè eũ generis tenuit fiducia ſpurci, vt vltra quam Imperatoris Romani auguſtiſſimum nomen ac titulum vſurpare frontis perfrictæ non homo, ſed immanis ac fœda beſtia, non erubeſcat? quid n. in iſta Scythica barbarie ſimile, vel potius quid non diſſimile imperii, quod Apoſtolus definit eſſe ordinationem Dei, in œconomica & politica vita bonam: quæ terrori malo ſit operi, & honori bono. Vt quieta vita cum omni pietate atque honeſtate degi poſſit. Horum autem omnium quod ſimulacrum, veſtigium, nomen, quænam vmbra denique in nefaria illa atque infeſta barbarie vſpiam extat? quæ non illa inter impia arma ſilent iura & honeſtæ leges? ſilent dico? imo vero demerſæ iacent, oppreſſæque ἐν ἀδικίᾳ pro ludo ac delectamento habentur. Quę domeſticæ labis nota in eorum non apparet vita? quod priuatarum ibi rerum dedecus non adhæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus, quod flagitii genus à toto corpore abeſt? illic petulantia pro pudore, ſtuprum pro pudicitia, fraudatio pro fide, ſcelus pro pietate dominatur: Furor præ intelligentia, turpitudo pro honeſtate, libido præ continentia laudi ducitur: Denique pietas, ſapientia, doctrina, æquitas, iuſtitia, virtutes ſummatim arteſque liberales omnes, tetro ignorantiæ & viciorum carcere concluſæ, aut ignorantur prorſus, aut pro nihilo putantur. Vſq; adeo, vt quicquid vnq̃ & vſpiam iam inde vſq; ab initio fuit confuſionum & ſcelerum, in hanc velut imam mũdi fecẽ & omniũ vitiorum extremã voraginem ac ſentinã, vno quaſi æſtu cõfluxiſſe, ac tanq̃ in fretis videtur ſubſediſſe. Quid n. flagitiorũ & turpitudinis ad Turcicũ latrocinium, q̧ legib. & diſciplinæ omni honeſtæ, naturæ deniq; & Deo ipſi bellum ἄσπονδον indixit, adiici poteſt? quam vel maiorem vel diuturniorem Eccleſiæ vaſtationem, reipubl. oppreſſionem, gentes ſeruitutem vnq̃ ſunt ꝑpeſſæ? quæ infelici huic ſeculo maior peſtis atq; clades erit vnq̃ expectanda? Obtritæ iacent in florẽtiſſima generis humani parte perilluſtres Eccleſiæ: extincta vera de Deo doctrina: euerſa regna: Reſpubl. afflictæ: Denique

[Margin note:] ...gni Turci barbarus.

quicquid fuit Deo gratum & hominib. ſalutare: quicquid ſpecioſum, ordinatum, moratum: id omne Turcicum hoc incendium corripuit, corrupit, vaſtauit, depaſtum eſt: atque in cinere tot Eccleſiarum, in vaſtatione tot prouinciarũ, in ſepultura tot populorum vrbiumque, caſtra immaniſſimi regni, cœlo inuiſa, & orbi terrarum exitioſa, ſunt locata. Quæ cum tanta ſint, quanta non ſolum oratione proloqui, ſed etiam cogitatione complecti difficile ſit, cui dubium eſſe poteſt, quin in tali colluuie, nulla ſit aut eſſe poſſit Imperii diuinitus ordinati forma aut ratio, ſed impuri tantum ſpiritus, qui ipſis in facinoribus exultantes, extremo hoc ſuo latrocinio, eodemq; crudeliſſimo, corpora ſimul & animas præſentibus æterniſq; pœnis mactent.

PH. Nimis vera ſunt quæ dicis. Etenim cum omnes omnium gẽtium hiſtorias, populorum mores, militiam, domeſticã aut caſtrenſem diſciplinã, res geſtas atque imperia colligo & conſidero, inuenio nullam nationẽ extitiſſe, in qua plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitioſarum libidinũ, deniq; immanitatis in omni genere, quam in Turcis. Alii reges ac populi ita geſſerũt bella, vt poſtea reſpubl. legibus, morib. & religione ornarent. At Turcę nullis iuſtis de cauſis bella mouent, gerunt crudeliſſime, poſtquam vicerunt, religiones, bonos mores, & totam ciuilem diſciplinam tollũt, & deuictas nationes ad miſerrimam & fœdam ſeruitutem redigunt. Dicã paucis: Deum ignorant, nihil niſi arma cogitant, vaſtationes crepant, cædes & incẽdia ſpirãt, tantumq; veræ religionis concuſſione, iuſtorum impectorum exciſione omniſq; honeſtatis oppreſſione gaudent atq; paſcuntur.

EQ. Ab antiquo Turcarum genti conſuetudo eſt, latrociniis ac rapina vitam tolerare. Quorum occaſio ſi deeſſet, in feras graſſabatur, venationi operam dans. Nam potiorem ſemper hominum capturam duxit. Domi in omnẽ libidinum ac turpitudinum fœditatem profuſa, ad extremum ferox, efferata, crudelis, libidinoſa, infida, ac truculenta. Neq; fidem ſeruans, neq; fœdera ſancta habens, ſuæ ſuperſtitionis ad extremũ vſq; ſpiritum tenax, verę alioqui religioni hoſtis, ſacra & prophana, fas & nephas perinde ducens. Atq; hos mores quantum nulla alia gens ſuos, & diu & immutatos retinuit. Septingenteſim⁹ ac ſeptuageſim⁹ à Chriſto nato annus agebatur, cũ primũ è Scythia pertranſitis Caſpiis portis, fruſtra obnixis Auaribus, in Aſia minori malum hoc cõſedit.

Vbi

Vbi parum profectum putantes, ſi melioris cœli regionem nacti, regnum ſibi communirent, finitima primum lattociniis infeſtarunt. Deinde vt ſe occaſio dedit, aut libido ſuaſit, bellum geſſerunt. Quibus artibus, nõ ita multos intra annos, opulentiſſima Aſiæ regna ſuæ ditionis fecerunt. Quippe Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Pyſidam, vtramq; Phrygiam, Ciliciam, Cares, Lydiam, & quæ circa ſunt, ad oras vſque Ionii maris, ſubegerunt. Interim cum Saracenis conflictati, eorum etiam religionem imbiberunt. Ac nobilis illius Chriſtianorum in Saracenos expeditionis procella icti, aliquamdiu Hieroſolymitanorum regum metu, intra ſua ſe continuerunt, donec Othomanno principe, quaſi quam tot annos diſſimulaſſent, ſolito maior erupit ferocia. Nihil non ſtrenue in hunc vſque diem, ex ea familia principibus, Turcarum arma exercentibus, actum. Victi tunc Thraces, omnibus in ſeruitutẽ ciuitatibus, præter Conſtantinopolim & Peram, deiectis. Inde Macedoniam cum vniuerſam ſubiugaſſent, Græciæ inuadendæ conſilium ceperũt. Cuius, non magno admodum negotio, ſubactis Theſſalia, Phocide, Bœotia, ac vt plurimũ Attica, Myſiam inferiorem vaſtarũt, Illyricum ac Tribalos incurſionibus vexarunt, ingens Rhodiis periculum intentarunt. Quibus ſucceſſibus elati, magna Orientalis imperii potiundi ſpe Conſtantinopolim obſederunt, atq; inde rurſus Scytharum Tamerlane principe, armis pulſi, capto ac poſtq̃ multo ludibrio diuexatus eſſet, etiam occiſo eorum imperatore Baiazete, iterum ſub Mahumete tributa Myſiis imperarunt. Inde Amuratis ductu Theſſalonicã debellarunt ac diripuerunt, Epirum atq; Ætoliam ſuperarunt, Illyricum afflixerunt. Et cum Pannonias quoque tentaſſent, pugna profligati, decennales cum maiorib. noſtris inducias admiſerunt. Quas cum Eugenii pontificis hortatu noſtri violaſſent, ingens ſibi malũ, reor Chriſto perfidiam ſuorum puniente, conciliarunt, luctuoſo apud Varnam prælio, cæſis (vt ferũt) Chriſtiani ſanguinis cẽtum millibus, interque eos Vladiſlao Polonorum rege. Atq; hæc obiter, pauca è multis, quæ Turcæ geſſerunt, ad tempora vſque Mahumetis, eius qui à magnitudine rerum à ſe geſtarum, Magni cognomentum meruit, depromſi. Nam Magnus omnium ſuperiorum gloriam, bellica virtute longe ſuperauit.

TH. Hic ille eſt qui breui tempore maxima cõfecit bella. Q[illegible]

cum Aſiæ imperium confirmaſſet, Conſtantinopolim ſumma noſtra infamia, ſummo dedecore, alterum Chriſtiani orbis oculum, Imperio ademit, Peram in deditionem accepit, totam proſtrauit Græciam, vniuerſum orientis imperium concuſſit, eiuſq; & titulum & ſedem occupauit. Hic ille eſt, qui ad deditionem coacta Myſia inferiori, ſuperiorē quoque, capto ac interempto eius principe, obtinuit. Hungaros multis ac magnis affecit cladibus, totum Illyricum bello contriuit. Et ne quis Germaniam ab hoc intactam putet, ex prouinciis Germaniæ depopulatus eſt Carniolam, è Croacia prædam abegit, Carinthiæ ac Styriæ vaſtitatem intulit. Nec ſegnius Italiam aggreſſus, in Apuliā claſſe tranſmiſit, vnde magno captiuorum numero, ſimul iumentis ac pecoribus abactis, in foro Iulii Venetis occurrit. Poſt Rhodum circumſidens, obſtinatiſſime per totos tres menſes oppugnauit. Idem Peloponneſo tributa impoſuit. Mytilenen expugnauit, ac Eubœam adortus Chalcidem cepit. Hic ille eſt, q. Trapezuntum cum debellaſſet, impio ſuo Pontū adiecit. Interim in Oriente Sulthani copias cæcidit, Arabis compreſſis. Cū Perſis, Medis ac Aſſyriis ſtrenue cōflixit. Per omnia fortis ac pene inuict⁹.

Conſtantinopolis expugnatio.

EQ. Quoties expugnatæ à Turcis Conſtantinopolis mētionem fieri audio, toties ſuſpiriis, noſtrorum in propugnanda illa ac defendenda, quum & omnino debuiſſent, & facile etiā potuiſſent, deploratam ſocordiam proſequor.

PH. Imo temere ad obſeſſionem huius vrbis Turcam illexerūt. Etenim occaſio obſeſſæ Cōſtantinopolis à Turcis hæc fere fuit: Cum poſt mortem Andronici iunioris, qui auum Andronicum in monaſterium detruſerat, in principatu Byzantino Iohannes Cantacuzenus & Iohannes Palæologus ſuccederēt, iidemq; inter ſe diſſiderent, auxilia Turcarum in grauem totius Orientis perniciem vtrinque accerſiuerunt, donec ſub Iohanne VI. Emanuele I. Iohanne VII. & Iohanne VIII. Orientale imperiū Turcis factum eſt tributarium, & tandem penitus ab illis ſubiugatum. Nam cum teneret illud Cōſtantinus Palæologus A.C. 1453. ibi Mahometes ingentes Turcarum copias ad vrbem Conſtantinopolim cum duxiſſet, ad 400. hominum millia & 250. nauigia, eamq; magna vi obſediſſet, ad extremum expugnatam illā cepit. Imperatori in fuga conculcato caput præcidit: prolē omnem regiam fruſtulatim cōſcidit, vna cū quadraginta millib. hominum, vrbem-

vrbemq; totius Orientis potentiſſimã atq; ampliſſimã late ferro, flammis ac ruinis vaſtauit: in cõtumeliam vero religionis Chriſtianæ Barbaricã regni ſui ſedem ibidem cõſtituit, hodieq; ſeruat, Anno à nato Chriſto 1453. Atq; hæc ipſa tam immanis atq; impetuoſa belua, et hactenus & adhuc dum hodie, concitata furore, inflammata rabie expeditionem in nos ſubinde du..it, & ita ducit, vt apparatis ad bellũ omnib. prope adſit, ferroq; atq; incẽdiis, veluti tempeſtas q̃dam, cũcta ꝓſternat. Quas namq; clades, q̃ vaſtitatem hactenus intulerunt Chriſtianis Turcæ. Ponite ante oculos munitiſſimas vrbes vi expugnatas, nonnullas etiã exciſas; numeroſos profligatos exercitus; reges ac principes in vincula cõiectos; igne deuaſtatos agros; homines Chriſtianos pecudum in morem mactatos; alios in ſeruitutem abductos, ac maximam ſemp Chriſtianorũ in Aſia ſeruientiũ multitudinem. Conſiderate iam, quid vltimo tandem poſt tot hoſtis ſucceſſus futurum foret?

TH. Vah indignum! Profudit ſe Turca in Africam, ſubegit Ægyptum, deuicit Syriam ac Iudæam, vniuerſum Sulthani regnum imperio ſuo adiecit. Ipſum cum acie primum viciſſet, deinde etiã in poteſtatem accepiſſet, ſupplicio affecit. Res magna, res horrenda, res publica conſternatione audienda, & quodã adeo luctu deploranda. Nonꝙ hoſtis noſter tot populos, & ipſos Chriſtiano nomini infenſos ſubiugauit, aut ꝙ ille ſic erga nos affectus, opulentiſſimarũ nationum dominio potitus eſt, & balſama metit, ſed, ꝙ (ô lacrymæ, ô planctus!) ſepulchrum gens impia poſſidet eius, qui nos cœlos poſsidere facit.

Turcarum immanitas.

PH. Nimirũ ſic natus eſt, ſic altus ac educat⁹, vt occidat, vt torqueat, vt ſupplicio afficiat; ſemp humanũ ſitiens ſanguinem, ſemper cædis ac torturæ famelicus. Cæterũ quanq̃ communi omniũ Chriſtianorum tenentur odio, ꝓcipue tñ nationem Germanicam infenſe oderũt, proindeq; durior Germanorum foret conditio, ſi ꝙ Deus prohibeat, illorum compos fiat. Siquidem à Gallis aurum ſperat Turca, ſperat identidem à Dalmatis, Hungaris & Illyrico, à Germanis non ſperat. Idem magnas Italiæ opes ac ſoli fertilitatem inhiat, horridum Germaniæ cœlum refugit. Vbiuis potior illi quam hic lucrandi ſpes. Sane prædæ vbertas victoris iram lenit, qui tanto minus occidet, quanto ſpoliorum amplius conſequi licebit. Satiabunt hæc hoſtilem auaritiam, & quorum pecuniam abſtulerit, facile vitam ſinet. Germanorum quid aliud petit, quam vitam, quam ſan-

ſanguinem? Adde hoc, quod non illi minus quam terrarum orbi perſuaſum eſt, bellicoſiſſimam eſſe hanc nationem, gentem indomitam, inuincibilem. Nolit igitur ſupereſſe quos timeat. Nolit viuere, à quibus ſibi metus ſit. Nolit perniciem imperii ſui incolumem eſſe. Volet hunc erutũ periculorum ſuorum fontem. Volet hanc extirpatam calamitatum ſuarum radicem. Et vbi ſemel (quod Deus auertat) occidere in illis cœperit, nõ ceſſabit, donec vſquã ſuppetet cædi materia. Non patietur remanere malorum ſuorum ſemen. Auferet omne timoris ſui fomentum. Extinctũ volet à quo, ſi maneat, metum ſibi futurum ſentit. Quã obrem, non ſic venit ad illos vt imperet, venit, vt occidat, vt iugulet, vt interficiat, vt excarnificet, vt ex illorũ interitu voluptatem capiat, quandoquidem ex victoria fructum non ſpetat. Venit, vt eos peſſundet, ipſarũ vxores ludibrio habeat, liberos ſtrãgulet. Venit vt totum penitus Germanicum genus extinguat ac deleat. Ille inquam, qui non pueris, non ſenibus, non mulieribus, parcit. Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras. Qui ſæpium palis infantum corpora ſuffigit. Qui è prægnantium matrum vteris, nondũ natos excindit fœtus. Qui in oẽs omnis ſexus ac ætatis, nouiſſimo crudelitatis exemplo graſſatur. Atque vt manifeſtius habeatis qualis ſit, & quam nõ poſſint per naturam, ſi velint, miſereri Turcæ, domi inuicem ordiuntur cædem, frater fratrem, ac fratris aut ſororis prolem interimit, filii patres, rurſumque patres filios obtruncant. Breuiter, patrium illis eſt, ne quos ſui ſanguinis ſuperſtites habeant. Inſtitutum eſt enim Turcarum, vt cui regnare contigit, omnem in vniuerſum deleat propinquitatẽ. Vt rectiſſime ſenſerit, q. dixit, felicius apud Turcas ſeruum quã regem naſci. Igitur, cui parcet, qui ſuo nõ parcit ſanguini? aut quem ſeruatum ex hoſtibus vellet, qui ſuæ domi, ex ſuo genere ferre neminem poteſt? Denique vlli ſuſpicio eſt, mitem fore eum victorem, cui cum ingenitum eſt acerrimum aduerſus Chriſtianos odium, tum vel maxime ſtudet eos pdere, à quibus perniciem ipſe ſibi proſpicit? Adeo omnia illis à Turcis infenſa, & atrocia imminent.

TH. Tantum igitur abeſt, vt illi Diabolorum cloacæ, peſtem perniciemque noſtram exhalanti, vllum Imperii axioma debeatur, digna potius vt ſit, quæ concordi omnium nationum, quarũ in exitium anhelat, συμμαχία, primo quoque tempore obſtruatur: ab ipſis beſtiis, quas immanitate ſupe- *An regimen Turcicum poſſit dici Imperium.*

ſupetat, obtuarur: à terra, quam omni flagitiorum genere polluit, abſorbeatur: à ſalo, quod cædibus, ſanguine, libidinibus inquinauit, diluuio ingutgitetur: ab elementis & aſtris cœleſtibus, quę tantam fœditatem tamdiu deſpicere, eidemq; vitam & lumen ſufficere coacta ſunt, peſtiferis ignibus exedatur: ab ipſo deniq; Dei filio, cuius regno peſtem perniciemque afflat, tattareis tenebris, igneque & ſulphure ardentis illius in ſempiternũ ſtagni compleatut. Et quid obſecro alia iam argumenta, poſtquam huc ventum eſt, reſpicimus? Cum enim hominis ſuprema voluntas habeatur ſacroſancta: cumque filiorum inſtiturio, naturæ lege, patentum non tabulis modo, ſed cordibus etiam inſcripta, diuino & humano iure tata ſit & immutabilis: An ipſum Dei filium in regnum, quintæ ab ætate Danielis Monarchiæ, immota patris æterni ſententia inauguratum, rhtono ſuo gigantea audacia deturbabimus? An inſtiturum teſtamento Regum Regis Romani hæredem Imperii, exhæredem facete: & in eius locum tutpiſſimos ac ſceleratiſſimos latrones ſubſtituete: atque hoc tetertimo expilatæ diuinæ hæreditatis ſacrilegio, cum animos nefarios polluere, tum impias manus imbuete non dubitabimus? Cettum eſt enim Romanam eamque vltimam tetreſtrium regnorum Monarchiam, multis iam ætatibus iacere in cineres, nomen & vmbram tantum teneri. Perſuaſiſſimum ergo indubitatumque & hoc eſto, ſuccedaneum illi principatum nulli alii quam Dei viuentis filio, ex immutabili diuinitatis decreto, reque multis retro ſeculis præiudicata, ore Prophetarum pronunciata, actis diuinarum ſcripturarum annotata, deſponderi atque adiudicari poſſe. Vt crudeliſſimos omnique ſcelere coopertos eius gloriæ hoſtes ac prędatotes, contra tam adamantinas vereque inuiolabiles diuinæ maieſtatis tabulas, in huius poſſeſſionem dominatus, veto hærede excluſo, mittere, tam fuetit abſurdum, quam quod omnino abſurdiſſimum, atque re omni & tatione longiſsime alienum. Quid quod ipſa cœleſtis curiæ ſententia, veriſsimis Danielis Prophetæ monumentis petſcripta, velut definito finium regundotum iudicio, hos ſceleroſos Scytharum exercitus regnis abs omnibus diuinitus otdinatis longiſsimo interuallo diſtinguit: Nec modo Romani Impetii ſucceſſores iuſtos non deſignat: ſed eiuſdem magnam partem euerſores fore vaſtatoreſque, picturis auulſorum trium

cornuum denunciat? Ex quo perſpicuum fit, Romanæ poteſtatis, cui poſtremi rerum humanatum faſces ſunt aſſignati, nullum non modo ius, ſed ne titulum quidem vllum penes Turcicum latrocinium eſſe.

PH. Hoc omnino planum eſt ac certum, quamuis eſt ex diuina cælituſque definita conſtitutione, vt vlteriorib. documentis non ſit opus; ego tamẽ in ſupplementum addo inſuper hoc, quod etiam de iure alia huius petitionis litiſque hæreditariæ ſententia nõ fuiſſet expectanda. Qua namque tempeſtate Mahumetus II. Conſtantinopolin vi cepit, & omnibus quæ victoribus eiuſmodi colliberent, immanitatis exemplis concidit atque euertit: illo tempore prouinciæ occidentis, vna cum maieſtatis axiomate Romanæ, iam pluribus ante ſeculis inde diuiſæ, & certis legibus præſcriptiſque terminis erant deiunctæ: vtpote cum infeſto pridem barbararum incurſu gentium, afflictę, diſceſſionem ab illa fato quodam ſuo feciſſent & in regiam victorum manum, poteſtatemque veniſſent: nec à Græcis, qui ſuas ægre opes tuerentur, ſpes defenſionis vlla ſupereſſet: placuit omnium conſenſione ordinum, ipſo Bizantino Cæſare ſuffragium ferente: vt afflictæ Imperii in occidente reliquiæ, ad potentiſſimum ea memoria Francorum Regum Carolum, à rebus p̃clare geſtis cognomento Magnum, eiuſque ſucceſſores regios, cum Auguſto Rom. eminentiæ titulo, ſupremaque dignitate, in perpetuum transferrentur.

Quæ quidem prouinciarum Imperiique determinatio, non omnibus, quorum intererat, volentibus adeoque coactis muniendi ſui cauſa facta tranſactaque: ſed decurſu ſexcentorum amplius annorum (tot enim vel plures à Carolo Magno ad excidium Conſtantinopolitanum numerantur) confirmata: atquẽ ita præſcriptione immemorabilis, vt noſtri loquuntur, temporis, quæ legis ac priuilegii vim habet, roborata: deinceps in dubiam aliquam iuris diſceptationem reuocari qui poteſt? Hæc cum ita ſe habeant, hinc licet intelligere: non magis Turcas rerum Romanarum potiri, per calumniã occupati Bizantii oportere: quam ſi cæteris orbis terrarum regnis, quæ Græcorum in poteſtatem venerunt, nunquam eadem iuris ſpecie contendant inhiare.

EQ. At ex ſeparatis, vt aiunt, recte nihil infertur: & tantum intelligitur præſcriptum, quomodo iuriſconſultorum libri habent, quantum eſt poſſeſſum.

PH. Imo vero quia per vim atque

que fraudem, iniuſto bello contra Deum atque Eccleſiam moto, non in vacua venerunt: vt iure occupationis naturalis: neq; iuſta victoria rem adepti ſunt: vt iure gentium ſe tueri poſſent: ſed infinita dominandi libidine rapuerunt aliena: veriſque dominis per vim extutbatis, Imperii poſſeſſionem armara manu extorſerunt: eo perſpicuum planumque fit, eandem ob vicium armatæ vis inhærens, ne longiſſimo quidem tempore vſucapi: nec illius interdictum recuperandæ præſcriptione amitti vlla potuiſſe: & proinde has auulſas axiomatis ſummi partes, iuſtiſſimo titulo velut poſtliminio reuocari: prædatoribuſque iſtis ac peſſimæ fidei poſſeſſoribus, iure atque armis ereptas, cum verere Romanarum rerum proprietate recte poſſe conſolidari. Idquod ſæpe hactenus maxima Chriſtiani orbis manu, validiſque viribus tentatum eſt: & vexilla boni ominis à rerum gerendarum ſtudioſis, in hoſticum perducta: initia læta fortibus viris oſtenſa: documenta virtutis melioris præbita: terror hoſtibus perculſis incuſſus: non ignarus dirum ſibi, quod metuunt ac merentur, impendere infortunium: & aliquando affore tempus, cum verſis lugebit Turcia faris. Sed de pulcherrima ſpe conatuque præclariſſimo, qua neſcio fortuna depulſi miſere fuerunt Chriſtiani: De manibus arma ſtrenuorum militum: velut aqua delapſa: & opportuniſſimæ rerum gerendarum occaſiones turpiter amiſſæ ſunt. Quod vtrum humanis erroribus an occulto alicui fato ſit imputandum, diſputet ſane, qui volet. Ego ſic animum induxi meum, (quanq; de his quæ ſunt diuinæ poteſtatis, timide dubitanterque loquor) vti exiſtimem: ſi quis cum diuinis, quæ de hoc latrocinio prodita ſunt, oraculis, rerum ipſarum conſecutionem & congruentiam componat: eum facile in hanc diſceſſurum eſſe ſententiam vt pro certo probeque ſtabilito habeat: Quomodo ſine copiis opibuſque humanis, vel potius his omnibus fruſtra obnitentibus, potentia Turcica de minimis initiis, in eã quæ à Prophetis olim prædicta, nunc affecta eſt, amplitudinem ac faſtigium adoleuit: Sic eandẽ abſque manibus, vt Daniel loquitur, prætetque omnium hominum opem atque expectationem, diuina aliqua iſtam procella, opinione citius in præceps caſuram eſſe: Ac quemadmodum diſſidiis Chriſtianorum inteſtinis magis, quam ſua virtute atque indole creuit: ſic vice verſa non tam eorundem armis, quæ debilia pariter & infe-

infelicia ſunt, quam domeſticis potius diſcordiis, & colliſis mutuoque ſe conterentibus Antichriſti cornibus, ita ſenſim decerpendam eſſe: vt ad eum poſtremo, qui diuinitus prædefinitus eſt, interitum, aliquando tandem vt dilabatur, neceſſe ſit. Nam vtrumque & incrementum victoriarumque curſum, & decrementum fortunarumque decurſum: huic immaniſsimo regno diuinis oraculis denunciatum portentumque extat in ſcripturis paſſim, *Ezech. 38. Daniel. 7. 8. 11. Apoc. 6. & 20.*

E. Q. Quid ergo factu opus exiſtimatis? Æquiſſimum conſilium arbitror, aduerſus eum, qui poſtquam maximam Imperii partem ademit, nunc vitam perit, ac vniuerſæ Germaniæ excidium molitur, armis experiri, adeoque perdere eum, qui eos perditum it, qui non quomodo ipſis imperet, ſed vt mortem inferat, meditatur; qui non ipſorum opibus inhiat, ſed vitæ inſidiatur; cuius non eſt ſtudium, vt eos ſubigat, ſed vt interimat, vt trucidet; quem nulla tenet regnorum Germanicorum cupido, ſed inſatianda cædis ac ſanguinis ſitis; qui illos omnium nationum maxime extinctos vult; qui quanto quis virtute præſtantior eſt, tanto infenſius odit ac perſequitur, hoſtis hominibus, hoſtis religioni; imo vero hoſtis humanitati, hoſtis Deo.

PH. Principiis obſtandum erat, nec ferendum, vt tam late terminos diffunderet, radiceſque adeo profundas ageret, quæ euelli non ita facili negotio poſſunt.

E. Q. Magno fateor negotio euellitur annoſa arbor & quæ iam altiſſime ſuas fixit radices, euellitur tamen. Sic Turcæ quanquam latiſſime imperant; ac in omnes neceſſitates abunde inſtructum exercitum ducunt, vincibiles tamen ſunt. Et niſi me omnia fallant, non difficulter etiam, modo concorditer eatur, modo inter ſeſe haud diſceptent, quibus ſummæ rerum habenæ traditæ ſunt atque commiſſæ. Hoſtis enim vigilantiſſimus, dum Germani ciuilibus diſcordiarum fluctibus & procellis iactantur, ne otio ac ſecuritate militum corpora animique eneruentur, ſemper in armis eſt: non confœderatis ipſis, regnandi cupiditate inductus parcens. Nam dolo, perfidia, inſidiis, proditione non minus timendus, quam belli artibus, videtur.

PH. Imo vero præter dolos & fraudes, validiſsimis etiam eſt inſtructus copiis, eiq; omnia bello

lo neceſſaria ad ſuperfluitatem vſque ſuppetunt, quique milites ducit, non Aſiatica eneruatos mollitie, ſed iugi (mihi credite) induratos militia, non per immodicum.

E Q. Excutienda igitur eſt Germanis deſidia. Meminerint ſe Germanos eſſe, inuſtũq; ignaniæ dedecus, nouæ virtutis gloria vt compenſent, operæ pretium eſt, ne ſeruire Turcis quam mundo imperare malle, videantur; nec enim credibile eſt, vltro iugum, cum depellere facilè poſſint, ſibiipſis velle accerſere; id namq; ſi fieret, nihil amplius foret in Germania Germanum. Ipſorum certe maiores, vt ab antiquiſſimo repetam, omniũ virtutum opinione commendatos orbi terrarum olim Romanos, non ſuſtinuerunt. Et externum hic imperium adeo prohibere conati ſunt, vt vltima omnia experiri vellent prius, quam Romanum haberent dominum. Idque effecerunt. Minus ergo Turcas à ſpurciſſima omnis barbariei colluuione proflatam gentem, & quæ ad illos, nõ vt imperet, ſed vt occidat, venit, infenſos religioni, ac nomini Chriſtiano pluſquam credi poſſit, inimicos, ferent. Norunt illi, ac probe norunt, bellum iure & mãdato Dei aduerſus Turcam tanquam aduerſus ſæuiſſimos homines gerendum eſſe; cum ipſi Turcæ genti Chriſtianorum inferant bellum tot ſeculis, & in lege ſua Mahometica id profiteantur, ſe hoſtes eſſe omnium gentium. Itaque tanquam latrones depelli debent. Cumque hoc proprium ſit Germanis, ſemper aliquid pulchre conari, ſemper ad aliquam reſpicere laudem, aliquod velle decus parare; hic occaſio, hic materies. Robuſtiſſima eſt per Germaniam iuuentus, ingentes animi ac veræ gloriæ auidi, quam marceſcere nequaquam patientur.

De bello aduerſus Turcam.

PH. Neruus vero huiuſce ad gloriam contentionis eſt mutua qualis omnino eſt inter affines & cognatos, deinde ciues etiam & populares, dilectio, quæ niſi vigeat, facile contentio illa deferueſcit. Ac tota ſane Germania, ab antiquo, quam lata eſt, quam ampla ac populoſa, vna quædam ſemper affinitas fuit, vna cognatio. Sic compertum eſt enim indigetes eſſe Germanos, nec vllam aliquando exterarum nationum, mutandi domicilii cauſa, hinc immigraſſe. Et ſunt qui ab hoc Germaniæ nomen à Latinis inditum putent, vt Germani quaſi fratres dicantur. Quicquid eſt, vnanimi inter hiſtoricos ſenſu conuenit, ſemper hanc nationem ſibi conſtitiſſe, ac ab ſe pependiſſe, ex ſeque propagatam,

Germanorum nomen vnde.

neq; vnquam externarum gentium permixtione infectam. Quæ puritas, quæ germanitas, apud nullos, q. quidē cogniti ſunt, populos, ita conſeruata eſt, vt non aliquando res ſimul ac homines mutarentur. Cui rei documento eſſe poſſunt nationes cęterę finitimæ. In Pannonias tranſierunt Hunni, & Scythæ. In Sarmatiam Gethæ & Daci. Ex Germanis vero, vt nunc, hominū olim multitudine, terræ fœcunditatem ſuperante, migrauerunt aliqui in Gallias, & multi ac ſępe migrauerunt, alii obtinuerunt Hiſpaniarum partem. Lōgobardi Germanorum & ipſi genus, non peſſimam Italiæ portionem, pulſis qui incolebant, habitandā acceperunt. Saxones & Scoti Britanniam. Vindelici, Sueui & Norici, qui quid iuxta Atheſim ad Tridentum vſq; eſt. Tum maiorem Illyrici partem, & quæ in illis Alpibus incoli poterant. Præterea in Italiam tranſierunt Græci & Galli, rurſumque in Græciam, Galli. In ſeptentrione vero, quātum terrarum in ipſam vſq; Scythiam Germanis ac creuit, ac à Germanis incolitur hominib. Tā varie in propinquo mutantibus ſe rebus, vna hæc natio, qualis ab initio fuit, ita manſit, vt hodie vltimus quiſque ad primum aliquem referre poſſit ſuam, ſi velit, originem. Nunquam enim apud Germanos conſederunt exteri. Nunq̄ alicui' nationis huc ſe minuit ſupfluitas. Verū ne quis illis externus imperaret, ita factū, ne qua aliunde iactata gens, hic ſedes figeret, hic domicilium locaret. Adeo, vt perraro etiam externa ſibi connubia maiores ipſorum principes, quo ne illa vitiaretur Germanitas, admiſerint. Hinc adeo factum, vt cum à rerū primordio coniunctionē hanc deducerēt, ſemper ciues, ſemper populares, imo ſemper cognati, ſemper fratres, domeſticæ concordiæ præſidio, non ſolū ab exteris tuti, ſed orbi etiam terrarū formidabiles eſſent.

TH. Vos præſidiorum duntaxat humanorum, ac nullius fere diuini auxilii, in quo tamen omne momentum ſitum eſt, mentionē facitis, ad eaq; cōfugiendū cēſetis: Ego itaq; ad imploratio-nem auxilii diuini cumprimis vos reuoco, plane certus, Deum iratum non prius nobis reconciliatum iri, quam implorata ipſius ope, & ſordibus animi perpurgatis, vitæ innocētiam fuerimus amplexi. Principum igitur eſt ſumptis armis, præuia numinis diuini inuocatione, commune incendiū extinguere: populi vero piis & ſupplicibus votis petere, vt Dominus Ieſus pacem ac libertatem Reipublicæ ſuæ reddere dignetur, quo diuini nominis

nis gloria & Chriſtiana religio, exploſis Mahometis blaſphemiis per orbem propagetur vniuerſum. Quo poſito fundamento animi languidiores firmis conſolationibus, quę ex fontibus Iſraelis dimanant, leniendi. Quarum prima & præcipua eſt, quod Filius Dei, Dux populi ſui magnus, ſtat pro filiis populi ſui, & non modo animã atq; vires, ne deficiant, ſuauiſſimarum promiſſionũ alloquio recreat: verum eoſdem potenti dextra aduerſus diabolorũ agmina impiorũq; hominum molitiones atq; aggreſſus, fortiſſime fortunatiſſimeque propugnat. Altera quod in tantarum concurſu calamitatum, tremat licet orbis & Orcus, & in õtes ruant in medium maris, Eccleſiam tamen ad finem vſque incolumem perduraturam, ſecundum aſſeuerationem, editionemque diuinorum oraculorum certiſſimum eſt. *Et erit, vt omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus ſit: Quoniam in monte Sion, & in Ieruſalem erit ſaluatio, & in reliquiis, quas Dominus vocauerit.*

In hac ergo naui quæ aſpergi poteſt, mergi non poteſt, per medias haſce tempeſtates quando nauigamus: non eſt noſtrum nominiſq; Chriſtiani, animos remoſque ab hac fretorum inſania confeſtim abiicere, iactationem reformidare, rem conclamare, ſalutem deſperare. Sed certo ſtatuendum eſt fore, vt gubernante Dei filio, hiſce difficultatibus ac periculis eluctemur: defunctique malis tandem omnibus, in optatum quietis portum, lætis animis, paſſiſque velis, incolumi aliquando naui peruehamur. *Beati nam que qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Tertia demum eſt, quod hæ multo acerbiſſimę quę nunc ſunt in conſpectu, Eccleſiæ ὠδῖνες & tragœdiæ, fatali denique conuerſione, poſt circumactam in breui Antichriſtianæ Tyrannidis periodum, in Comicam Cataſtrophen deſinent, atq; exibunt: ſeruitute in libertatem, oppreſſione in victoriam, ignominia in gloriam, melioribus fatis commutata. Et hanc ipſam æternæ beatitatis protaſin excipiet lætiſſimus ille dies ἀναψύξεως καὶ ἀποκαταστάσεως πάντων: ad quem ardente fide, ſeria pœnitentia, vera inuocatione, egregia alacritate expectandum: vt omnium noſtrum animos æternus Deus Spiritu ſuo ſancto propter Filium præparet: Et interea Eccleſiam noſque ſingulos in tanta trepidatione ac periculis vndiquaque imminentibus, atque obſidentibus, diuina

uina ſua prouidentia tueatur, regat, conſoletur, protegat: ardentibus votis & indefeſſo piarum precum ſtudio, publice priuatimq; obteſtemur.

Germanorum vitia.

E Q. Recte equidem mones ac voues. At enim intra ipſa quoque Chriſtianitatis viſcera, bellorum incendia ſubinde gliſcunt atq; concitantur, quæ ſiquidem ſepoſitis priuatis affectibus affuſa aqua (non oleo) ſopirentur, in tutiori ac tolerabiliori ſtatu res Chriſtianorum foret.

PH. Forſitan Germanorum peccata ſunt huiuſmodi motuum ac bellorum incentiua, quæ non tantum ipſa ſeſe palam produnt, ſed ipſi etiam Germanorum ſcriprores, iique neoterici, quos tamen parcere ſuis coætaneis magis decorum videbatur, deſuper queruntur. Sic namque Nicodemus Friſchlinus de ſuis Germanis in quodam carmine.

Deſidia nobis, & mollis inertia cordi,
Et choreæ, & lautæ conuiuia grata popinæ.
Nobis potandi, nobis inſignis edendi
Gloria: corruptaſq; dapes variare decorum.
Atque vltra Gangen, vltra Garamantas, & Indos
Quæſitis ignauum epulis diſtendere ventrem:
Nocturno fœtere mero, fœtere diurno.
Et totis pugnare cadis: quis fortius vno
Euacuet cyathum diductis faucibus hauſtu.
Veſtis odoratæ ſtudium, maribuſq; pudendæ
Mundicia: vt Tyrio compti niteamus in oſtro:
Vt manicas habeant tunicæ, redimicula mitræ.
Carbaſeis vt nos ornent collaria cirris,
Seſquipedem prælonga, humeroſq; rigentia circum:
Vt torta aſtrictos cingant manualia carpos.
Turpia fœmineæ quondam geſtamina fronti,
Nunc maribus nobis magni ornamenta decoris.
Sin ferus Hungariam Turcus circumſonet armis:
Sarmata ſi pugnax vicinas terreat vrbes:
Hic nulli ſumus, & trepidi formidine turpi,
Armis terga damus, caciſq; abſcondimur vmbris.
Nam dudum Hungariæ oblitis, Mauorte relicto,
Ad ſolitos placet ire choros, & crura mouere
In numerum: placet ad certamina fortis Iacchi
Tendere, & alterno curas depellere ludo.

Audis Germani de Germanis teſtimonium, haud certe honorificum, quem miror publice hæc ſine tumultu peroraſſe, in eo præſertim, cum Germanos ignauiæ atque

atq; timiditatis nomine incuſat, quorum tu tamen fortitudinem, paulo ante tantopere extuliſti, neq; ipſi aliter quenquam de ſeſe ſentire facilè ferent.

E Q. Poeta is fuit, cui hominum generi, vti & pictorib. quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas; quibus propterea ſuccéſere, ſiquidem temere aliquid dixerint, cum aliter quandoque ferme non poſſint, à Germanorum grauitate eſt alienum. Interim & hoc addo: quælibet natio, imo quælibet etiam familia ſuos habet deformatores à quibus natio aliqua aut familia præter omne meritum ſæpenumero male audire cogitur, quos vſque adeo non excuſandos exiſtimo, vt etiam ſi fieri poſſet, extirpandos omnino cenſeam. Vtut tamen ſit, non difficile mihi eſt, ex ipſis quoque Gallicarum rerum ſcriptoribus Gallis, eodem, imo potiori atque euidentiori arguendi modo Gallorum identidem veſanos perſtringere mores atq; flagitia. Sic namq; Ieremias Saluianus Maſſilienſis, Gallus, ſuæ ætatis inſignis author, *de recto iudicio & prouidentia Dei, libro 5.* *In omnibus quippe Gallijs*, inquit, *ſicut diuitijs primi fuere, ſic & vitijs nuſquam improbior vita, nuſquam corruptior diſciplina, hanc pro muneribus ſacris dederunt domino retributionẽ: vt in quantum beneficijs ſuis ille ad ſe illexerat ad propitiandum, in tantum illi flagitijs ſuis laborauerint ad exacerbandum.* Audis Galli de Gallis teſtimonium.

Gallorum vitia.

PH. Tantum abeſt, vt huius autoris teſtimoniũ velim infringere vt etiam illud eo nomine ſummopere magnifaciam, quippe qui vſque adeo fidei ac narrationibus hiſtoricis derogatum nihil cupit, vt etiam propriæ non parcat genti ac nationi. Sed neque ipſis Hiſpanis, quibus tamen magis quam Gallis videtur fauere: De illis namque cum Galliarum ſcelera narraſſet, *lib. ſeptimo* ſic ait: *Quid Hiſpanias? nonne vel eadem, vel maiora forſitan vitia perdiderũt quas quidẽ caleſtis ira etiã ſi aliis quib⁹ libet barbaris tradidiſſet, digna tamẽ flagitiorum tormenta tolerarunt puritatis inimici, ſed acceſſit hoc ad manifeſtandum illis impudentia damnationem, vt VVandalis potiſſimum, id eſt, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captiuitate Deus oſtendere voluit, quantũ & odiſſet carnis libidinẽ, & diligeret caſtitatem, cum & VVandalos ob ſolam maxime pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maxime impudicitiam ſubiugaret. Quid enim? Nunquid non erant in orbe terrarum barbari fortiores, quib. Hiſpania traderentur? Multi abſque dubio, imo ni fallor omnes, ſed ideo infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, vt oſtenderet ſcilicet non vires valere, ſed cau-*

Hiſpanorum vitia.

Digitized by Google

ſam, nec nos tunc ignauiſſimorum quorundam hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari, vt verè in nos venerit dictum illud, quo ait, ſecundũ immunditias ſuas, & ſecundum iniquitates ſuas feci illis, & auerti faciem meam ab eis. Et mox ſubdit: *Quid prodeſſe nobis prærogatiua illa religioſi nominis poteſt, quod nos Catholicos eſſe dicimus, quod fideles eſſe iactamus, quod Gothos, ac VVandalos hæretici nominis comprobatione deſpicimus, cum ipſi hæretica prauitate viuamus, itaque rectiſſimè nobis dicitur illud, quod Iudæis in lege fidentibus dixit ſermo diuinus. cap. ſeptuageſimo octauo Ieremiæ. Quomodo dicitis, ſapientes ſumus & lex Domini nobiſcum eſt, nolite, inquit, confidere in verbis mendacii, dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini, quia ſi bene feceritis vias veſtras, & ſtudia veſtra, & aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, neque ſanguinem innocentem effuderitis, in loco hoc habitabo vobiſcum, in loco iſto à ſeculo vſque in ſeculum; quo vtique oſtenditur, quod ſi iſta non facimus, ſuperflua nobis Catholici nominis præſumptione plaudamus.*

Cauſa variarum in orbe mutationum.

TH. Huiuſmodi in orbe mutationum (quum volucris fortunæ rota aduerſa ſecundis ſemper alternet) plures cauſas & coniecturas iudicium humanum excogitauit. Sed qui Dei Optimi Maximi iudicium exquirere oratione & mœrore curarunt, duas potiſſimum reddunt; vnam, eamque maximam, quæ ex vitiis totius orbis ſingularumque adeo nationum proficiſcitur, alteram quæ ex conſequenti, ex ipſius Dei prouidentia orta eſt.

Vtramque Saldianus quem allegaſtis, in prædicto de Hiſpanis iudicio, expreſſit. Idemque à prima exordiens, *libro tertio*, totius vniuerſi flagitia hac oratione lugubri deplorat: *Ipſa*, inquiens, *Dei Eccleſia, quæ in omnibus debet eſſe placatrix Dei, quid aliud eſt quam exacerbatrix Dei? Aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt alius omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum? Quotum enim quemque inuenies in Eccleſia aut non ebrioſum, aut non belluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam, & quod his omnibus peius eſt, præter hæc cuncta, ſine fine.*

Interrogo enim Chriſtianorum omnium conſcientiam, ex his vel flagitiis, vel ſceleribus quæ nunc diximus, quotus quiſque hominum non aliquid eſt eorum? Aut quotus quiſque non totum? Facilius enim inuenies, qui totum ſit, quam qui nihil. Et cum longo ſermone de vniuerſo orbe loquatur, de Romanis,

lib. 5. agēs eos ita oppreſſores pauperum depingit, vt optabiles viduis & egenis barbari viderentur vti pientiores quam ipſi Romani, ſic enim ſcribit: *Interea vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur in tantum, vt multi eorum, & non obſcuris natalibus orti, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutione moriantur, quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, qui apud Romanos barbaram immanitatem ferre non poſſunt.*

Congruit hoc cum illa Diui Hieronymi ſententia, *Epiſtola tertia*, cuius hæc ſunt verba: *Noſtris peccatis barbari fortes ſunt; noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus, & quaſi hæc non ſufficerent, plus pene bella ciuilia, quam hoſtis mucro conſumpſit. Miſeri Iſraelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonoſor ſeruus Dei dicitur.*

PH. Non cauſas tantum & rationes variarum in orbe mutationum, quod recte Dominus Theologus in medium protulit, iudicium humanum excogitauit, ſed vias etiam & rationes, quarum ductu præcaueri atque inhiberi turbationum ac mutationum procellæ poſſint, ingenium humanum ſolet proponere, quæ tametſi pro humanæ ſcientiæ ac ſagacitatis incertitudine, ſæpenumero fallant, habent tamen ad penſitandum profundius atque conſultandum negotium, plerunque haud minimum momentum.

Cumque paulo ante ſermo à nobis habitus fuerit de ſimultate, quæ diu reſpectiue inter Hiſpanum & Gallum viguit, non alienum à noſtro ſermone me factutum arbitror, ſi iudicium magni illius Iuſti Lipſii, quod cuidam intimo ſuo, ſuper quæſtione; Bellumne an pax, an potius induciæ expediant regi Hiſpaniarum cum Gallo, Anglo, & Batauis, communicauit; quod quidem etſi ſuperiorem illorum controuerſiam vix minimum attingat, multoque minus diffiniat, quia tamen ſolidioris eſt doctrinæ acriſque iudicii floſculis refertum, paucique illud viderunt audiueruntue, en ego ex ſchedula vobis recitabo; vos interim attendite. Sic vero ſonant conſilii Lipſiani verba: Deliberatur, (inquit Lipſius,) *Bellum an pax cum hoſte placeat*; & dicam diſtincte ſententiam meam. Hoſtis nobis triplex, vt nunc eſt ſtatus rerum; *Gallus*, *Angla*, *Batauus.* Duo illi externi, hic tertius internus, & rebellis potius, quam hoſtis.

Bellum an pax, an induciæ expediant Hiſpano cum Gallo, Anglo & Batauis.

Si igitur de prioribus quæritur, à regis hoc conſiliis totum & opibus pendet, *bellum an pacem cum iis velit*; & vtrum pro re conducat. Si metus ab illo barbaro & com-

communi hoſte Auſtriacis non eſſet, ego putarem regem tractu omnes iſtos poſſe frangere, ſi tantum bellum ex *fide & diſciplina* aliqua geratur. Fidem dico in pecuniarum adminiſtratione & munerum; vt illa non diſſipetur, vt hæ idoneis & dignis dentur: nam de fide in ipſum regem, vix puto ambigendum, aut quærendum.

Addidi *diſciplinam*, quoniam reuera ſine ea (fiant & dicantur omnia) bellum nullum feliciter ſatis & fortiter geretur. O militem bonum ad manum, & minores duces! Sed opus eſt iſto legum & ſeueritatis quodam vinculo, quod conſtringat, & vires, & viros iſtos vtiles Reipublicæ reddat; diffluunt alioquin per laſciuiam, per libidinem, per ferociam: nec aliud in iſta militari turba, quam rapinæ aut ſeditiones. Tu & prudentes, noſtis, me vera dicere, & fons malorum noſtrorum eſt iſte. Si hoſtis progreſſus fuerit, à regreſſu noſtro eſt; atque is vitia noſtra virtutem ſuam interpretatur, & ſuperbe ac ſtolide in iis ſe iactat. Sed vt diffundar, & collectè ſententiam peragam, quoniã bellum grande ac metuendum Europæ inſtare à Chriſtiani nominis hoſte videtur, Rex & Conſilium eius vidento, *an non melius, cum externis illis hoſtibus, aut certe alterutro eorum, paciſci?* Si cum vtroque, Batavi ponent animos, & aut ſponte, aut vi venient ſub leges: Si cum altero, etiam idem fiet. Volo dictum cum altera, id eſt, *Angla.* Illa in manu oppida duo Zelandiæ & Hollandiæ habet, aditus haud dubie & clauſtra maris & terræ. Non nimis à pace abhorrere eam, ego arbitror; quia mulier eſt; quia ærarium iam tenue; (non eæ opes quæ putantur) quia populo inuito bellum eſt, qui commercia & libertatem mallet. Quod perſeuerat; magis à metu, quam ab odio eſt. *Et audi verum verbum*: Magnitudo noſtri regis, virtus aut fortuna Hiſpaniarum intra ſexaginta annos formidabilis facta eſt finitimis, & longinquis. Metum hunc adimere, ambitionem non præferre è re ſit in primis: & *facta ſanè, non verba, impetum augent.* De *Gallo* pariter ſentio, id eſt, eum occulte & tacite omnino velle pacem. Nouellum eius regnum, ſtatus vacillans, diſſidium aut ſuſpicio inter viros Principes, ea omnia quietem ſuadent. Et addo, *viſcera ipſa*, vt ſic dicam, *ærarij euulſa.* Niſi exteri palam & occulte ſuſtentent, ac focillent, iam defeciſſet. Sed cum iſto an Rex noſter pacem velit, haud equidem ſcio: penetrare in conſilia illa intima nolo: poteſt tamen

inducias ſalua omni ſpe ſua & deſtinatione. Quid enim ibi in longum firmi? ne ſucceſſor quidem ſatis certus quorundam iudiciis, & in corpore illo ſemel moto, vereor, vt alii aliiq; morbi, niſi magna quidem regis aut felicitas, aut prudentia euincat. Sed definiendo, cum *Angla* pax opportuniſſime fiat: *Gallus* ſeponatur, qui, niſi laceſſitus, non laceſſet. *Batavi* in manus veniant, de quibus proptie puto te rogare. Quid ergo? cum iis bellum hactenus infelix, nec nunc felicius ſperandum, niſi in tota facie rei aliquid mutetur. Loca valida omnia habent, loca ſibi opportuna, militem exercitatum & ſatis bonum, victoriis animoſum, ordinem aliquem in ærario & tota gubernatione, quamdiu bellum & metus eſt, haud facile ſoluendum: vt iſta remittãtur, & amittantur, pax aliqua ſit & quies, quæ nunq̃ in talibus bellis inita ſine bono aperto regis. Maieſtàs illa nominis & occultum in animis vinculum illos trahit aut potius retrahit, qui male abierunt: & quidam gaudent datum honeſtum ſic regreſſum. Centeni aliquot homines aut milleni ad religionem & regem vltro redibunt, ſi occaſio redeundi ſuggeratur: hæc præſidia hoſtibus detrahimus; & amplius, in plebeia aut plurium illa gubernatione, occaſiones inter ipſos diſſidiis damus. Mihi crede, habent odia, factiones, & ſua vulnera; ſed occuluntur ea omnia impendente magno illo metu, qui æqualiter tangit omnes. Remitte paululum, ad ingenia & vitia ſua redibunt; vt boues inſtante lupo coeunt, capita & cornua iungunt; abeunte, quiſq; ſibi paſcit. Sic Bataui noſtri, quos ambitio fortaſſe valde non tangit, magis auaritia & amor quæſtus. Vbi hoc poſtremum: an non regibus ſemper occaſio ad ſe trahendi? aureo iſto hamo piſcandi? Intelligunt peritiores. Sed vt fiat vtiliter, quiete aliqua opus eſt, & occaſiones ea dabit. In iſta, inq̃, fere omnes conſentimus. Sed alii diuturnam eam volunt, id eſt, pacem: alii temporaneam, id eſt, inducias. Tu vtram? audi. Pacem ex animo velim, & ponam ante omnia humana bona: religioni & regi pulcherrima ſit, patriæ neceſſaria, bonis & mediocriter bonis optatiſſima. *Sed quid eſt?* velim & optem, vereor, quod non fiet. Ego bonam honeſtamque pacem hac ſcena rerum fieri poſſe, in animum non induco. *Cauſa*: Aut inclinatio hoſtium, aut à nobis metus eo ducat. *Neutrum eſt.* Et vide, an inclinatio: minime. Sunt in florenti ſua publice & priuatim, qui gubernant, Craſſi oẽs ſunt & parui Crœſi. Vis eos optimam fortunam cum dubia commutare?

mutare? At metuunt fortaſſe. Vtinam noſtra ſic eſſent. Debebant profectò, à potentiſſimo rege, à legitimo ſuo rege, vt id quoque addam, ſicut olim à dominis ſuis fugitiui. Sed reuerentia, vetuſtate & pertinacia rebellionis, iam excuſſa, & metu, ignauia (liceat libere hoc dicere) *aut praui tate noſtra* (*quis ordo? quis miles? qua conſilia?*) cur metuant? niſi occulta quædam ſint, & tegantur, quæ me fugiunt. Omnia ſunt talia, quæ ad perſeuerandum eos hortentur, non reſipiſcendum. Addo fœdera cum vicinis, cum quibuſdã etiam Germanis clam aut palam icta, nauigationes nouas ſperatas, imo tentatas: quæ etſi inuida omnia & vana quædam ſunt, tamen plebeios illos animos inflant, & auram inſpirare modeſtiæ non patiuntur & bonæ mentis. Ergo de pace vix eſt, vt ſperem, niſi tali, quæ diſiungat à rege, quæ licentiores & illos & nos faciat, quo ſcio quoſdam ſpectare. De religione conſulto omitto, & Theologis permitto; etſi rationem eius inter prima habendam ſapientes oẽs ſciunt. Magis itaq; ad inducias inclinẽ: Primũ, quia hoſtis facilius audiet; nec multæ hic tricæ in conditionibus ac pactis, res manent vtrimq; immunutæ. Deinde, qa authoritate Principũ Germaniæ tale aliquid honeſtiſſime impetretur, & ſine ignominia regis. Tertio, qa leges nullæ duræ nobis imponuntur, quas ægre aut turpiter poſtea ſoluamus. Quarto, quia cõmoda ſimilia q̃ ex pace ſequũtur, nempe cõmunicatio inter nos & cõiunctio, partiũ reditio ſub diplomate regio & fide, remiſſio hoſtium, & omnia minus intenta. Deniq; fatum, & Deus, & euentus aliquis pro rege. Vis exemplũ illuſtre in hanc rẽ, & cõſimile? Sexti Pompeii bella Sicula cum Octauiano Cæſare legiſti? Siciliam & Sardiniam habebat, locis ſe tenebat, & tuebatur, famemq; & inopiã Italiæ importabat. Vinci nunq̃ potuit niſi breui pace. Ea pacta cũ illo eſt, exules recepti, & vires abductæ, corruptus occulte ei⁹ miles. Quid dicam? Terribilis ille & paulo ante Neptunus, vix vna naui effugit, ceruices gladio præbuit, & intra annũ extinctum totum bellũ. Vetus hoc eſt; fiet nouum, ſi eadem adhibentur, & in primis ſi conſilio & intentione rẽ adminiſtramus. Actibus conſiliis op⁹ eſt, iisq; fidis, occultis. Quod ſi non aliud etiã in his inducus, q̃ reſpiratio aliqua & quies; pro re noſtra multũ ſit, & egemus. Rempublicam aut diſciplinã militarẽ emendare ſi volumus (debemus, ſi regere regem volumus) nõ fiet apte aut cito per arma. Licentia nimis inualuit, corruptio, & mala,

la, quæ optimis potentiſſimisque rebus & regibus ſunt perdendis. Huc vt noſtri eant, ex animo voueo; quæ fulcra & fundamenta ſunt omnis ſtatus. Habes vno calore & tenore ſcripta, q̃ mihi ſunt viſa, quæ premes aut communicabis, quædam aut omnia, vt tibi erit viſum. Epiſtola n. tua eſt: vtere ſed nõ abutere; etſi pro amicitia hoc quoq; potes. Nõ enim niſi verba ſunt: Si aliqua incauta, excuſet amor in patriã & libertas, q̃ cõſulenti ſemp data eſt. Louanii, III. Nonas Ianuarii. cIↄ. Iↄ. xcv. Hucuſq; cõſiliũ Lipſii politicũ.

E Q. Politum ſane, ſed num ẽt politicũ, i. e. ex omnimodo reip. vſu ſiet, ambigo, aliiſq; decernendum relinquo. Vtut vero ſit, certum eſt, illud non omni ex parte cõprobari, Gallis præſertim, qui non impotentiæ duntaxat, ſed & timiditatis cuiuſdã ac diffidentię virũ in iſthoc conſilio haud obſcure arguuntur, quorũ tñ ea eſt alacritudo & ptinacia, vt vel ſiniſtrum exedere brachiũ, dextraq; interim ferire ad internecionem vſq;, q̃ ſeſe hoſti dedere, paratos ſeſe eſſe, ab antiquo glorientur; q adeo verum eſt, vt nec de nudo regum Galliæ titulo eiuſq; eminentia hactenus vel pilum ceſſerint. Atq; idem ſentire, nec aliqd de animorum ferocia remiſiſſe, Anglos & Bataos, arbitror.

PH. Si de nudo duntaxat titulo eſſet digladiatio, friuolum id eſſet & temerarium, atq; à tantorum procerum dignitate alienũ; at vero cum conſtet, longe aliud ipſamq; adeo maieſtatem regiã, principumq; atq; aliorum procerum dignitatem illis propemodũ ſubeſſe, proinde non eſt, vt de re quapiam friuola, adeoq; de lana, quod aiũt, caprina, hac vice certamen eſſe quis exiſtimet.

De dignitatum tituli

TH. Debent omnino tituli ac nomina in honore atq; exiſtimatione haberi. Melius eſt enim, inquit Salomon, bonum nomen, q̃ diuitiæ multæ. Atq; hinc fere eſt, quod Eſaias cap. 62. *Et videbunt*, inquit *gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, non vocaberis vltra derelicta; & terra tua nõ vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra mea inhabitabitur, quia cõplacuit Domino in te.* Atq; hanc opinor Eſaiæ autoritatem ſecuti ſuperioris ſeculi autores diuerſis diuerſa dignitatum tribuerunt nomina.

PH. In imponẽdis iuxta ꝓprietatẽ & indicationẽ nominib. maxima ſemper fuit habita ratio, vt Iſaac riſũ ſignificat, Raphael medicinã Dei, idq; oſtendit cura in tribuẽdo nomine Ioan. Bapt. vt plures locos coniungit Euſebius Pamphi-

Digitized by Google

Pamphilus *li. 11. de p̄paratione Euāgelica*, & patet *1. Reg. 25.* vbi Abigail prudens, cū nomini reſpōdeant facta, ea excuſatione maritum Nabal apud Dauidem ei iratum liberauit, quia Nabal nomine Hebtæo ignotans & ſtupidus dicitur, & ita ſtultitiæ parceret.

TH. Imperatores Romani Auguſti titulo poſt coronam adeptam antiquitus ornabātur, dictus enim Auguſtus à populo, quaſi eſſet natura hominis acceptior & venerabilior. Et ante coronam Imperii ſuſceptam Cæſares appellantur à Iulio Cæſare, primo Romanorū Imperatore, q duo tituli hodierno etiā adhuc tempore ab Impetatoribus Romanis vſutpantur.

Differentia inter Cæſarem & Auguſtum.

PH. Differentiam inter Cæſarem & Auguſtum erudite tractat Henricus Bebelius in Epiſtola quadam ad Ambroſium Salicetum, Imperialis conſiſtorii aſſeſſorem, quam his vetbis diffinit. Id (inquit) à me quæritur, q d diſcriminis habeatur inter Auguſtum & Cæſarem apud quoſdā hiſtoricos, panegyriſtas, atque ipſum etiam Iuſtinianum in ſuo codice. Ego quemadmodum ea de re nihil apud quenq̄ legi, vt voluntati veſtræ obedirem, quæſiui à quodam iuriſconſulto quid ipſe ſentiret, is reſpondebat: In C. Iuſtiniani c. non Cæſarem, ſed conſulem ſignificate. Cui ego omnino refragabar, quoniam cōpertum habeo neminem eſſe in C. Iuſtiniani inſertum, qui non fuerit Cæſar, nec quenquam ſe conſulem ſcripſiſſe à Cęſare Iulio abſolute, vt ita loquar, niſi enumerando ſuas res geſtas magiſtratuſque vniuerſos propterea quod nudum nomen ſine imperio conſuli relinquebatur poſt monarchiam Cæſarum, qui dum & cui libuit conſulatum dederūt & ademerunt, ad quem etiam aliquando ſuos libertos & conſores euexerunt. Ego igitur quod ſentio, & quod ex lectione hiſtoriatum capere poſſum, ſine riuali atq; auctore promam. Illi meo iudicio fuerunt & ſunt habiti Cęſares & Auguſti, qui S. P. Q. Ro. conſenſu & ſuffragio, vel interdū ab exercitu ſunt electi in Imperatores, Cæſares quidem à Iulio Cæſare primo imperii occupatore, quaſi adoptati in eam familiam quæ imperare conſueſſet, rerumque potitetur. Auguſti vero ab Octauiano Auguſto, q conſenſu populi factus eſt Imperator. Vnde etiam maius, amplius ſanctiuſque nomen à ſenatu accepit. Auguſtus enim locus, vt Pompeius teſtatur, ſanctus eſt dictus, ab auium geſtu vel guſtu. Et Suetonius teſtatur loca quoq; religioſa & in quibus augurato quid cōſecratur, auguſta dici ab auctu, vel auium geſtu, guſtuve.

Inde

Inde Octauiauus nouo vocabulo dictus, quod quaſi diuinitus ſit ad hunc honorē euectus, omnis autem Auguſtus etiam Cæſar erat, ſed non econtrario. Ille autem Cæſar tantum fuit, qui ex fauore & amicitia Cæſaris Auguſti, aut rebus optime geſtis ab Auguſto aut aliquando ab exercitu obtinuit, vt in Cæſaris familiam & in conſortem imperii eſſet aſcitus, & imperii futurus ſucceſſor, & tum demum per mortem Auguſti vel per conſenſum populi in Imperatorem eligendus. Ælius autem Verus primus, vt dicit Spartianus, Cæſaris tantum nomen accepit. Fuit autem hæc differentia Auguſti & Cæſaris non diſſimilis illi, quæ apud nos hodie eſt inter Imperatorem viuum, & Romanum regem electum, niſi quod rex Romanus iam eſt rite electus. Cæſarem autem non niſi conſenſus populi demum firmabat, vt mortuo Auguſto illius nomen & imperium vniuerſum ſuſciperet. Sed quare hæc ita ſint, eſt præter rationem ex mero populi placito, qui nomina magiſtratuum, ſicut aliarum rerum ſæpe mutauit, ex libito & quodam tacito conſenſu. Hactenus Bebelius.

E Q. Stylus etiam alioqui Imperatorum eſt, variis nominibus ſubactarum gentium decorari, vt patet ex procœmio Inſtit. Iuſtiniani. Cui conuenit, quod Ouidius *lib. 1. Faſt.* canit:

Si petat, à victis tot ſumet nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.

PH. Tituli indices ſunt aliquando dignitatis vel gradus, vt cū ſcribitur: Perro Comiti, Duci, Doctori, Canonico, ibi dignitas indicatur; aliquando qualitas ſcribitur vt: Illuſtriſſimo, Excellentiſſimo, quarum qualitatum titulos lege comprehendit Iuſtinianus, *Authen. de mandatis princip. §. titulos. l. 1. C. vbi Senatores vel clariſſimi, l. 1. C. vt nemo priuatus, nouella 75. cap. 1.* & cohibuit exceſſum Philippus *II.* rex Hiſpaniæ, in titulis pragmaticâ factionem condens, ornatam poſtea à Philippo *III.*

TH. Prudenter id ſane, debetque vtrobique attendi ſedulo, vt & tituli & nomina rebus conueniant, quod num vſquequaque fiat, penes alios iudicium eſto.

PH. Ego in hoc negotio nolo eſſe arbiter, vtrobiuis namq; inclinet quiſpiam, è Charybdi in Scyllam incidet. Atque vt in ſpecie & exempli gratia dicam. Regis Catholici appellatione demonſtratur rex Hiſpaniarum; Chriſtianiſſimi vero titulo, rex Galliarum. Hic quidem de nudis titulorum nominibus nullum, at

Regis Hiſpaniarum & Galliæ tituli.

Zz de

Digitized by Google

de alterutrius prærogatiua, certamen eſt maximum. Ac Galli quidem in hac perſtant ſententia, quod titulus Chriſtianiſſimi conceſſus Galliarũ regibus, excedit omnes alios, vt ſol ſtellas, proinde Galliæ rex regi Hiſpaniæ in ſede debeat anteferri, vt Iohannes Ferrault *de iuribus & priuilegiis regum Franciæ*, Carolus Graſalius *lib. 1 regalium Franciæ, iure 1.* & alii colligũt. Hiſpani ex aduerſo, Catholici nomen, Hiſpaniæ Regi inditum excellere, ſimulq; quod nullus titulus ſit conceſſus regibus Galliarũ, qui non ſit tributus regibus Hiſpanis, plenis faucibus buccinant. Verbi gratia: Nicolaus Pontifex in Epiſtola Hincmario Archiepiſcopo Rhemenſi miſſa, quæ refertur in Decreti Gratiani *cap. excellentiſſimus, 11. quæſt. 3.* Carolum regem Franciæ *excellentiſſimum* vocat. Atqui Gregorius I. ſummus Pontifex ſcribens Recharedo regi Hiſpaniarũ ex Gethis, *Epiſt. 126. lib. 17.* identidẽ excellentiſſimũ eum vocat, his verbis: *Glorioſiſſimo atq; excellentiſſimo Recharedo Gothorum regi atq; Sueuorum, Gregorius Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei.* Eiuſdem tenoris eſt, quod Ioannes Pontifex ſcribens Salamonio tertio regi Britonum *in Epiſtola relata in decreto Gratiani cap. hac quippe 3. quæſt. 6.* Carolum regem Franciæ *glorioſum* vocat. Nam eodem titulo vſus eſt Ioannes VIII. Pontifex ſcribens Alphõſo III. cognominato magno regi Caſtellæ, glorioſum illũ vocans, vt referunt Epiſtolam Sampirus Epiſcopus Aſtoricẽſis antiquiſſimus auctor, & Rodericus Toletanus *lib. 8. ca. 18.* & paulo ante retuli Gregorium Recharedo reſcripſiſſe, glorioſiſſimum eum vocans. Vocantur inſuper reges Galliæ *illuſtres*, vt patet ex Epiſtolis Innocentii III. miſſis Philippo regi Francorum & diuo Ludouico eius filio, *cap. nouit, de iudiciis.* Atq; & hic titulus frequens eſt regibus Hiſpaniæ, nã Innocentius III. *in cap. quanto, de iureiur.* regem Aragoniæ illuſtrem vocat, & ita etiam appellatur rex Luſitaniæ *cap. ex ſpeciali, de Iudæis.* Cumq; titulus *Chriſtianiſſimi*, regibus Hiſpaniç eſſet aſſiduus & familiaris, hinc adeo factum dicunt, vt maiorem & ampliorem titulum, *Catholici* nimirum affectarint, eoq; nunc gaudeant atq; emineant.

E Q. Certe cum titulus *Chriſtianiſſimi*, ipſis etiam Imperatoribus genuinus ſit & imperio naturalis; vnde etiam ſingulis annis in Eccleſia, feria ſexta in Paraſceue oratio dicitur: *Oremus & pro Chriſtianiſſimo Imperatore noſtro*, vt aduertit Reſtaurus Caſtaldus de Imperatore, *quæſt. 2.* circa finem; proinde haud abs re quis dubitare poſſit, vter titulus potior ſit, imo Chriſtianiſſimum Catho-

lico haud leuibus argumẽtis præferendum decerni poſſet.

TH. Non Chriſtianiſſimi ſolũ, ſed & orthodoxi titulus Imperatoribus olim vt & modernis temporibus aſſignatus fuit. Conſtat id ex Papyrio Mauſonio lib. 2. de geſtis Francorum, & ex actis conciliorum, tomo 2. vbi habetur, titulum iſthunc *orthodoxi*, in Concilio Arelatenſi, Carolo Magno, & Aquiſgranenſi, Ludouico attributum fuiſſe. Sed & in fine cõcilii Tridentini Ferdinandus Imperator hoc appellatur nomine.

PH. Titulus etiam *Religioſiſſimi*, Imperatoribus quibuſdam aſſignatus fuit, iis præſertim, qui in defenſione fidei Chriſtianæ fuerunt inſignes. Ac titulum hunc aſſignauit Concilium Chalcedonenſe Imperatori Leoni, & Gregorius ſecundus Conſtantino, & Synodus Epheſina Theodoſio & Valentiniano, vt 1. & 2. tomo Conciliorum legitur; & decreto Gratiani, *cap. nos ad fidem, 96. diſtinct.* is titulus Marriano Imperatori fuit tributus, eoque itidem in Suenonenſi Concilio prouinciali Galliarum vocatus fuit Carolus filius Ludouici Imperatoris. Sed & idem titulus regibus Hiſpaniarum frequens eſt & familiaris, vt *ex 2. & 3. conciliorum tomo* videre eſt.

TH. Tituli *piiſſimi, fideliſſimi & amantiſſimi*, qui Imperatoribus (atque inter hos Valentiniano in concilio Epheſino) in vniuerſalibus conciliis tribuuntur, mihi omnium maxime arridẽt, quippe q̃ de plano & ſimplici ipſum pietatis, fidei atque amoris fontem atque autorem ſapiunt ac redolent. Cæteri namq; iiq; pompoſi maxime tituli non ſemper euentibus reſpondẽt, vſq; adeo, vt vel leuis febricula regẽ principemve alioqui titulotenus inuictiſſimũ leui negotio proſternere, quodq; communi hominum conditioni ſubiaceat, ipſum poſſit edocere. Omnino iuxta illud Eccleſiaſt. 10. *Sicut & Rex hodie eſt, & cras morietur: nemo enim ex regib aliud habuit.*

P H. Exiſtimo ego, honorum atq; dignitatum titulos, vti etiam inſignia, viris bene meritis contigiſſe non ſolum quod tales fuerint, ſed vt eorundem commonefactione & ipſi & alii ad res præclare gerendas magis ac magis excitentur; hinc Antiſthenes teſte Laertio *lib. 5. cap. 1.* iis qui appeterent immortalitatem, vnicã viã oſtendit, vt iuſte pieq; viuerẽt, & Bion, teſte eodem Laertio, *lib. 5. c. 7.* gloriam dicebat eſſe matrẽ annorum, ob id, quod cum hominis vita ſit breuis, honeſta memoria per multa ſecula propagetur. Habetque hoc optimum, inquit Seneca *epiſt. 37* generoſus animus, quod concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii

Digitized by Google

virum humilia delectant & ſordida. Felix, qui ad meliora impetũ animi dedit: ponet ſe extra conditionem fortunæ: proſpera tentabit, aduerſa comminuet & aliis admiranda deſpiciet.

TH. Virtus vno, ſeu potius nullo titulo contenta ipſa ſibi eſt titulus. Nam vt inquit Franc. Petrarcha, ſi multis iiſque veris titulis quiſpiã abundet, grauis iſthæc eſt ſarcina, ſin falſis, fœda & pudenda; quid ergo opus eſt, inquit, titulis, quibus aut labor inſit, aut dedecus.

Inſignia familiarum.

PH. Rationes titulorum, qui hominibus pro ratione meritorum tribuuntur, dixi, quibus vti ſpero, acquieſces. Cæterum eędẽ propemodum inſignium quoq; quæ titulis ac nominibus ſolent præferri, fuerunt rationes, quorum quædam à proceribus viriſq; magnis, penes quos eſt, intuitu meritorum conferuntur, quædam vero pro arbitrio ſeliguntur atq; vſurpantur.

E Q. Nobilitatis acquiſitæ & exterioris pars eſt: Inſignia armorum, quæ ſchemata aut ſtemmata dicuntur, vt familias à familiis ſepararent, & antiquas ac longas agnationum nobilitates præ ſe ferrent, quæ inſignia aliqui à *Iulio* Cæſare aquilã in clypeo portante, initium ſumpſiſſe exiſtimant, cum Romani ſtatuis & imaginibus ſolum vterentur, ſtatuas triumphantibus erigendo, vt maneant ad memoriam geſtorum omni æuo, & poſtea inſignibus hieroglyphicis vſi ſunt ad magnitudinem geſtorum memoria conſeruandam ſibi & poſteris, qui eis inſignibus & armis vterentur. Et cum eſſent tria iura apud antiquos, agnationis, gentilitatis & ſtirpis, Gentiles erant, qui inter ſe eodem nomine familiæ vſi ſunt, & imagines & inſignia generis ſui proferre poterant, vt Bruti, Caſſii, Claudii; quod Budæus annotat *l. 2. §. initium, ff. de orig. iur.*

PH. Imo vero conſtat ex vetuſtioribus, multo ante *I*uliũ Cæſarem inſignia armorum in vſu fuiſſe, poſt Troianum ſaltem excidium, & retro, idq; ex pluribus Virgilii locis & aliorum optimorum autorum teſtimoniis patet. Hinc etiam Homerus clypei Achillis meminit, in eoque non bruta illa horrenda animalia, ſed cœlum, aſtra, maria terraſque & quæ in illis accidunt, hoc eſt, cœleſtium & terreſtrium contemplationes principem decere, pictura expreſſit.

E Q. De cauſis atque origine inſignium varii varia ſcripſerũt. Et quia iam Aquilæ, quam pro inſigni Iulius Cæſar geſſit, mentionem facis, aquilæ Imperii Romani bicipitis hodiernæ mihi originem exponas rogo.

PH. Iden-

Aquila imperii Romani biceps unde.

PH. Identidem authores variant, fides ergo ſit penes illos. Iacobus Curio: Pacarat, inquit, Occidentis fines Carolus, & cum Nicephoro Imperatore Græco ſocietatem ita iniuit: vt Orientem ille, Carolini vero Occidentem bicipitis aquilæ auſpiciis gubernarent. Inde bicipitis aquilæ initium. Sic quidem IacobusCurio. Sed Ioannes Bocatius aliter de aquilæ bicipitis origine ex Suetonio recenſet: Germani, inquit, Quintilium Varum cum Legionibus Romanis tribus apud Bructeros (qui ſunt Friſiis conrermini) deleuere. Ob quam cladem Auguſtus conſternatus, barbam continuos aliquot menſes nutriuit. Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim legiones obtruncatæ, ſigna & aquilæ duæ à Germanis captæ, quas adhuc hodie poſſident. Non enim biceps eſt aquila, vt imperitum vulgus credit, ſeu duę ſimul, quarum altera alteram expanſis alis obtegit. Tertiam ſignifer legionis tertiæ abſtulit, paludeque demerſit, ne in hoſtium manus veniret; alioqui tres haberent aquilas in inſignibus Imperii. Nec vnquam hæ redditæ ſunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, ſed ſemper in hunc vſq; diem ſeruatæ, licet Tacitus ſcribat, Germanicum cum in Teutoburgienſi ſaltu reliquias Varianæ cladis inſpicere concupiſceret, L. Stertinium apud Bructeros vndeuiceſimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam repeperiſſe.

TH. Extat liber de fatis Monarchiæ Romanæ, ex demõſtratione Theologica, Hiſtorica & Mathematica, deſumpta ex Propheta Eſdra, qui aquilam vidit tricipitem, & in alis habentem inſigniores pennas duodecim, & octo ſubalares illis contrarias. Leo autem inuadit aquilam, & ſeueriſſime carpit; quæ omnia explicat Theodorus Bibliander, & dextrum caput imperium Cõſtãtinopolitanum, ſiniſtrum Papatum Romanum, tertium & primarium Mahumeticum regnum demonſtrare ait. Semper enim in Theologia arcano myſterio aquila Romanæ Monarchiæ fata portendit atq; denunciat, vt etiam Hetruſcæ diſciplinæ periti, quos Hebræi Cabaliſtas vocant, ſentiunt.

Inſignia regni Francici.

E Q. De Gallorum etiam Inſignibus varia referunt authores. Wolfgangus Lazius in vaticiniis: Cum Merouens, inquit, in tanta barbarorum commotione de ſua poſteritate eſſet ſollicitus: omi noſa viſio ei obuiam facta eſt. Is enim numen triceps ſibi aſtare conſpexit, & vniuſcuiuſque capitis ſingulare audiuit vaticinium: diſcretumque vidit diadem.

vnicuique ſupereminere impoſitum. Primum caput erat Bufonis, ſecundum Leonis, & tertium Aquilæ in forma quaſi expanſis alis deſuper ſtantis, & dextra Leonem, ſiniſtra vero Bufonē fouentis. Dixitque Aquila: tua progenies caput meum ſibi ſubiiciet: Leonem ſimul cōculcabit, & Bufonem occidet. Non me, quod fœda appareo, rex aſpernandam ducas. Eſt ſpecies rebus conuenientis, & forma futuris. Me primum extinguet generatio tua procul: poſt hæc Leonem ſeruabit enſe captum: cuius ore, quod amplius reſtat, audire curato. Leoninum poſtea caput dixit: hoſpes in mea fortiſſime rex, cum gente tua venture, cito Bufonem vinces, labore cum & tempore multo. Tunc mea tibi cedēt iura paſſim vltro bellis, ac aſtu. Poſtea me dextrum coronabit Aquila monſtrum, habens à ſiniſtris ſemine victum. Quod vero poſtea futurum erit, noſtra tibi coniunctio monſtrat.

His à Leonino phantaſmate relatis, tria in vnum cito capita ſunt conuerſa, ſtabatque monſtrum triceps in hominis imaginem transformatum, nec ſimplicis conditionis, ſed coronatum aureo diademate, in ſiniſtra ſceptrum gerens, in dextra gladium. Porro hæc viſio Francici regni progreſſum atque incrementum præſagiebat, quod nimirum, Romano Imperio ex Occidente profligato, etiam leonem ſibi ſit ſubiecturus, Bufone ſemine proprio victo. Per Leonem Burgundiam ſignificabat, in quā Francus primum hoſpes, deinde victor vēturus eſſet. Poſtea enim Clodomirus, natu maximus Clodouei Magni, cæleſtinæ coronæ in aureo clypeo exiſtenti (quæ vetuſtiſſima Burgūdiōrum erant inſignia) Leonem adiecit. Ea inſignia poſtea ad Hapſpurgenſem familiam ſunt deuoluta, qui Tranſiuranam ditionem acceperit. Per Bufonem intelligebatur Tranſiurana regio, in qua multi paſſim lacus exiſtūt. Nam ea regio poſtea Francis ceſſit, qui tres Bufones in antiquis inſignibus præferebant, quos Clodoueus primus Chriſtianus rex in tria lilia commutauit.

Hāc viſionem Meroueus altamente conſeruauit atque ſuæ poſteritati per manus tradidit. Cū autem ipſe per annos ſedecim magna gloria rebus apud Francos præfuiſſet: ita vt reges Franciæ, ex ipſius familia prognati, ab eo Merouei cognominarentur: tandem moriens regnum Childerico filio, ipſius Clodouei Magni parēti, reliquit. Factum anno Domini circiter 450.

TH. Hildegaſtus vates, qui claruit anno Chriſti 224. Reges, inquit,

inquit, Francorum ex eo tempore, quo bellum habere cum Romanis cœperunt, de cõſilio Pontificum & Varum gentis ſuæ arma ſiue interſignia hæc noua ſumpſerunt, ranis tribus abiectis, quas olim ex Scythia in albo vellere adduxerunt, Leonem cum anteriore corporis parte in vellere blauii coloris depinxerunt, pedibus ad capturam extẽſis, & ore frementis more, aperto, cuius inferior pars corporis in caudam ſerpentis deſinebat, cum qua collum aquilę deſubtus in vellere aureo expanſiſque alis depictæ, fortiter alligatum videbatur comprimere & ſuffocare. Aquilam Romani habuerunt pro ſigno dimicantes: quorum ſuperbam & arrogantem potentiam ſupprimere & annihilare, per fortitudinem ſimul & prudentiam cupientes, pro altera ſumpſerunt Leonem: pro altera vero, ſerpentem..

Per Leonem namque fortitudinem ſuam Franci: per ſerpentem vero, ſapientiam & prudentiam myſtice deſignare volebant, quibus indubitanter ſe Romanos tandem ſuperaturos ſperabant. Quibus inſigniis, ſiue armis (quanquam impropriè dicuntur) omnes deinceps Francorum reges vſi fuerunt, vſque ad Clodoueum Chriſtianum, qui pro Leone, tria legitur lilia de *inſigni. Gallorũ tribus* miſſa cælitus aſſumpſiſſe, quod ſuo loco docetur.

Regno tandem Francorum, per filios Ludouici primi, in duo diuiſo, liliorum interſigne cum Francis remanſit Gallis, ſiue occidentalibus: propria vero Leonis, atq; caudæ ſerpentis arma regnum Francorum orientale, ſiue Germanicum retinuit. Quod quando Imperio Germanico connexum fuit, inſignibus prioribus abolitis Aquilam habet Imperii notam. Cæterum Papyrius Maſſonius apprime diligens auctor Gallus *libro tertio* annalium in Philippo Auguſto, *folio trigeſimo*, prolixe de continuata liliorum vſurpatione in regum Francicorum inſignibus, commemorat, nulla tamen de cælo demiſſis liliis habita mentione.

PH. Stephanus Forcatulus inſignis Iureconſultus, nec min⁹ eloquẽs hiſtoriographus *lib. 6. de Imperio & Philoſophia Gallorum*, elegãter magis & fœcunde, quam ſolide receptam opinionem, quod ante ſcutum liliorum tres Bufones Franci in clypeo gererent, improbat, cuius verba propter prolixitatem recenſere ſuperſedeo. Petrus vero Gregor. *in præludiis optimi Iuriſconſulti lib. 1. cap. 11. num. 2.* probat illam de Bufonibus itemq; liliis traditionẽ; interim ſuauiter vndiquaque abblanditur.

ditur, atque ad humorem Gallicum interpretationem conformat: *Hoc autem* (inquit) *lilium à cælo ſemel conceſſum, cum antea reges Galliæ Buffones pro inſignibus haberent, vtrumque in natura ſigillo abdito reconditum, nūc forſan à me primo ſcripto prolatum; Siquidem, quod non ſemel admiratus ſum in capite gallis gallinacei in cerebro integre ſine fractura exoſſato (quod fit facile in multum elixato) comperies facie vna buffonem, quo in dorſum verſo, altera facie exprimitur miro artificio lilium, vnde mihi Symbolum certiſſimum, Monarchiam vltimam in regem Galliarum deuolui debere, vtpote qui à Deo tantis decoretur cæleſtibus donis, vt quemadmodum à Gallis cæpit poſt inundationem aquarum diſſeminari genus humanum, ita in eos vltimum imperium redeat, fuerunt enim Galli dicti hi, qui in arca Noe ſalui euaſerunt, id eſt inundati, hoc enim Galli nomen Hebraice denotare creditur.*

E. Q. Nimirum ad Gallos deuolui vel tandem debere Romani imperii molem exiſtimat Forcatulus, at fortaſſe fruſtra; quod alio tempore deducam vberius. Verum equidē eſt, quod, vt ſcribit Doracus, teſte Hunibaldo, Romani Francos & pace & bello ſemper habuere ſuſpectos, tanquam futuros imperii ſubuerſores, Phœdii oraculo dudum præmoniti: ac præterea totis ſæpe viribus in eorum interitum, licet fruſtra, conſpirarunt, *teſte Trithemio in annalibus.* Hinc eſt, quod rectè inquit Iacobus Maior in Chronico Flandriæ: Ad Romani imperii apicem neſcio quo pacto nemo vnquam Gallus etſi multi contenderint, pertingere potuit. Nam Carolus Magnus eiuſque progenies Galli non fuerunt, ſed Germani.

T H. Non Romani tantum imperii faſtigium hac tam pompoſa Inſignium commendatione affectant, ſed etiam regni Hiſpanici dignitatem euellere conantur Galli, vtuntutque in hac Nobilitatis parte circa inſignia & arma in clypeis inſculpta hoc potiſſimum argumēto, ex Chaſſaneo *in Catalogo gloriæ mundi, parte 1. conſ. 38.* quod ille excellit, qui excellentioribus armis & inſignibus elucet, & ſicut radii ſolis ſunt fulgentiores ac digniores radiis ſtellarum, *1. Cor. 15.* Adeoque ea ſunt inſignia nobiliora, quæ à ſole & rege ſublimiori conceduntur; proinde rex Franciæ quia habet inſignia à Deo omnium authore & rege, omnibus regibus anteponi debet, ab ipſo enim, vt aiūt, tria lilia è cælo trāſmiſſa fuerunt, cærulei coloris, cum antea Phatamundi ſeculo tres aureos Buffones in campo ſeu atea, nigri coloris, gererent Francorum reges ea hieroglyphica ſignificatione, quod

ne, quod ſicut Buffones pinguiorem terram eligunt, ita Franci vberiorem ſibi ſumpſerunt, eoque ſigno vtebantur, donec Clodoueo initio conuerſionis ad fidem Chriſtianam è cęli hortis ſcutum cum tribus floribus liliorum miſſum fuit in colore cæruleo ſerenoque, & celebrant Galli augurium felicitatis fauſtum ſemper extitiſſe ſcutum è cælo delapſum, vt tempore Numæ Pompilii peſtis immaniſſima ceſſauit ſcuto è cælo delapſo, vnde Aruſpices fortunatum euentum pronunciarunt, quod eo loco ſedes imperii collocanda erat, quo ſcutum caderet. Et cum Palladium in munitiſſima turri Troiana è cælo caderet, prænunciatum fuit oraculo Apollinis, quod firmum Troianum imperium foret, donec ibi Palladium ſeruaretur.

E Q. Ita quidem traditum ab antiquis Carolus Guaguinus *libro 1. cap. 8.* hiſtoriæ Francorum retulit, nihil tamen affirmat, itaq; an verum ſit, vereor, nam diligẽtes authores & veritatum aſſertores, qui non leuibus mouentur iactationibus, ſed à radice rem explorant, nullam mentionem de ſcuto hoc è cælo demiſſo faciunt.

TH. Licet ergo ſpecioſe iſthæc à Gallis proferuntur; meo tamen iudicio longe ſpecioſius Hiſpani ſua ipſorum præferunt atque oſtentant inſignia. Poſito namq; lilia è cælo demiſſa (quod tamen affirmare non audent boni auctores Galliæ & inueſtigatores antiquitatum) Hiſpani tamẽ parum hoc morantur, cum & ipſi inſignia habeant è cælo demiſſa, crucem nimirum, Chriſti vexillum, ſtemma omnium pretioſiſſimum, quæ certe nobilior eſt quam lilia, Leonem inſuper, regem animalium, & Aquilam auium reginam oſtentant; colore aureo, qui ſublimior eſt quam argẽteus. Quodq; ad maiorem Hiſpanorum ſublimitatem facit, mõſtrari poteſt ex antiquitatum monumentis, Crucem non tantum poſt Chriſti paſſionem, ſed etiam ante Chriſtum natum, Hiſpaniæ fuiſſe inſigne. Cum enim antiquitus apud Romanos in vſu eſſet mutuare imitariq; ſigna hoſtium, quos maiori cum labore ſubiugaſſent ad modum triumphi, Cæſarque Auguſtus magnis laboribus, multoque fuſo Romano ſanguine, Cantabros Hiſpaniæ populos debellaſſet, eorum inſignia ſibi ſumpſit, quæ in vexillis, clypeis & omnibus ſignis bellorum ferebat, quæ ſigna à Cantabris Cantabraria dicebantur, & vexilla Labarum, quod labore partum eſſet, inſigne autem huius Labari Cantabrarii erat crux, qua Cantabri deuicti ab Auguſto vtebantur, ſtemma ge-

nuinum & proprium, & eo ſigno vſi ſunt Imperatores Romani poſtea, vt conſtat ex Tertulliano in Apologetico *cap. 6.* qui liber tẽpore Seueri Imperatoris ſcriptus extitit, ait enim: *Sypara illa vexillorum & cantabrorum ſtola crucum ſunt: laudo diligentiam, noluiſtis nudas & incultas cruces conſecrare.* Hæc ipſe de velis illis loquens, quæ in haſtula tranſuerſa labaro alligata crucem quodammodo veſtire videbantur. Item & Minutius Felix in Octauio: *Ipſa ſigna & Cantabra & vexilla caſtrorum quid aliud quam inaurata cruces ſunt, & ornata.*

Cæterum crux ſignum Imperatorum fuit vſque ad Iulianum apoſtatam, qui illud reuocauit, ſed Valentinianus illud poſtea reſtituit. Porro poſt Hiſpaniam à Sarracenis captam & recuperari inceptam, crux Hiſpanorum ſignum & vexillum denuo eſſe cœpit.

E. Q. De Conſtantino Magno notiſſima eſt hiſtoria, quod promiſſio ipſi diuinitus facta fuerit de victoria in hoc crucis ſigno obtinenda, extantque de crucis ſigno hiſtoriæ paſſim etiam apud recentiores, quarum tamen fides in quibuſdam penes authores eſto.

PH. Non eſt, quod tanopere de cruce tanquam ipſis peculiari Inſigni glorientur Hiſpani, conſtat namque Crucem non Hiſpanorum tantum, ſed & Aragoniæ ac Nauarræ, Inſigne eſſe. Itidem & Sicilia crucem in ſcuto vt propriũ ſtemma habet, quod ab Arcado pro inſignibus & in maximum præmium conceſſum fuit, dum Meſſanæ illuſtri crucem albam in rubro campo dedit, quod à Gothis & Bulgaris mari terraue obſeſſus auxilium à cruce acceptum recepiſſet, vt auctores ſunt Thomas Faſcellus *libro ſecundo de rebus Siciliæ, prioris decadis capite ſecundo.* Et Petrus Gregorius de Republica, *lib. duodecimo, capite decimo ſexto, numero ſexto.* Item & Luſitaniæ inſignia ſunt ſcutum in campo argenteo, & in eo crux cęrulea diuiſa in alia quinque parua ſcuta, tum ob memoriam quinque regum Sarracenorum, quos occidit Alphonſus primus, rex Luſitaniæ in agro Dourique in loco nuncupato *o cabeças do Rey*, ibi enim Iſmaelem & alios quatuor reges ſuperauit, cum innumera pluſquam quater centum millium Agarenorum multitudine, anno 1139. *ex Zurita lib. 1. cap. 21. annalium Aragoniæ*: tum etiam quia nocte ante prælium Chriſtus crucifixus Alphonſo I. apparuiſſe fertur ad bellum excitans; & ita vna cum ſignificatione quinque Regum quos vicit, præcipua fuit, ſcuta depingere in honorem quinque vulnerum

vulnerum Chriſti crucifixi, qui ei apparuit, vt notat Nauarrus *cap. nouit, de iudicijs, notab. 3. nu. 152.* & etiam triginta argentei, quib. venditus à Iuda Chriſtus fuit, in ſcuto cõtinebantur, ſed poſtea vt elegantius eſſet ſcutum, in quinque illis paruis ſcutis & magno ſcuto incluſi ſunt, & poſtea Alphonſus tertius, quia plura oppida recuperauit à Mauris, ſeptem aurea caſtella in campo flauo addidit circulo ſcuti, vt eleganter recitat Petrus Mariz *in dialogis hiſtoricis Luſitaniæ, cap. 4.*

E Q. Plus nimio & cum nauſea, propemodum immoramur dubiis hiſce dignitatum vmbris, quæ neque nos diſcutere valemus, neque ipſis earum authoribus ſatis de illis conuenit. Vnicum tamen ex prædictis ruminando attingam. Galli reges ſuos inde etiam extollunt, quod oleo ſancto cælitus demiſſo vnguntur. Ita quidem gloriantur. Id vero an ita acciderit, vel falſum exiſtimari debeat, malim mehercle pro ſuo quiſque arbitrio iudicet, in tanta præſertim rerum atq; ingeniorum varietate, ne inuidere alienæ laudi, cumulumq; econtra alterutrius gloriæ adferre velle videar,

Oleum cælitus demiſſum gloriantur Galli.

TH. Non ego ſummopere ſuper hac quæſtione me macerabo. Hoc tamen obiter, vt dicam, intermittere non poſſum, quod quamuis affirment aliqui ex Gallis, tamen alii traditione accepiſſe referunt, non vero aſſerere audent, vt Carolus Guaguinus & S. Antoninus, aliique priſci authores & ætati illi finitimi, qui nihil ſilent, quod ad gloriam Galliæ ſpectet, nullam de hoc miraculo mentionem faciunt, præſertim Gregorius Turonenſis qui omnia miracula retulit, is enim *libro ſecundo, capite trigeſimo, & trigeſimo primo* de conuerſione Clodouei in hiſtoria Francorum agens non meminit, nec Reginon Monachus, *libro primo Chronicon,* ab anno quadringenteſimo vigeſimo primo, vbi de Clodoueo tractat, nec Adonis ætate ſexta anno 396. nec Iuo Carnotenſis in Chronico, in Clodoueo, nec recentiores, qui tamẽ omnium authorum diligentiam ſuperant, id recenſent: His inſuper accedit, quod non veriſimile eſt, quũ antea catechumenus eſſet Clodoueus, oleum & Chriſma, quod alioqui omnibus aſſiduo in paratu eſt, in ipſius demum Clodouei baptiſmate iam diu optato & præcogitato, ita defeciſſe, vt ex eius defectu neceſſe eſſet è cælo demitti. Sed neque in Epitaphio eius relato à Guaguino miraculi huius fit mentio, in quo tamen fit mentio de ipſius Baptiſmo, proindeq; hoc miraculum ſi eueniſſet, ſilentio non fuiſſet prætermiſſum,

miſſum, cum hæc tantum carmina de baptiſmate agant:

Mox purgatus aquis, & Chriſti fonte renatus

Fragrantem geſſit infuſa chriſmate crinem.

Eo enim loco, vbi agitur de fragrãtia odoris in crine, id dicitur, quia reges Francorum cæſariem comamq; prominentem nutriebant, cum cæteri circumtonderent, vt Agathias *lib. 5.* retulit, & de tempore Clodouei B. Rhenanus *lib. 2. rerum Germania*, & Aimonius *lib. 1. cap. 4. de geſtis Francorum*. & Petrus Gregorius *lib. 6. cap. 16. num. 12. de republica*, eamq; comam vngebant odoribus. *Ex Forcatulo & Aemilio ſupra.* Et in baptiſmate hoc odoribus totum templum plenum extiterat, vt Gregorius Turonenſis *lib. 2. cap. 31.* his verbis narrat: *Nunciantur hac antiſtiti, qui gaudio magno repletus iuſſit lauacrũ praparari, velis depictis adumbrantur platea Eccleſia, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant fragrantes odore cerei, totumque templum baptiſterii diuino reſpergitur ab odore, talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, vt aſtimarent Paradiſi odoribus collocari.* Et cum hæc adeo prolixè referat de baptiſmo, nihil de oleo cœlitus demiſſo agit, neque Robertus Cænalis ſtudioſiſſimus ſuæ nationis Gallus auctor *lib. 1. de re Gallica perioche 12. fol. 93. & 94.* id aſſeuerat, de Clodoueo ſermonem inſtituens, ſolemneque baptiſma à Diuo Remigio factum narrans.

E Q. Ego dictis tuis facile adſtipulor, eaque inſuper confirmo argumento non ex traditione alicuius authoris, ſed ex euidenti examinatione ac demonſtratione deſumpto, atque hoc diligenter attendendum propino, quod ab oleo baptiſmatis, ad oleum quo reges inungũtur, argumentum deduci non poteſt, idq; nominatim in Clodoueo, quippe qui cum baptizaretur, in regem non inungebatur, iam dudum enim rex erat, eleuatus pro more ſupra ſcutum, proindeque non opus habebat, vt in regem demum inungeretur; ſed neque apud probatos Authores præter ſolennem illam ſupra ſcutum eleuationem, vllam tunc temporis in inauguratione regum Galliæ, eorumque ſucceſſoribus finitimis, vſurpatam fuiſſe, monumentis proditum eſt. Inſuper etiam oleum quo Imperatores & Reges inunguntur, non eſt oleum chriſmatis, vt eſt baptiſmi, ſed aliud oleum, aliis exorciſmis conſecratum. Solum enim Pontifex chriſmate in capite vngitur, ex balſamo & oleo confecto, ſed Imperatores tantum oleo in brachio exorcizato in modũ crucis inungun-

inunguntur,non chriſmate. *ex ceremoniali ſacro, lib.1. ſect.5. cap.3.*

PH. Certe tot graues rerum ſcriptores, falſitatis aut mendacii atguere, nimis inciuile foret. At vero illi, inter quos etiam Renatus Choppinus *lib.2. de domanio Franciæ, tit.2. n.7.* Lambertinus *de iure patron. 1. parte, lib.1. num.4.* Petrus Gregorius *in præludiis lib.1. ca.11.* & alii multi paſſim, vnctionem hanc, tanquam peculiaris eſſet regum Franciæ, ſolis illis ac Regibus Hieroſolymitanis & Siciliæ debitam, & ſingulari quodam priuilegio illis priuatim conceſſam conſtanter affirmant atque glorią̃tur, quum oleo cælitus demiſſo vngantur reges Galliæ. Id vero ſic acoidiſſe, Galli & hiſtorici aliqui & alii iuris interpretes narrant. Quod Clodoueus Clotildis reginæ ex Burgundionum regis filiæ ſuaſionibus è paganiſmo exiens profiteri vellet Chriſti fidem habitæ victoriæ cuiuſdam celebris aduerſus Alamanos occaſione, poſtquam à B. Rhemigio Rhemenſi præſule inſtructus in fide, vt catechumenus ad Eccleſiam, vt baptizaretur, acceſſit, & dũ accingeretur vnctioni, Rhemigius & diaconus ex ſacrario oleum tardius promerent, nec inuenirent, vnica niuea columba inopinate diſploſis alis è cælo aduolauit, in phiala adoratum chriſma perferẽs, cæterum poſtquam candida columba reuolãs è cœli faſtigio ædes odore & gaudio impleuiſſet, Rexq; delibutus liquore cœleſti trabẽ auteo textili mirabilem induiſſet, iuſſit cõfeſtim Rex ab æditnis id oleum diligenter Rhemis cuſtodiri in phiala, vt eo inpoſterũ inter auſpicia cęteri reges inungerentur, vt memorant ſanctus Antoninus & alii; & ceremonias ritusq; oẽs, qui hodie ſeruantur in inauguratione & coronatione regum Galliæ ſcribit Thomas Cormerius *lib. 1. rerum geſtarum Henrici II. regis Galliæ, fol. 18.* & ex Guaguino *in Ludouico xI.* refert Petrus Gregorius *in præludiis optimi Iuriſconſulti lib.1. cap.11.* Ludouicum xI. à Rhemenſibus hanc ipſam ampullam auocaſſe, vt tempus ſuæ mortis ex ea diſceret, quę demum priſtinum in locum reſtituta eſt.

Ita quidem ſcribunt ac ſentiũt Galli, atq; exinde ad ipſorum reges, itemque Ieruſalem & Siciliæ tantum, vel Angliæ etiam ex quibuſdam, & non ad alios pertinere ius vnctionis autumant. At enim certum eſt, ius hoc generale eſſe omnibus regibus Chriſtianis, idque non ſolum ex doctorum doctrina, ſed etiam ex textu Innocentii III. *in cap.1. §.1. de ſacra vnctione.* Atq; vt clarius id conſtet, tranſibo ad exempla: Hieronymus Zurita, *1. parte annal. lib.5. ca.17.* regem Federicum Siciliæ inunctum

Vnctio regū generalis.

unctum fuiſſe ſcribit, idem & alii authores (inter quos Aluarotus *cap. 1. quis dicatur dux, in uſib. feud.* Albericus *rubr. ff. de ſtatu hominum* & alii,) de regibus Siciliæ affirmant. Et Iulianus, Archiepiſcopus Toletanus oculatiſſimus teſtis refert vnctionem regis Wambtæ, & de vnctione regis Eruigii, ſucceſſoris eius agitur in Concilio Toletano 12. *ca. 1.* Idemque de Flauio Egica ſucceſſore narrat Morales *lib. 12. cap. 41. & 53. & 57.* cum aliis, vſum fuiſſe oſtendens in omnibus regibus Gothis. Eamque ſacram vnctionem recipere ſolitos fuiſſe in Toletana Eccleſia narrat Garſia Loayſa in Synodo Toletana ſub Gundemaro, fol. 277. Iſque non ſolum in Gothis vſus fuit, ſed etiam à rege Pelagio in regibus Caſtellæ inualuit conſuetudo, nam de Alphonſo VIII. quod inunctus fuerit iuxta antiquos & vſitatos ritus vngendi reges Hiſpaniæ à Ramone Archiepiſcopo Toletano, memorat Garibai lib. 8. capit. 4. anno 1135. & de rege Alphonſo xi. qui in Eccleſia Burgenſi in humero dextro, *ex regula cap. 1. de ſacra vnctione*, per Caſtaldum in tractatu de Imperatore, cap. 103. recenſetur, vnctus fuit; & Regem Alphonſum VII. à Calixto II. Papa in Eccleſia Compoſtellana D. Iacobi fuiſſe coronatum & vnctum, notat Beuter. *lib. 2. cap. 8.* In regibus Aragoniæ idem ſeruari obſeruat Beut. lib. 2. cap. 8. de Ramito primo, qui inunctus fuit, & benedixit Benedictus VIII. ſceptrum & coronam eius; & rex Petrus II. cui ſucceſſit rex Iacobus, coronam ſuſcepit Romæ in ædib. ſacris ſancti Pancratii, vbi Petrus Cardinalis Epiſcopus Portuenſis vnxit eum in brachio dextro, & Pontifex Innocentius III. auctor, *cap. 1. de ſacra vnctione*, manu propria coronam impoſuit, & iuſſit cætera regia indumēta & ſigna imponi, vt pallium, colobium, ſceptrum, globum, coronā, & mytram, eiq; titulus regis catholici conceſſus fuit, & poſtea in Baſilica D. Petri Pontifex enſem, equeſtremq; ordinem vigilia facta tribuit, cōceſſione facta, q; in Cæſaraugustana baſilica omnes reges ſucceſſores vngerentur, vt teſtantur hiſtoriæ regis don Iayme cap. 9. & Caroli regis Nauarræ. Et in regibus Nauarræ vſitatū fuiſſe, quod omnes vngerentur, meminit Garibai *lib. 26. cap. 1.* & lib. 27. cap. 1. & 4 peculiariter autē retulit de Ferdinando Phebo, Philippo & Carolo III.

TH. Oleo ſancto vngendos reges & orationibus, ex pluribus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis notū eſt; vt patet 3. Regum 19. vbi Dominus ad Heliam: *Vnges Aſachel in Regem ſuper Syriam, & Iehu filium*

Namaſi

Digitized by Google

Nameſi vnges Regem ſuper Iſrael. Et de Dauid *2*. Reg. *2*. profertur, & de Salomone,*3*. Reg.1. & de Saule,1.Reg.*9*.& 10. & Pſal. 78. *Inueni Dauid ſeruum meum, & oleo ſancto meo vnxi eum.* Et alibi paſſim legitur, vt apud Lactantium lib. 4. de vera ſapientia cap.7. eaq; ratione Reges Chriſti vocantur, id eſt, vncti à Deo, vt accipitur illud Pſ. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Et apud Eſaiam cap.45. *Hæc dicit Dominus Cyro Chriſto eius.* Vbi Cyrus ita dictus, eo quod Deus in miniſtrũ eum adſciuerat, nam in eodem capite ſequitur: *Cuius apprehendi dextram*: Atq; hinc mutuati ſunt Pontifices Romani, vt Imperatores oleo inungerent, vt à Clemente V. *in Clem. 1. de iureiur.* refertur, & *in c. venerabilẽ, de elect.* ab Innocentio III. ibi, *Qui eum inungimus, conſecramus & coronamus.* Nam oleum quo vngitur, ſignificat lætitiam & promptitudinem ad debellandos inimicos Eccleſiæ, & pugnandi pro fide, & conſequendam victoriam.

PH. Huiuſmodi inunctiones vſurpatæ etiam fuerunt antiquitus apud Ethnicos, nã & in ludis ac contentionibus olympicis oleo inungebantur, qui ad ſtadiũ prodibant, vt alacriores eſſent, quod conſtat ex Athenæo lib. 9. cap. 16. & cecinit Virgilius lib. 3. Æneid.

Exercent patrias oleo labente palæſtras

Nudati ſocii.

E Q. Miſſa tandem iſthæc faciamus, quorum aliqua priſcis illis ac ſuperiorib. ſeculis omnino ignota, nedum vſurpata, & ſubciſiuis demum temporibus introducta fuerũt, etiam hodierno ſeculo citra ipſius ſubſtãtiæ corruptionem adeſſe & abeſſe poſſunt, ſuſq; deq; feremus, præſertim etiam quod in his nobis neque ſeritur neq; metitur.

TH. Et mihi quoq; commonefactiones potius politicæ, cũ ſingulari quadam grauitate & ceremoniarum ſolennitate coniunctæ, magis arrident, quales fuerunt erectiones illæ in ſcuto antiquitus obſeruatæ, quarum paulo ante incidit mentio; quas in vſu fuiſſe in regno Aragoniæ, recenſet Ambroſius Morales *lib. 13.c.2. in 3. parte;* vbi narrat, q. rex inaugurãdus nocte antecedẽti in Eccleſia Metropolitana vel cathedrali vigilabat, arma habens, quib. indui debebat, & ſequẽti die rem ſacrã audiens offerebat purpurã, & monetæ ſummã quandã, & cõmunione ſacra accepta, erigebatur in ſcuto à nobilibus & proceribus, acclamãtibus omnib. ter *Regium, Regium, Regium*, & ſpargebantur centum ſolidi monetarũ, & ipſe manu propria enſem ad *Erectiones in ſcuto.*

modum

modum crucis accingebat ſibi, q. videlicet non haberet æqualem aut parem, qui poſſet cingere; & eo die non aliter equeſtrem ordinem ſuſcipiebat. Quam formã ſuſcipiendi regem & coronandi etiam vſitatã fuiſſe in regno Caſtellæ, in ſcuto acclamationibus regem eleuãdi, veſtigia quædam ſunt in legibus partitarum, nam *in l. 3. tit. 22. par. 3.* de generalibus exercitus ducibus, qui *adalides* dicebãtur, quod in ſcuto erigerentur, ſit mentio, quod ad ſimilitudinem Regis introductum videbatur, qui vſus eleuandi reges in ſcuto tẽpore coronationis apud Francos antiquos inualuit, *ex Adone Viennenſi, & aliis*, quod fiebat tam manibus, quam alacritatis clamoribus plaudendo; ſignificatioq; huiuſmodi erectionis ea erat, vt intelligeret rex, ea eleuatione ſupra alios ſe electum & natum ad defenſionem & ſecuritatem reipublicæ, vti eius ſcutum, quo reciperet ſagittas aduerſus ſubditos eiectas, & eos ab iniuriis tueretur, *ſecundum Forcatulum*. De coronæ autem, ſceptri, purpuræ, adiadematis & inſignium regaliũ ſignificatione & prima inuentione tradit Polydorus Virgilius *lib. 2. cap. 3. & 17. de inuentoribus rerum.* Chaſſaneus *1. parte, cõſid. 38.* & alii. Petrus Gregorius *lib. 6. cap. 20. de Repub.* vbi varios ritus inaugurandi reges refert.

E. Q. Valde etiam mihi probatur mos Carinthiorũ in principe initiando, quo equidem inſigniter affectus ſum, cum in peruetuſto antiquitatum libro illum legerem, quippe qui inſignem veterum Carinthiorum ſapit animoſitatem iuxta atque ſalutis publicæ curã. Mos autem is fuit: Quoties nouus Princeps apud Carinthios reipubl. init gubernacula, ruſticus quidam marmoreum conſcendit lapidem, haud longe ab oppido S. Viti erectum in pratis late patentibus. Ad ruſtici dextram bos mater nigri coloris extat, ad læuam Paramatiæ deformis equa, frequenti populo & omni ruſtica turma. Tum princeps ex aduerſa pratorum parte ꝓcedit, purpurati circum proceres ambiunt. Vexillum ante ipſum & inſignia principatus. Comes Goritiæ, qui Palatinæ aulæ præfectus eſt, inter duodecim ſigna militaria præcurrit, ſequũtur reliqui magiſtratus. Nemo in eo eſt comitatu, quem nõ honore afficias, dempto principe ipſo, præ ſe ruſtici ſpeciem ferente. Agreſtis ei veſtis, agreſtis pileus calceuſque & baculus in manu geſtantis, paſtorem oſtendit: Quem vbi primum ruſticus de ſaxo venientem eſt conſpicatus, quis hic eſt, inclamat, cuius tam ſuperbum inceſſum video? Reſpondet circumſtãtium corona,

Carinthiorum mos in principe initiando.

Terræ

Terræ principem aduentare: Ille dehinc, iuſtuſne iudex eſt, ſalutis patriæ ſtudioſus, liberę conditionis dignus honore? Anne etiam Chriſtianæ fidei cultor, defenſor, propagator? Eſt & erit, aiunt omnes. Rurſus ille: Quo me igitur (inquit) iure his ſedibus dimoueat? Reſpondet Gorizius Comes, ſexagenis denariis abs te hic locus emitur, iumenta hæc tua erunt, bouem & equam digito indicans: Item veſtimenta principis, quæ paulo ante exuit, tecum auferes, tua impoſterum familia tributo immuni futura. Quibus dictis ruſticus leui colapho principi dato, iubet legitime ſuis ius dicere. Princeps demum conſcenſo lapide, nudum gladiū manu vibrans, æqua rerum iudicia ſubditis pollicetur. Ad hunc modum Sueciæ regem electuri populi ordines, poſtq̄ conuenere in ciuitatem Vpſalenſem, regni metropolim hinc confluunt ad ſaxum campeſtre oppido proximum, Meraſten ab incolis appellatum, vbi ſuffragātium votis ſuperior allegitur ad regiam dignitatem. Id quod autor eſt Olaus Magnus de gentibus ſeptentrionalibus, *lib. 8.*

PH. Video te virum eſſe multæ lectionis atq; experiētiæ. Cum itaq; paulo ante à nobis aurei velleris facta fuerit mētio, quæſo ei⁹ originem nobis velis explanare.

TH. Velleris aurei mentionem etiam facit Iohannes Carion his verbis: Ioanni (inquit) Duci Burgundiæ, Caroli V. regis Franciæ fratri, q à Baiazete captus, & ducentorum millium aureorū pretio redemptus fuit, prædictum eſt ante illud bellū ab Aſtrologo, Turcarum fore victorem principem, qui ignem in pectore geſtaret, quo alluſum eſt ad inſignia ferri excuſſorii cum ſilice. Quapropter in huius rei memoriā catenam tali forma, annexa aurei velleris effigie, q, iis locis exulaſſet, in quibus fama eſt, Iaſonem & cæteros Græciæ principes aureum vellus quæſiuiſſe, fieri curauit, & ordinem, quo Hiſpanica & Auſtriaca familia hoc noſtro tēpore vtitur inſtituit. Sed nos vlteriorem petimus explanationē.

EQ. Dicam, quantum ſcio, etſi fortaſſis non quantum debeo. Philippus cognomento Bonus, Dux Caroli Burgundii ab Heluetiis victi & cæſi ann. 1477. ad Nanſeum, inſtituit primo die nuptiarum, quas cū Iſabella, Portugalliæ regis filia celebrauit, ordinem hūc equeſtrem aurei velleris anno 1429. Suntq; ad imitationem Gedeonis, qui auſpicio & læto omine velleris fortiter pūgnauit contra Madianitas, inſtitutum hoc referunt, ſed diploma fundatoris hoc refutat, cuius inter alia hæc ſunt verba: *per præſens diploma*

Aurei velleris origo.

ploma inſtituimus, ordinamus, ac ordimur certi numeri ordinem generoſum Equitum, ac intimorum amicorum, quem ab aureo Argonautæ Iaſonis vellere appellari volumus, idque modo, conditionibus, inſtitutis ac articulis ſequētibus. Primum volumus Ordinem aurei velleris conſtare triginta & vno equitibus, è nominis nobiliq́; inſignium vetuſtate, ſine aliqua controuerſia notis, quorum ego, dum vixero, princeps caputq; ero, ac poſt mortē meam ſucceſſores mei Burgundiæ duces. Actum in vrbe noſtra Inſulenſi, 4. Calend. Decemb. anno Domini 1431.

TH. Ego ſane ſi per me ſtetiſſet ad imitationem potius velleris Gedeonis, quam Argonautici illius ordinem hunc inſtituiſſem, præſertim, cum, quidnam illud aureum vellus fuerit, quod Iaſon in Colchidem nauigans abſtuliſſe dicitur, non ſatis apud autores conſtet. E conuerſo vero velleris, quod Gideon expandit, exacta atque indubitata in ſacro codice extat deſcriptio. Sed enim fuit pro ratione voluntas.

PH. Suidas putat, Vellus illud Iaſonis argonautæ, fuiſſe librum in membranis ſcriptum, qui docuerit, quomodo per artem fundendi, quam Chymiam dicunt, aurum eſſet faciendum: meritoque id vellus aureum appellatum, propter artem quæ in eo tradita ſit. Alii verum vellus arietis fuiſſe affirmant, de quo talem ſeu fabulam ſeu hiſtoriam narrant. Phryxus Athamantis ex Nephele filius, cum nouercales inſidias ferre non poſſet, vna cum Helle ſorore profugit, acceptoque à patre ariete, cui vellus erat aureum, eoque conſenſo, cum in Aſiam traiicere vellent, Hella puellari timore exterrita, decidit in mare, à qua & Helleſpontus exinde appellatum fuit: Phryxus vero incolumis in Colchidem peruenit ad regem Æeten, vbi arietem ſuum Ioui, vel, vt aliis placet, Marti immolauit, vellusque illud aureum, in templo ſuſpendit, cui à Deo peruigil Draco additus fuit, à quo cuſtodiretur, ne inde auferri à quoquam poſſet.

Miſſus autem Iaſon à Pelide patruo in Colchidē ad auferendum hoc vellus, licet hæc res primo impoſſibilis ei videretur, tamen præparata Argo naui, cum manu ſelectiſſimorum fortiſſimorumque iuuenum Colchos profectus eſt. Inter nauigandum cum ad Phineum regem perueniſſet, ab eo muneris loco edoctus fuit, quomodo per Cyaneas petras inter ſe concurrentes ad Colchos vſque tuto nauigare poſſet. Quo cum appuliſſet, Medea Colchorum regis filia forma eius capta, à certiſſimo eum eripuit exitio, oſtenſa ratione,

qua